DE TUTELIS ELECTORALIBUS TESTAMENTARIJS LEGITIMAS EXCLUDENTIBUS, ...

Denis Godefroy




NAZIONALE
VITT. EMANUELE
13
26 C
20

Godefridus de imbelis

DE TVTELIS ELECTORALIBVS TESTAMENTARIIS
Legitimas excludentibus,
Libri VI.

PRIMVS; CAVSAS *aperit, propter quas Sereniſſimus* FRIDERICVS IIII. *Elector Palatinus, de Tutela liberorum ſuorum ſit teſtatus: & utilia quædam ad ſequentia melius intelligenda continet:*

SECVNDVS; ADSERTIONES XX. *quibus Teſtamentum ſuperius defenditur:*

TERTIVS; REFVTATIONES XXXXV. COMPENDIOSÆ *& brevis Demonſtrationis nuper edita:*

QVARTVS; REFVTATIONES XV. INFORMATIONIS *Vlterioris & plenioris Duſſeldorpii non ita pridem evulgata:*

QVINTVS; REFVTATIONES XIIII. RESOLVTIONIS CASIMIRIANÆ, *ibidem Typis excuſa:*

SEXTVS; REFVTATIONES XXXXII. RESPONSIONIS APOLOGETICÆ, *Duſſeldorpii quoque impreſſa:*

Ad Reverendiſſimos & Sereniſſimos Sacri Imperii ELECTORES:


AVTHORE

DIONYSIO GOTHOFREDO. S.

Coll. Rom. Soc. Jesu Cat. B.

TYPIS GOTTHARDI VOEGELINI.

ANNO CIↃ IↃ C XI. 16







REVERENDISSIMIS ET SERENISSIMIS SACRI IMPERII ELECTORIBVS,

DIONYSIVS GOTHOFREDVS

S.



IRVM FORTASSIS alicui videri poterit, cur hanc de Tutelis Electoralibus Testamentariis & Legitimis controversiam publicè tractare, Vestrisque Reverendissimis & Serenissimis Celsitudini-

bus offerre, rerum Germanicarum & Electoralium non ita peritus, audeam. Sed mirari puto deſinet is, ſi propoſiti mei cauſas æquiſsimas patienter audire ſuſtinuerit.

Sanè non mea voluntate, nec ſponte, meum animum ad hunc Tractatum (meis viribus majorem) appuli: ſed complurium & quidem magnorum virorum impulſu: qui familiariter & ſeriò me non ſemel ſunt hortati, ut & quæ mihi de Tutelis Electoralibus viderentur, liberè exponerem; & quibus poſſem juris rationibus firmarem. Id enim ſcriptis quorundam aliorum ſuperadditis, publicæ rei,

cæ rei,

cæ rei, gradu ſuo vel ordine profuturum. Gravem etiam nunc hac de re controverſiam duos inter Illuſtriſsimos Germaniæ Principes, *& quidem Conſanguineos* extare; Vno, Tutelam Electoralem ex ultimo defuncti Principis Electoris Palatini teſtamento ſibi vindicante: Altero, Bullis Aureis Tutelam Electoralem ſibi præſumente: Hanc litem rationibus jure proditis potiùs quàm armis decernendam eſſe: Celſitudines etiam Veſtras, hac in controverſia, utraque ex parte literis & legatis aſsiduè, velut Electoralis Collegii conſortes adiri & interpellari: Quæſtionis

principalis hanc amplitudinem eſſe, complures ut alias minores ſecum trahat, ſcitu tamen non indignas, & ad Electoratuum jura pertinentes.

Hæc & alia, fateor, me tandem permoverunt, ut hanc quæſtionem tractandam, & Veſtris Celſitudinibus offerendam ſuſciperem. Sed cumprimis ipſius rei, qua de agitur, qualitas (Electoralis ſcilicet) quin & ex parte poſſeſſoris æquitas, me ſpem in eam deduxit, nec Vobis nec poſteris rem ingratam me facturum, ſi mihi ſuggeſta factaq; aliunde Actorum publicorum copia (quod illi ſe cu-

raturos

raturos ſpoponderunt) paulò latius hæc à me controverſia tractaretur: & potior ſententia, legibus vel Naturæ rationibus muniretur; contraria verò diſcuteretur.

Ac initio quidem facilior mihi res fuit, ſed paulatim facta ponderoſior: in lucem ſcilicet editis ab Adverſaria parte ſubinde, Demonſtrationibus [a], Informationibus [b], Reſolutionibus [c], & Reſponſionibus [d] variis.

Inde factum, novis ut hujusmodi ſcriptis ita ſuccreſcentibus indies & ſcribendi quoque mihi ſeges amplior acceſſerit: nec operis initio mei prorſus id omne, quod con-

a] *Compendioſa eſt & brevis Demonſtratio à Neoburgicis edita, anno MDCX.*

b] *Vlterior & plenior eſt Informatio ab iisdem Düſſeldorpii edita, anno MDCXI.*

c] *Reſolutio eſt Ioan. Caſimiri olim anno 1584. vulgata: ab iisdem Neoburgicis Düſſeldorpii nuper edita, & prædictæ ulteriori Informationi adjecta, eod anno MDCXI.*

d] *Reſponſio eſt Apologetica ab iisdem Neoburgicis Düſſeldorpii quoq; edita hoc anno MDCXI.*

controversum esset, à me prævideri potuerit; ut proinde, quò res intelligatur meliùs, id quidquid est complecti paucis, & Vobis edere, factum optimum putaverim.

QVI TVTELAS legitimas adversus testamentarias defendunt, hæc ἀξιώματα proponunt:

SE LIBERAM (*imò liberrimam*) *Principibus Electoribus de Tutela liberorum testandi permittere facultatem: Electore tamen, liberis impuberibus relictis, defuncto, Proximiorem & Seniorem Adgnatum, Bullis Caroli IIII. & Sigismundi,* DE IVRE *Tutorem pupillis Electoralibus ita destinatum esse, non possit ut Elector quomodocunque, vel de successione, vel de liberorum Tutela disponere: nempe nec alium quàm proximiorem & seniorem Adgnatum, Tutorem dare, ac ne quidem Consanguineum aliquem remotiorem (quem commodum, fidumque deprehenderit) eligere, & proximiori præferre: Hanc enim* De Iure *Tutelam (Bullis Aureis licet ita nuncupatã) præter & contra*

contra jus omne Commune eum in finem inductam esse, certus ut omnino Tutor Electoralis existeret, & in Imperio pax esset publica. Quid amplius? Volunt isti, ut non poßit Elector (prædictum etiam proximiorem & seniorem Adgnatum Tutorem dando) Contutorem vel unum, multo minus plures, ipsi nolenti invitove adiungere: non ullas condiciones (nisi quas sponte vel libera conscientia proximior Adgnatus justas, æquas, honestas, & poßibiles putaverit) imponere: non ab eo promißionem juratam de statu utroque Electorali (Politico scilicet & Ecclesiastico) ex animo ipsius Electoris fideliter regendo, suaque die Primogenito Electorali puberi facto, totaliter & protinus, sine renitentia & difficultate aliqua restituendo (quæ tamen Bullarum Aurearum verba sunt) exigere. Quin, quamvis huiusmodi juratam promißionem proximior & senior Adgnatus dißimulaverit, distulerit, defugerit, vel etiam negaverit, vel aliis de causis suspectus esse dicive potuerit, & complurium jurium prætensiones adversus Electorem ipsum & eius liberos habuerit: quinimo licet de ipsamet Tutela Electorali, ejusque natura, vi, condicione, qualitate, duratione, potestate et similibus, adversus Electores et eorum libe-

ros acerrimè litiget, & eum in finem Bullas Aureas aliter interpretari velit, quàm ipsi Electores, eorũ liberi & Consiliarii: nõ poßit tamen Princeps Elector aliũ quàm ipsummet proximiorẽ Adgnatum Tutorem liberis relinquere; nisi causis apud Superiorem Iudicem prius Ordinario Iudicio benè cognitis & probatis, eum suspectum ostenderit: Vt Elector qui prædictis obsequutus non fuerit, id est qui Testamentum fecerit, & Tutorem alium (quàm proximiorem & seniorem Adgnatum) condicionibus aliis, quàm quæ superiùs expositæ sunt, liberis reliquerit, ipso facto Bannitus esse debeat. Quid multa? Vt Electores ad illam legem redacti (scilicet ut nec Tutorem alium præter proximiorem & seniorem Adgnatum eligere poßint; nec proximiori Adgnato condiciones ullas imponere, nisi quas justas Adgnatus ipse censuerit; nec juratam promißionem de statu Politico & Ecclesiastico conservando ac sua die restituendo ab eo exigere) credant nihilominus, & certò sibi persuadeant (imò præter Electores cæteri omnes intelligãt) Electoribus ipsis non tantùm LIBERAM *sed &* LIBERRIMAM *de Tutela testandi libertatem à proximiore et seniore Adgnato relinqui, tribui, permitti, concedi. Quid rursus? Vt proximiore & seniore Adgnato huiusmo-*

huiusmodi Tutelam præter & contra Ius Commune sibi adserente, nullis condicionibus vel modis, vel promißionib. iurandis (nisi quas in conscientia sua iustas proximior ipse Adgnatus putaverit) obnoxiam; nemo tamen credat, ipsum proximiorem & seniorem Adgnatum liberam & modis omnibus ABSOLVTAM *Tutelam sibi præsumere.*

Quasi verò liberam & modis omnibus absolutam Tutelam non ambiat, qui nullas condiciones (nisi quas ipse fortè probaverit) admittat. Et quas, quæso, Tutelæ condiciones admittet, qui nihil in Statu mutatum iri, rogatus adeò solenniter, Electori stipulanti vel petenti iuratò promittere noluit: cùm hæc omnium condicionum Tutelarium prima summaq; condicio sit, & aliarum velut Mater & Regina, ad quam cæteræ, velut minores ad scopum, dirigendæ sunt? Non video quoque, quemadmodum patremfamiliâs id est Electorem *liberum* vel (ut loquuntur isti) *liberrimum* in testando possint dicere, cui nihil prædictorum in dando liberis Tutore permittant.

Eadem igitur opera (familiaribus ut hoc exemplis demonstrem) dicant isti: Liberum

Canonicorum Collegium esse, cui lex aliqua sub certa sanctione vel pœna mandaverit, hunc (verbi gratia Ambrosium) Episcopum omnimodo nec alium eligi: sic ut ipsum Canonicorum Collegium condiciones nullas ei præscribat, nec promissionem ullam juratam, *Rem Episcopatus salvam fore*, ab eo exigat. Eadem rursus opera, liberos Electores Imperii probent isti, quibus aliqua vel Bulla vel Constitutio (certis quoque pœnis additis) præscripserit, hunc (verbi gratia Carolum) nec alium Regem creandum esse: ut nec condiciones aliquas ei (nisi quas admittere voluerit) regnandi proponere; nec eius rei gratiâ jusjurandum ab eo exigere ipsis liceat. Atenim non arbitrarium sed necessarium esse probari potest, quod lege [a] vel consuetudine [b] stabilitum receptumque est; quod quis omittere non possit, nisi pœnam lege statutam, vel consuetudine receptam subire velit. Scitur & hoc Tutelis in omnibus, Curis & Administrationibus publicis (quin & Ecclesiasticis: imò Regnis, & quidem liberrimis & hereditariis) usitatum & solenne etiam hodie esse: Tutores scilicet, Contutores, Administrato-

a] *l. si qua pœna. 244. vers. Ex hoc quoque ff. de V. Signif.*

b] *l. si quis reum. 4, ff. de custodia reorum.*

ſtratores, Epiſcopos & Reges, certas ad condiciones & leges ſacramento ſolenniter adigi. Quin Ethnici quoque Principes optimi, adeò verecundi talibus in rebus fuerunt, ut ultrò ſæpe nec moniti publicas in leges juraverint. Et quidni? Legibus enim ſoluti Principes optimi non ſunt: ſed majus Imperio putaverunt, Legibus Principatum ſuum ſubmittere. Et utiq;, ſi [a] liberum eum non dicimus nec putamus, cui ab aliquo loco recedere non liceat; liberum patremfamilias & teſtatorem eadem opera negabimus, qui à certæ perſonæ electione recedere non poterit. Nam ut adſcriptus glebæ, ab ipſa gleba recedere non poteſt, ſed glebæ ſervus eſt: ita nec huiuſmodi Teſtator ab Adgnati perſona legibus deſtinata recedere poterit, nec ſui juris nec liber fuerit. Nec enim voluntas poteſt dici libera, niſi [b] facientis vel agentis velle ſit & nolle.

Et eam pariter ob cauſam, Pontificis Vrbani V I. electionem, Cardinales Vltramontani quondam liberam fuiſſe negarunt, quòd eum eligere coacti fuiſſent, ad rumorem populi clamantis (ut [c] Baldus refert) ELIGATIS DE ITALIA, NON ALIVNDE: vel

a] *l. Titio. 71. §. 2. π. de condit. & demonſtrat.*

b] *fin. l. eius eſt, π. de Reg. Iur.*

c] *in l. ult. §. ſed ſi quis, quaſt. antepenult. C. communia de fideicommiſſ. Meminit & in l. 3. C. qui & à quibus manumiſſi: ubi dicit legem illam notandam eſſe adverſus Vrbaniſtas, id eſt, eos, qui Vrbani Electionem tanquam liberè factam defendebant. Adde eundem in l. interpoſitas 13. 3. C. de tranſact. & Tractatu de ſchismate: qui extat poſt legem 3. Cod. de Edicto D. Hadriani tollendo.*

d] *V. Boerii Gloss. ad Tractatum Mandagoti, Cardinalis de Electionibus. parte. 1. c. 53. in verbo Laicus.*

(ut Boerius [a]) ad clamorem populi cridantis (id est quiritantis) ROMANO LO VOLEMO: ITALIANO LO VOLEMO. Si huiusmodi Electio libera non est, quæ ad populi clamorem ita facta est, coactis scilicet Cardinalibus Pontificem *eligere de Italia, non aliunde*; sanè multò minùs libera Principis Electoris in testando potestas dici poterit, si de Adgnatis saltem, quem volet, eligere ei non licebit; sed coactus omnimodo fuerit, unicum & solum proximiorem & seniorem Adgnatum Tutorem liberis dare, non alium; nullo Contutore penitus ei adiuncto; nullisque condicionibus, de Statu non mutando, ei propositis; nulla promissione jurata, de restituendis sua die Primogenito puberi facto, rebus & juribus Electoralibus omnibus, ab eodem exacta.

Ex superioribus jam (licet paucissimis) potestis, Reverendissimi & Serenissimi Principes, quæ quãtaque lis Electoribus Palatinis (familiæ

miliæ ſuæ Principibus) à Proximiore & ſeniore Adgnato moveatur , intelligere : cujusmodi ſanè controverſiam Sereniſsimo Saxoniæ Duci,& Brandeburgico Marchioni,aliquando fortaſsis moveri poſteritas videbit ; utpote eadem Caroli IIII. Bulla (qua Principes Electores Palatini) comprehenſis; ac propterea aleam communem vel eandem (niſi maturè ſibi ſuisque proſpexerint & præcaverint) ſubituris.

Interim ſolatium mihi maximum eſt, quòd hanc Juris Veſtri Electoralis quæſtionem tractando, non aliunde de facto, quàm ex

Actis

Actis publicis sinceræ probatæque fidei mihi suggestis, animi mei sententiam exposui: De Jure verò, quod æquius, melius, sanctius & honestius (cessurus enim facilè sum meliora monstranti) putavi: quòd honorem personis, quibus debui, semper servavi: & in rem magis simpliciter, quàm in personam scripsi: nec convicia conviciis opposui.

Hanc scribendi publicis in Controversiis (virorum bonorum suasu) libertatem, modestiæ suæ non immemorem, si Vestris judiciis comprobaveritis: ad alia, quæ rem communem, Vestramve

postea

poſtea ſpectabunt, non modò mihi, ſed & aliis ordinis mei melioribus & potioribus, veritatis perveſtigandæ maximum incentivum præbueritis.

Sanè, quod hanc ſpecialiter quæſtionem attinet, non dubito quin mox alii plures eam pleniùs, quàm ipſe fecerim, tractaturi ſint, & Aureas Imperii Bullas diligentiùs expenſuri, quàm hactenus à quibusdam factum fuerit. Ex Bullis enim ipſis totius huius controverſiæ deciſio non obſcurè promi poterit.

Quid enim apertiùs (ſenſum modò communem adhibeamus)

quàm ſi Bullam Sigismundi, Carolinæ, velut facem & interpretem quis adjungat? Nam ex Carolina Bulla quibusdam videri poterat, Electoralem Tutelam, ut & ſucceſsionem, pariter & eodem modo proximiori & ſeniori Adgnato deferri. Atenim Sigismundus hanc totam litem diremit, in ſucceſsionis Electoralis Jure nihil quidem immutans, ſed in Tutela tantùm Clauſulam hanc verè ſalutarem adjiciens, & lites omnes tollens; ſcilicet ut proximior & ſenior Adgnatus Electoralis *DE JURE Tutor & Curator eſſe debeat*; id eſt, ut proximior & ſenior ille

or ille Adgnatus ſciat, ſe Tutorem eſſe, ut alii DE JURE ſunt Tutores: & ſic (connexa ſunt enim quæ ſequuntur omnia) ut quemadmodum cæteri DE JURE TUTORES, Teſtamentario Tutori cedat: ut Electori de Tutela liberorum teſtanti moleſtus non ſit: nec Tutori, quem Elector ſuo Teſtamento nuncupaverit vel ſcripſerit, controverſiam ullam Tutelæ faciat: & rurſus, ut Tutelam ſingularem, novam & inauditam, præter & contra JUS illud commune ne ſibi ſumat vel affectet: ut adverſus illam Tutelam quomodolibet, vel quocun-

que ſucceſsionis vel conjunctionis colore, perpetuis temporibus nihil tentet: ut Clauſulam illam DE JVRE, præter & contra jus, ad evertendum jus non tantùm commune, ſed omne, ne torqueat: ut cogitet etiam, Sigismundum non temerè Declaratoriam & illuſtrem illam Clauſulam DE JVRE, Tutelæ ſpecialiter adjeciſſe: ſcilicet ut proximior & ſenior Adgnatus intelligat, Electorem de liberorum ſuorum Tutela disponentem, DE SVO prorſus non de alieno teſtari: ſuos enim parentibus ſuis liberos eſſe: adhæc ut ſciat, inter jus in Electoratum,

& in

& in Tutelam Electoralem succedendi, latam differentiam constituendam, nec Tutelas Electorales successionibus adæquandas esse.

Sed hæc, licet aperta satis & notoria sint, adeo ut suo quoque jam nuper rescripto Sacratissimus Imperator RODOLPHVS (quod modò, dum hæc scribo, inaudio) possessionem Administrationis testamentario Tutori confirmaverit: non pigebit tamen deinceps pluribus argumentis & rationibus, si fors tulerit, & DEVS Optimus Maximus adnuerit, firmare.

Interim quæ de Tutelis Electoralibus hoc Opere ſex libris à me ſunt, magnorum virorum & Vobis deditorum cohortatione, ne dicam juſſu, pertractata, clementes & benigni æqui bonique conſulite: & Reverendiſsimi Sereniſsimique Principes, & quod inſuper eſt, Sacri Imperii Electores, Valete.

Heidelbergæ: Calendis Augusti Anno M D C X I.



VT HÆC ILLVSTRIS QVÆSTIO MIHI PROposita, notior & evidentior fiat omnibus, non indigenis modò, Sacriq; Romani Imperii civibus, sed & exteris: rem qua de agitur, conjicere breviter, & speciem Lectori præmittere consultum censui. Nam & [a] ex facto, quod dici solet, jus oritur: & hac viâ, nempe facti recitatione præmissâ, relationibus vel suggestionibus alienis à vero, certius occurretur.

a] *L. si ex plagis. § 2. § in Clivo 2. π. ad l. Aquil. L. 1. § Divus. π. ad l. Corn. de Sicariis. L. 1. π. de Regulis iuris.*

Est autem Facti species hujusmodi.

SERENISSIMVS Princeps Fridericus IIII. Elector, Comesq; Palatinus Rheni, testamentum conditurus, ut & liberis, & subditis, & bonis Electoralibus, aliisve prospiceret; & ut personas & res liberorum subditorumque pius Princeps in tuto collocaret; Illustrissimo Principi Philippo Ludovico Comiti Palatino Neoburgico (Agnatorum omnium seniori & proximo) liberorum, subditorum, & bonorum omnium Electoralium Tutelam, Curam & Administrationem literis solemnibus, & Legatis eum in finem missis, detulit ea lege: *Ne quid in Religione vel statu publico mutaret aut innovaret: fore alioqui, ut ipse jure suo deinceps uteretur; id est Testamento suis consuleret, & mutationibus publicæ rei vel statui perniciosis & exitiosis occurreret.*

Ad has literas Illustrissimus Princeps Neoburgicus anno MDCI. Decemb. V. in hanc sententiam respondit: *Principis Electoris cogitationem illam (mutationibus scilicet occurrendi) se probare: & propterea sperare, se posse perfacilè & amicè cum ipso, de Tutela Curaq; totius Principatus aliquando convenire.*

Sed cùm per biennium integrum conventionem illam promissam distulisset, & negotium hoc ulterioris impatiens moræ, traxisset Princeps Neoburgicus, literis posterioribus animum suum tandem ita prodidit: nempe, *Mortuo ipso Electore Tutelam Curam & Administrationem Principatus Electoralis, purè, sine gravamine, simpliciter ac plenè,*

nullisq; finibus circumscriptam, sibi velut Adgnato proximo, & quidem seniori, deberi: nullos alios posse, velut Contutores, in eam Tutelam adjungi: Quinimò denunciat Electori, si secus vel aliter fecerit (id est, de liberorum, subditorum bonorumq; Electoralium tutela, testamento disposuerit) futurum, vt in pœnas Bullæ Aureæ Caroli IIII. sed & Imperatoris Sigismundi declarationibus insertas Elector incurrat: Vt jura Electoralia, omniaq; feuda Imperialia aliaq; privilegia prorsus amittat: Vt pro rebelli, & pro perjuro habeatur, & mille marcarum auri summâ multandus veniat: Rursus, ut ejus persona, tum etiam bona (velut perduellis & contumacis, & Bullis prædictis vel Declarationibus non obtemperantis) ipso facto, Banno subjiciantur Imperii, eum scilicet in modum, ut vi manifestâ factiq; viâ in ejus personam & bona (velut Exulis & Proscripti) cuivis homini irruere iure liceat.

His cognitis, Serenissimus Elector, cùm per longum illud adeò tempus, mitius & amicabilius longè responsum ab Illustrissimo Principe Neoburgico Adgnato proximo & Seniore sperasset; rem amplius differendam non ratus, negotium plenius ac specialius tractandum sibi censuit.

Adhibitis itaque de more (velut in re tanti momenti solet fieri) Consiliariis, Legum foriq; peritissimis, re quoq; tota Principibus nonnullis Imperii, quin & exteris, & quidem potentissimis, amicissimis, & fidissimis communicatâ, comperit; *Se de liberorum, subditorum, bonorumq; suorum Electoralium Tutelâ, Curâ vel Administratione disponendi, statuendiq; justissimas omnium causas & occasiones habere.*

Et nihilominus tamen Serenissimus Princeps Elector, priusquàm testamentum perficeret, tentandum adhuc iterum Illustrissimi Principis Neoburgici animum putavit. Petiit itaq; Serenissimus Princeps, *Vt si quid insuper ipse Princeps Neoburgicus scrupuli vel dubii haberet, suos Consiliarios, Legatos, aut Procuratores Heidelbergam* (quæ totius Principatus Electoralis Matrix & Metropolis est, & in quâ familiæ Electoralis publicum est Archivum & Chartophylacium) *mitteret: ut ex documentis & actis antiquissimis Electoralis familiæ Palatinæ, jura Principis Electoris, & in actu rerum ipsarum positi, penitius certiusq; disceret.*

Huic petitioni cùm Neoburgicus Princeps minimè responderet, Serenissimus Elector, diem quemque extremum ducens, de Consilii prædictorumq; Principum sententiâ Testamentum & ultimum elogium condidit: quo, inter cætera capita, *Illustrissimum Ducem Ioannem Palatinum* (uno tantum gradu Neoburgico remotiorem Adgnatum) *liberis*

liberis, subditis, bonisq; Electoralibus Tutorem, Curatorem, & Administratorem scripsit ac reliquit. Et tamen, ut fidissimo Agnato munus hoc vel onus Tutelæ, volenti magis, imponeret, paucis ante mortem diebus, Heidelbergam literis eum evocavit. Oblatam Tutelam prædictus Dux Iohannes admisit, & diligentiam fidemq; pariter omnem petenti promisit, quam & postea fideliter præstitit & servavit. Mortuo namq; Serenissimo Principe Electore, singulos Principatus Electoralis Ordines sacramento adegit, & tributim viritimque à singulis, moris omnibus remotis, jusjurandum fidelitatis exegit.

CUM hæc ita acta gestaq; hincinde fuerint, inter Serenissimum defunctum Electorem ex unâ parte: & Illustrissimum Principem Neoburgicum ex altera: quin & Illustrissimum Iohannem Palatinum Administratorem Testamento datum, ex tertia:

Quæritur nunc, utrum Illustrissimo Principi Neoburgico Palatinalis Electuræ Tutela legitima debeatur: an verò Serenissimus Princeps Elector de liberorum, subditorum, bonorumq; suorum Electoralium Tutela prædictum in modum testari: & Illustrissimus Princeps Ioannes Palatinus hanc Tutelam vel Administrationem in se recipere jure potuerit; & adhuc hodie salvis legibus Imperii, hoc Tutelæ munus sustinere possit.

SECUNDUM ea quæ proposita superius à me sunt, puto; Legibus omnibus & omni jure id utrique facere licuisse: ac proinde Serenissimum Principem Electorem jure testatum: & Illustrissimum Principem Ioannem Palatinum, Tutelam & Administrationem, de quâ nunc controversia est, nullis legibus aut conventionibus impedientibus, in se suamque fidem admisisse.

PRIUSQUAM tamen argumentis & rationibus hanc sententiam muniam & confirmem, & contrarias objectiones diluam & dissolvam; ne Lectoris vel Iudicis animus subreptionibus perstringi, neve mixtis & confusis quæstionibus circumscribi possit: in hac priore Responsi præsentis parte, cùm primis & ante omnia præmonendos Lectores & Iudices putavi; Non hîc agi de bonorum Electoralium in familiam extraneam, vel ulteriorem Adgnationis personam, alienatione: sed de simplici, nudaq; liberorum, subditorum, bonorumque Electoralium Tutelâ tantum vel Curâ:

Cùm alioqui plerisq; locis, Principatus ita comparati legantur, ut Princeps de Regni vel Principatus sui proprietate Dominioque, liberè pro animi sui arbitrio testari vel disponere jure potuerit. Et ita verò literis [a] est proditum, Attalum Pergamenorum Regem (Regis Eumenis & socii quondam Populi Romani filium) Testamento suo Populum Romanum hæredem his verbis instituisse: *Populus Romanus bonorum meorum hæres esto*. Ad eundem etiam modum Ptolemæus [b] Cyrenarum Rex (cui cognomentum Apionis fuit) moriens Populum Romanum hæredem reliquit.

Sed alia longè ratio nunc est Sacri Imperii Principatuum, ut & Feudorum, & (quod arbitror) Regnorum omnium penè hodie, quæ jure deferuntur hæreditario. Regnorum enim & Principatuum latifundia, bona, juraque, Coronæ vel ipsi Principatui vel Dignitati cohærentia, Regnorum & Principatuum Enthecæ dotesve quædam sunt, & quidem sacræ: magnorum illorum corporum, velut nervi [c], fulcra, fundamenta. Ac propterea ne ἐφήμερα sint regna, vel diurni quidam (paucorum verbi gratia dierum, mensium vel annorum) Principatus, apud plerosq; populos summâ providentiâ cautum, prospectum, sancitumq; est vel usu receptum, ut hujusmodi bona Regalia vel Principalia, prorsus & omnibus modis inalienabilia sint: aut ne *de [d] lanceâ in fusum* (quod dicitur) id est à masculis ad fœminas, vel ab Agnatis ad Cognatos ab intestato transeant: & multò magis, ne Princeps vel Rex (qui Regnum vel Principatum ipsum possidet) authoritate propriâ in alienam gentem vel familiam, Regni vel Principatus sui talia jura vel bona transferat: sed ut in familiâ, gente & Adgnatione Regiâ vel Principali (subditis, ab ipsis initiis vel aliquot sæculis probatâ, receptâ, cultâ) perpetuo fideicommissi titulo conservet: ut ne de successione [e], familiâ [f], Agnatione vel nomine [g], bona illa Regalia transeant in aliam: sed ut in eâ sæculis æternis ac perpetuis conserventur: nullo denique titulo servitutis, dotis, donationis, divisionis, venditionis, ususfructus, permutationis, obligationis, pignoris, hypothecæ, emphyteuseos, institutionis, legati, vel fideicommissi, gentem in aliam vel familiam transcribat. Et hæc adeò vera sunt, ut nec [h] possit ex hujusmodi bonis, quæ Regali vel Principali familiæ conservanda sunt, Falcidiam vel Trebellianicam deducere Regni vel Principatus hæres aut possessor (licet [i] aliâs fideicommisso universali gravatus, quartam Trebellianicam si velit, deducat): quia bona illa Regalia vel Principalia, Regni vel Principatus ipsius sunt, non personæ, puta Titii vel Mævii regnantis hodie:

a] 1. Florus ult. Sextus Ruffus.

b] Livii Epitome lib. 70.

c] facit Novella Iustiniani 8. c. 10: & Leonis 52. in pr.

d] v. librum Legum Anglorum Titulo de Allodibus. 7. c. 8.

e] L. pater 38. §. mater 7. π. de legatis. 3.

f] L. peto 69. §. 1. §. fratre 3. π. de legatis.

g] L. omnia 32. in f. ibi qui ex nomine defuncti. π. de legatis 2. L. pater. 38. §. filiam 2. ibi de nomine meo exire §. fundum 3. ibi, de nomine vestro nunquam exeat. l. si quis complures 94. ibi ne de nomine suo exiret. π. de legat. 3.

h] Novella 19. c. ult.

i] π. & Cod. ad Sc. Trebell. Inst. de fideicom. hæredit.

tis hodie: sed Coronæ. Rex vel Princeps non est talium bonorum vel hujusmodi juris plenus & (ut ita dicatur) absolutus optimo maximoq; jure dominus, ut scilicet de eo pro arbitrio disponendi, & alienandi potestatem habeat: sed proprietatis ipsius certis conditionibus dominus, vel plenissimus usufructuarius, custos & bonæ fidei depositarius; ut illa bona primùm, liberis suis; secundo gradu vel ordine, adgnatis suis conservet; ut primam charitatem (ut ita loquar) à liberis ordiatur, & in Adgnatis desinat.

Sed ut missis Regnis & Principatibus exteris ad Electorum bona juraq; deveniam, Controversum hîc, inquam, non est, utrum Magni illi Principes (Electores scilicet) possint bona jurave Electoralia alienare. Certum est enim & confessum apud omnes, prohiberi, non defectus animi, non demeriti, vel delicti vel vitii alicuius ratione, quod in ipsis Electoribus sit, vel deprehensum olim fuerit: sed eorum potius favore; nempe, ut eorum nomen in perpetuas æternitates floreat: ut eorum liberi masculi, posteriq; bonis illis plenissimè perfruantur: ut illis bonis instructi, Principibus suis Augustis (id est Imperatoribus) & consilio & re præsto possint commodius adesse, non vulgari modo vel tenuiter: sed Regio prorsus & Principali: cum effectu scilicet aliquo. Supremi namq; Principis [a] interest, subditos habere locupletes. Et hæc causa est, propter quam bona juraq; Electoralia ab avis & atavis Regibus permultis descendentia, & ad præsentes Electores transmissa, alienari prohibentur, velut Principatus Electoralis dotalia bona, sacra, religiosa, sancta corporata, unita, destinata, devota eidem semper genti, familiæ, Adgnationi, successioni, Coronæ: ut ab eâ gente illove nomine inseparabilia sint, & in aliam familiam, quovis modo vel colore transferri non possint.

a) *Novella. 8. c. 1. l. 3. Cod. de Natural. liber.*

In hanc legem familiæ, sive quis malit, Imperii Germanici, Serenissimus Elector, (is de cujus testamento nunc agitur, Fridericus IIII. scilicet) nihil penitus admisit. Non enim bonorum aut jurium Electoralium vel quinq; [b] pedes præscribi vel usucapi passus est: imò nec minimam glebam bonorum Electoralium Testamento suo in alienam gentem transtulit: sed omnia prorsus & singula sarta tecta, integra, illibata, non tantum liberis propriis, sed & post liberos, Adgnationi Familiæq; ue Palatinæ, religiosissimus Princeps & genti suæ fidissimus, servavit. Quin, licet graviter à proximiore Seniore Agnato se offensum cognovit (ut ex facti specie superius positâ potest colligi,) sibi tamen licere pientissimus Princeps nunquam censuit, ut in proprietatis domi-

b) *l. quinq. pedum. Cod. finium regundorum.*

niive jure remotiores Adgnatos ei præferret: cùm tamen sciret, Maioratus, vel restituendi Maioratus onere gravatos, posse quorundam sententiâ [a], insignes ob offensas & causas, proximiores etiam Adgnatos jure Maioratus excludere, & remotiores eis præferre.

[a] v. Molinam tractatu de primogeniis Hispaniæ lib. 1. c. 9. ubi allegat Oldradum consil. 94. &c. licet, de voto. Menchacum de successionum creatione tit. 21. n. 146. Carolum Molinaeum ad Consu. Parisienses tit. 1. §. 8. Gloss. 1. n. 10.

SVPEREST itaq; nunc, ut de altero, id est, de liberorum, subditorum, bonorumq; Electoralium jure videamus: utrum scilicet potuerit Serenissimus Princeps Elector, de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium Tutelâ, Curâ & Administratione testamento suo jure disponere; & Tutorem, Curatorem, Administratorem liberis, subditis & bonis Electoralibus arbitrio suo deligere.

Ad hanc quæstionem, Categoricè paucis respondeo; Serenissimum Principem Electorem, prædictum in modum testari omni jure potuisse.

Nam, ut hoc primùm generaliter antevertam dicere, Liberos, subditos, & bona Electoralia in potestate, Curâ & Administratione suâ solus semper habuit: Solus (inquam) velut pater & velut Dominus, & plenissimus eorum Administrator: quia jure suo, non alieno (quod notandum est) jura illa solus semper invitis vel aliis omnibus) habuit: in liberos, tanquam parens: in subditos & bona, tanquam dominus: ut à cæteris Administratoribus Elector in eo differat, qui non suo nomine sed alieno gerunt, quiq; ad certum tantum usq; tempus, Bullis Imperatoriis definitum, administrant: cùm Princeps Elector ad dies longissimos & incertos vitæ, liberos, subditos & bona sua Electoralia regat, & de eorum Tutelâ testandi potestatem habeat, & habere debeat. Ac propterea Tutores & Administratores Electorales in Imperatorum Bullis non Electores, sed Electoralis tantum Principatus Tutores, Curatores, & Administratores indigetantur: ut & nomine & re ab Electoribus distare intelligantur; Electoratu videlicet penes Pupillum vel Adultum primogenitum semper manente: & interim Administratore partibus Electoris fungente, & vices Electoris in omnibus gerente, obeunte, repræsentante.

Diversa est itaq; ratio in Electore Principe maiore liberis subnixo, quia jus in liberos, naturâ tantum ipsâ, Deiq; solius beneficio possidet & habet: Ius, inquam, illud liberorum, à Deo solo recognoscit: & ideò hanc potestatem, patriam scilicet in liberos, ab uno Divino Numine tenet: quam nullus ideo quantumvis proximus & Senior Adgnatus ei, licet morienti, auferre vel adimere potest: quia jus illud patriæ potestatis natu-

tis naturale est, & ideò [a] immutabile, velut providentiâ divinâ constitutum; nullis decretis, vel legibus, vel conventionibus humanis (civilibus, honestis, nec injuriâ vel necessitatis alicuius torrente, extortis) obnoxium.

Iterum dico: Ius parentum in liberos à naturâ [b], vel (ut apertius loquar) à Deo Naturæ totius parente, parentibus datum: Deniq; (ut causam parentum omnium paucis hîc defendam) jus illud proprium parentum esse, & quidem sacrosanctum, adsero: & consequenter contra secundam tabulam decalogi peccare, qui jus illud potestatis, parentibus ita concessum & debitum adimere conatur, ut parentes eo jure defraudet; vel ut ipsi, liberis suis Tutorem, Curatorem vel Administratorem eligere non possint. Parentum enim conditionem (ut Seneca [c] de patria potestate disserens, piè vereq; tradidit) *sacravimus: quia liberos expediebat tolli. Solicitandi ad hunc laborem erant parentes, incertam liberorum adituri fortunam. Non poterat illis dici, quod beneficia dantibus dicitur: Cui des elige, ipse tecum, si deceptus es, quare: dignum adjuva. In liberis enim tollendis nihil judicio tollentium licet. Tota res voti est. Itaq; ut æquiore animo adirent parentes aleam, danda illis aliqua potestas fuit.* Et post: *Horum parentum in confesso merita sunt, & quia est utile, juventutem regi, imposuimus illis* QVASI DOMESTICOS MAGISTRATVS, SVB QVORVM CVSTODIA CONTINENTVR. *Deinde omnium parentium unum erat beneficium, itaq; æstimari semel potuit.*

Apparet itaq; parentes in liberos suos aliam longè potestatem naturâ habere, quàm tutores in pupillos habeant; non aliunde scilicet, sed ex se; non heri vel hodie, sed semper (quàm primùm scilicet eis liberi vel concepti vel nati fuerint); non temporariam, sed perpetuam; non ad tempus tantum vitæ, sed & in articulo quoq; mortis ipsius, ut illo jure (naturali scilicet) parens moriendo possit liberis suis consulere, & sic Tutorem vel Curatorem dare: Deniq; Ius hoc parentes habent in liberos suos non tanquam fructuarii vel Emphyteutæ vel usuarii, quamdiu superstites sunt (ut Adversarii, sacram parentum potestatem in liberos, & Electorum in subditos, scripto quodam suo nimiò plus elevant & deprimunt) sed tanquam fons & origo, & princeps (post Deum) causa liberorum ipsorum; tanquam ius & beneficium divinum, proprium & singulare, & nullis aliis commune: ut meritò de illo jure (liberis scilicet Tutores & Rectores eligendi) possint sine cujusquam invidiâ, indignatione justa, tanquam de suo vel proprio jure, superstites & morientes pro animi sui conscientiâ liberè disponere, & per consequentias & sequelas

a] § *sed naturalia quidem jura 11. Inst. de jure naturali.*

b] [illegible] *Aristoteles 1. Politicorum 2.*

c] *3. de Benefic. 11.*

ſequelas de ſubditis & bonis liberorum Electoralibus, quod Curam ſcilicet, Tutelam & Adminiſtrationem ut minimùm attinet, ſtatuere; quòd lex vel pactio ſpecialis Imperii vel familiæ, proprietatis & dominii alienationem eis non permittat.

Hoc unico jure (alienandæ ſcilicet proprietatis) excepto, Princeps Elector abſolutam non tantum in liberos (quod palpabile jus eſt) ſed & in liberorum futuros ſubditos (qui dominum ſuum vel herum veluti clientes, domeſtici, nexi, devoti, comitantur) & multò magis in bona resque cæteras alias (quæ ſubditos ipſos & ſubditorum ipſorum dominum meritò, ut [a] res acceſſoriæ, ſequi ſua principalia ſolent & debent) habet & obtinet. Ideoque Princeps Elector conſtitutionibus ſacris, id eſt, Imperatoriis, illud caput (quod eſt de non alienanda bonorum Electoralium proprietate) adimplens, eique ſatisfaciens & obſequens, uti jure ſuo, nullique iniuriam facere cenſendus eſt, cùm liberis, ſubditis & bonis ſuis Electoralibus Tutorem, Curatorem & Adminiſtratorem vltimâ voluntate relinquit: quia jus illud & poteſtatem illam ex ſe, & ſolus & quocunque tempore in liberos ſuos habuit, quos poſtea ſubditi reditusque cæteri ſponte ſuâ ſequuntur. Tutor [b] enim ſine pecuniâ id eſt ſine bonis & eorum Adminiſtratione, Tutor dari non poteſt: ut Tutorem liberis datum, neceſſariò bonorum omnium Adminiſtratio ſequatur.

a] *arg. l. qua pater 32. in f. π. familia. l. librorum 52. § . ult. l. argento 53. π. de legat. 3.*

b] *l. ſæpè 53. verſ. At cum dantur. π. de V. S.*

Ac præterea cùm hoc Princeps Elector decernit, de bonorum Electoralium dominio vel proprietate nihil principaliter vel per conſequentias diſponit, ſed de ſubditorum & rerum Electoralium Tutela tantum, & Cuſtodia vel Regimine: quos quasque (ſubditos ſcilicet & res) liberis ipſis Electoralibus fideliter ſervari non tantum patris Electoris morientis intereſt, ſed & totius Imperij penè: cùm huiuſmodi columnis (liberis ſcilicet Electoralibus,) ſacrum Imperium fulciri Cæſares ipſi Bullis ſuis teſtentur.

Et ſic non tantum Electorum ipſorum (qui parentes ſunt) intereſt, Electoribus jus de liberorum, ſubditorum & bonorum ſuorum Tutelâ teſtandi, tribui, concedi, permitti: ſed etiam totius Imperij intereſt id ita fieri, cuſtodiri, ſervari. Atlantes enim iſti (Electores ſcilicet, qui Moderatorem Orbi Imperioque Germanico ſuffragio voceque ſuâ eligunt) ſacrum Imperium tot ſæculis, ſuis humeris, corporibus, viribus, armis, equis, & reditibus, ſubditis, conſiliis, & vigiliis ſuis, cum laude & omnium ſtatuum bono, firmiter & conſtanter ſuſtinuerunt, & ad præſentem gloriam & amplitudinem perduxerunt.

Ad hæc

Adhæc (ut occupem quoque hoc velut metatorium causæ præsentis præmittere, & obiectionibus adversariorum nonnullis satisfacere) Res Electorales, licet restitutioni vel fideicommisso perpetuo obnoxiæ sint, pleno [a] tamen jure Electoris esse non desinunt: quia res illas velut hæres & sic dominus possidet, non tanquam fideicommissarius simplex; sunt enim Electoris ipsius, & ,ut ante dixi, pleno jure; quia re non spe tantum est dominus: & in eo differt ab Agnatis, qui spem tantùm habent fideicommissi, & nudi fideicommissarii sunt, nondum autem sunt illorum jurium reipsa domini.

Est etiam certissimum [b], hæredem fideicommisso universali gravatum rerum dominum esse, antequam dies vel conditio restitutionis existat: licet [c] res fideicommisso obnoxias servare, custodire, & liberis, Adgnatis, genti, familiæque restituere aliquando debeat: quia [d] pleno jure quis dominus esse non desinit, quamvis avelli, seu avocari dominium ab eo possit.

Est & hoc certissimum [e]: Onus post mortem restituendi, non tollere dominium in vita.

Et alioqui, nisi Princeps Elector, bonorum Electoralium (fideicommisso licet obnoxiorum) dominus esset & proprietarius (Ius semper alienandæ proprietatis excipio, ne quis hic nobis obstrepat), Dominium bonorum Electoralium (quod [f] absurdum est dici) dominium aliquod sine subiecto & pendens in aëre existeret: nam nec Elector ipse dominus bonorum illorum esset, nec ipse fideicommissarius sive proximus Agnatus, qui minus sanè juris in illis bonis quàm Elector ipse habet: quamdiu [g] enim proximior possessor (verbi gratia Electoris filius) adgnatum ulteriorem præcedit, Adgnatus utique spe tantum, voto, desiderio, affectu, fideicommissi diem expectat: & spem tantum è longinquo habet: cùm res ipsas Elector habeat, teneat, possideat.

Hæc itaque valdè semper distinguenda sunt: ut scilicet, Elector bonorum Electoralium dominus sit actu (salva & excepta eorum alienandorum potestate) Proximus verò Agnatus spe tantum, diem vel conditionem expectans: Administrator autem vel Tutor, curam, tutelam, sollicitudinem & defensionem & tuitionem omnium plenissimam habeat.

His accedat, Electorem, Genearcham, id est gentis, generis, familiæ, nominis & adgnationis totius authorem repræsentare: qui (Genearcha scilicet) bona Electoralia primitus nomini suo vel genti suæ adquisivit; qui legem hanc fideicommisso Electorali dedit: ut meritò Ele-

a] *l. generaliter 29. §. sub conditione. π. qui & a quibus manumiss.*

b] *Baldus. l. voluntatis 7. C. de fideicomm. Ias. l. servo legato §. 1. π. de legatis 1.*

c] *l. 17 in fin. ibi. quia plenum jus incipit habere. π. de rei vindic. l. Titia cum testamento 34. §. Titia cum nuberet. π. de legatis. 2. l. ult. C. de legatis.*

d] *Bald. & Angel. d. l. in fin. Tiraquellus de retractu gentilitio. §. 2. Gloss. 1. n. 38.*

e] *l. species auri. 15. in f. π. de auro.*

f] *l. 4 § sed &. Marcellus π. de in diem addict. l. ult. π. commun. prædior. Gloss. l. si ego. π. de solut.*

g] *l. peto. §. fratre. π. de legat. 2.*

ctori liberorum parenti, jus de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium tutela vel Cura invideri non debeat, tanquam authorem generis totius Electoratus repræsentanti: qui velut aliorum Adgnatorum caput, & asylum in adversis tutissimũ est & refugium: quem nemo gradu vel authoritate præcedit: qui denique cæteris & reliquis Parentis & Defensoris loco est: quo non existente, cæteri facilè possent protinus ruere vel opprimi: ut & quotidiana rerum experientia multis & indubitatis exemplis ostendit.

Et his quoque rationibus moti Doctores [a] tradunt, Successorem & Possessorem Maioratus in Hispania, dominum esse, non usufructuarium, multò minus usuarium: quia nec ususfructus, nec usus ad hæredem descendit vel transit: cùm Maioratus ad hæredem transeat: nec [b] ideò minus dominum dici, quod rem restitutioni obnoxiam & familiæ conservandam, alienare non possit.

a] Ludovicus Molina Hispanus, regis Philippi II. Hispaniæ quõdam Consiliarius Tractatu de primigeniis. lib. 1. c. 9. vers. contrariam tamen sentẽtiam & sequ. post Gregorium Peraltam, Arium Pinellum, Simancam, Covarruviã, Menchaucam id est Vasquium, Padillam, Avendanum, Antoniũ Gomezium.

b] l. non ideò minus. π. de rei vindicat. l. si fur. π. de usufructu: l. 1. § servi π. ad Sillanianum: l. ex asse. π. ad Trebell.

Hoc itaque Disputationis huius, velut fundamento generali posito, Electores scilicet, jus plenum potestatis, & Administrationis in liberos, subditos, bonaque Electoralia superstites ex se, & primitùs & solos, & semper, & morientes, & velut authorem primum generis sui repræsentantes habere; Consequens est, ut specialius probemus, Electoribus jus de liberorum, subditorum, & bonorum suorum tutelâ disponendi, nullo jure ademptum; imò permissum & concessum esse: Et proinde Serenissimum Fridericum quartum Electorem de his omnibus jure testatum fuisse.





Primum



PRIMVM omnium, ut à jure NATVRALI & GENTIVM (velut antiquiſſimo) faciamus initium, conſtat, liberorum non tantum procreationem ſed & [a] Educationem juris Naturæ: & omnibus etiam animalibus partus & ſobolis propriæ curam, naturâ ipſa inſitam: Et multò magis jus illud (quod homines attinet) Gentium jure receptum eſſe: ut parens curam liberorum ſuorum habeat: ut parentibus omnibus hæc pia ſanctaque pro liberis vis & poteſtas & ſollicitudo, jure naturali & Gentium ſit relicta.

I ADSERTIO. IVS NATVRALE ET GENTIVM.

a] l. 1. §. 3. π. de Iuſtitiâ.

SECVNDÒ. Eſt & hoc certiſſimum, utroque illo jure parentes, non tantum ſuperſtites (dum ſcilicet benè habent, & valent commodè, & rectè res ſuas gerunt) ſed & morientes, liberos teneriter amare & eorum curam gerere: στοργαὶ quippe illæ ſunt σύμφυαι: affectiones illæ naturales ſunt, & omnibus humanioribus gentibus inditæ: & parentibus morientibus (ſi unquam maximè) inſitæ, ut parentibus ipſis non poſſint ulla lege adimi.

Hinc fit, ut parentes liberis ſuis adquirere & voto ſuo deſtinare, etiam poſt mortem ſuam, cenſeantur vel præſumantur, quæcumque ipſi adquiſiverunt. Ratio [b] naturalis (inquit Paulus I.C.) quaſi lex quædam tacita liberis parentum hæreditates addicit, velut ad debitam ſucceſſionem eos vocando: Propter quod & in Iure Civili SVORVM [c] hæredum nomen eis inditum eſt: ac ne judicio quidem parentis, niſi meritis de cauſis, ſubmoveri ab eâ ſucceſſione poſſunt.

b] l. cùm ratio. 7. π. de bonis damnat.
c] d. l. 7. l. 1. l. in ſuis. π. de liberis & poſthumis.
§. 2. Inſt. de hæredum qualit.
l. cum furioſo 7. §. 2. ibi, in paterna quidem hæreditate. quæ quaſi debita ad poſteritatem ſuam devolvitur, cùm illico appareat & ſuum hæres exiſtat ſuis parentibus. C. de Curat. furioſi.

Ab illo ſanè amore, affectu, voto (parentibus & Naturali & Gentium jure infuſo, perpetuo, conſtante, divino) Ius teſtandi, ab initio, liberorum potiſſimùm gratia introductum eſſe putandum eſt: ut ſcilicet, quibus liberis proſpicere mortui iam parentes non poterant, ſuperſtites ac morientes ſaltem conſulerent: & regendis ac tuendis eorum perſonis & bonis, proximos, notos, amicos, conjunctos & fidos præficerent, & alienigenis vel ſuſpectis, aut ad prædam venientibus aut hiantibus eos præponerent.

Hanc itaque ſollicitudinem, providentiam, curam, vim ac poteſtatem parentibus (etiam vulgaribus & privatis) adimere, nihil aliud

ſanè (gentium omnium judicio) fuerit, quàm Naturæ bellum indicere, & adverſus omnes gentes, furore quodam, non ratione, pugnare.

TERTIÒ. Abſurdum & hoc ſequitur, quòd, adverſariorum ſententiâ receptâ, ſolatio omnium maximo parentes ipſi ſpolientur: quod ſcilicet morituri velint liberis Tutores relinquere, & ſic liberis prodeſſe, nec tamen ullo modo poſſint. Nullum [a] enim videtur mortis ſolatium maius quàm voluntas ultima ultra mortem.

QVARTÒ. Sequitur illud etiam perabſurdum, quòd proſpiciendi liberis eorumque bonis, facultate parentibus ademptâ, pœna (præmiorum quæ merentur loco) prædura nimis, & ipſa morte penè triſtior, & acerbior, innocentibus & nihil tale meritis parentibus infligitur: & ibi [b] ſit (contra fas omne) pœna, ubi nullum ſit delictum vel admiſſum.

QVINTÒ. His accedat, quòd cùm parentibus ſuis orbati Minores ipſi, commiſeratione, favore, ope, auxilioque juris omniumque hominum, digni ſint, Tutoris vel Curatoris eis eligendi poteſtas, nullis prorſus perſonis iuſtius committi, quàm parentibus poſſit: quia nullus [c] affectus vincit paternum: nulla pietas vel providentia patris curam prævertit. Lex enim Civilis, licet Minoribus proſpiciat, Legitimos Tutores eis dando: legis tamen hæc proſpicientia vel providentia generalis & è longinquo eſt cùm paterna ſit ſpecialis, & in proximo & in individuo, ut minus falli poſſit aut decipi. Lex præſumit pro Agnatorum fide: pater verò non præſumit, ſed ſcit potius aut novit, & experientiâ ipſa didicit, qui regendis liberis Tutores & Curatores idonei ſint, nec ſuſpecti. Ac propterea nullum teſtimonium paterno maius eſſe dicitur. Et ita fit, ut Tutor à patre datus ſatisdare non cogatur, paterno [d] ſcilicet teſtimonio pro eius ſatisdatione ſufficiente: quia fides eius & diligentia ab ipſo ſatis teſtatore adprobata eſt: Cùm [e] tamen Tutor à lege datus adgnato vel cognato ſatisdare teneatur. Tanta adeò inter teſtamentarios & legitimos tutores differentia eſt.

SEXTÒ. His tot rationibus accedat, quòd non tantum à Theophilo [f], ſed à Latinis interpretibus communiore [g] Doctorum calculo, διαθήκας συγχωρεῖσθαι, teſtamenta condere vel teſtamenti factio juris gentium eſſe traditur: ut hoc jure gentium arceri invitum, contra jus gentium ſit.

SEPTIMÒ. Præcedentibus ſequentes adiungantur rationes. Ius de liberorum tutela teſtandi, jus ideò gentium dici poſſe, quòd [h] teſtamenti factio non privati, ſed publici juris ſit, quòd cauſas in jure naturali

a] *Quintil Declamat. 308.*

b] *l. ſancimus 22. Cod. de pœnis. l. crimen. 26. π. de pœnis.*

c] *l. cùm furioſus 7. Cod. de curat. furios.*

d] *l. de creationibus. 27. Cod de Epiſcopali audientia. l cum furioſus. 7 § & ſiquidem 5. C. de curat. furioſi. Inſtitut. de ſatisd. tut. in pr.*

e] *Inſt. de ſatisd. tut. in pr.*

f] *Inſt. de jure Naturali gent & civ. in pr.*

g] *Bartol l. interdum. 29. n. 7. π. de condict. indebiti. Corneus in l ſi teſtamentum n. 1 & 3 Cod de Teſtam. Iaſ. in l. admonendi. n. 184. π. de iniuriis. Didacus. 3. Reſolut 6. Clarus. 3. Sentent. § teſtam. q. 2. Nonius. Inſt. de ſatisd.*

h] *l. 3. π. qui teſtamenta facere.*

turali positas habeat, quæ ad omnium hominum utilitatem pertinent: Quod [a] jus illud publicum testandi nulla mundi authoritas simpliciter adimere possit: nec [b] si quis sacram impetret formam, aut quidquam omninò (id est, licet quis Rescriptum Principis obtineat, ut alicui factione testamenti interdicatur: Et sanè ex Novella 22. apparet ultimas voluntates, leges vel sanctiones appellari, quin & authoritati Principis præferri): Quod [c] nemo sibi possit eripere futuram testandi libertatem: adeò, ut si quis se non testaturum juraverit, is nihilo magis obligetur, quàm si naturæ jus ejurasset: Quod [d] nulla sit sub Sole cautela, qua possit impediri testamenti factio, servata communi vel speciali juris forma: Quòd, interdici vel prohiberi gentium uti jure, gravis & enormis omnium injuria [e] sit.

Hæc eò retuli paulò fusius forte quàm par fuit, sed ut omnes tamen huius controversiæ fundamenta melius intelligerent: Ius illud (testandi scilicet de liberorum & bonorum suorum tutela) Serenissimo Principi Electori defuncto, (Iure Gentium immutabili, & publico, & parentibus omnibus concesso) integrum, liberum, salvumque mansisse: nec ulla lege, nullave Bulla, vel Declaratione, nullo denique Principum rescripto, nullo jurejurando, nulla pactione, vel conventione eripi ei potuisse: ac proinde, de liberorum, bonorumque suorum Cura, jure Gentium rectè testatum.

OCTAVÒ. Potest hoc amplius dici, de subditorum quoque suorum tutela testari, Principi jure gentium permitti. Notissimum est enim ex [f] Iure Gentium, discretas esse gentes, regna condita, dominia distincta, agris terminos positos: Et consequenter Regibus, Principibus & Magistratibus, subditorum Curam jure Gentium permissam esse: & pro subditis eosdem, fidelium Pastorū more vigilare, prospicere: Imò & parentum modo; ut eam ob causam, & pium erga subditos affectum & meritum, PATRES PATRIÆ [g] vocentur. Et ita sanè est; Salutem [h] Reipublicæ tueri nulli magis convenit quàm Principi committi; nec alius ei rei quàm Princeps ipse sufficit.

II.

ADSERTIO.

IVS PHILOSOPHICVM.

§ SECVNDA RATIO, Neq; solum apud plerasque gentes, non omnino Barbaras, ita ut diximus receptum fuit; sed & si quæ fingi à Philosophis idæa Reipub. benè constitutæ potuit, magis quod ita esse deberet, quàm quod uspiam terrarum extaret; hæc ipsa juris pars non est ab eis aut omissa, aut aliter ordinata: ipsa nimirum ratione sana & luce Naturæ ita dictante. Ita enim summus Philosophorum Plato [i] cir-

a] *arg. §. sed naturalia Inst. de Iure Naturali.*

b] *Nov de Nuptiis, 22.*

c] *l. stipulatio hoc modo concepta. ff. de V. O. arg. l. pactum C de pactis. c. non est obligatoriū de pact. in 6.*

d] *l. si mihi 12 § in legatis. ff de legatis 1. l si quis in pr. ff de legat. 3 Vbi Bartolus falsum Dyni consilium reprobat.*

e] *l. 2. §. post hoc 46. ff. de origine juris. l. Injuriarum 13 §. si quis me prohibet. 7. vers. & plerisq; ff. de injur.*

f] *l. ex hoc jure. 5. ff. de justitia*

g] *l 19. ff. de interdictis & relegat. Seneca. 1. de Clementia 14. Appian. 2. Civilium. adde Nov. 8. c 8.*

h] *l. 3. ff. de off. Præfecti vigilum.*

i] *11. de legibus.*

ca Tutelas obtinere voluit: ὧδ᾽ ἂν ἐπιτρόπων οἱ παῖδες δέονται, ἐὰν μὲν διαθέμενος τελευτᾷ, καὶ γράψας ἐπιτρόπους τοῖς παισὶν ἑκόντας τε καὶ ὁμολογοῦντας ἐπιτροπεύσειν, οὑστινασοῦν καὶ ὁπόσους ἂν ἐθέλῃ, κατὰ ταῦτα τὰ γραφέντα ἡ τῶν ἐπιτρόπων αἵρεσις γιγνέσθω κυρία. ἐὰν δὲ ἢ τοπαράπαν μὴ διαθέμενος τελευτήσῃ τις, ἢ τῆς τῶν ἐπιτρόπων αἱρέσεως ἐλλιπής, ἐπιτρόπους εἶναι τοὺς ἐγγύτατα γένει πρὸς πατρὸς καὶ μητρὸς κυρίους, &c. Quod Marsilius Ficinus ita reddidit: *Si cui liberi tutoribus indigent, & idem moriens testamento tutores, quoscunq; & quotcunque velit constituerit, qui tutandi officium suscipere velint, ita fiat sicut descripserit. Sin verò vel intestatus naturæ concesserit, vel tutores non conscripserit; qui genere proximi sunt, duo ex parte patris, duoq; ex parte matris, atq; unus ex mortui amicis, tutelam suscipiant.* Hæc ille.

SED MISSO Iure Gentium & Philosophico, ad Divinum transeamus, & Electoribus jus hoc tutelæ, Iure quoque Divino vindicemus & adseramus.

III. ADSERTIO. IVS DIVINVM.

§ TERTIA sit itaque RATIO PRINCIPALIS, testamentariæ tutelæ Electoralis confirmandæ, probandæ, tuendæ: Quòd Apostolus [a] Gentium (& sic noster) Testamentarias parentum tutelas confirmet. *Quanto tempore* (inquit) *parvulus* [b] *quis vel infans est, nihil differt a servo, quamvis sit dominus omnium: sed sub* [c] *Tutoribus & Actoribus (id est Curatoribus) est*, VSQVE AD TEMPVS QVOD PATER PRÆFINIERIT.

Ex eo loco satis apparet, Iure Divino seu Evangelico parentibus permitti, liberis suis Minoribus, Tutores & Curatores dare, & tempus etiam tutelæ curæve præstituere. Quod ultimum, ex legibus nostris sic accipio: Patri scilicet, licere liberis Tutorem à certo [d] tempore & ad certum usq; tempus, vel sub [e] conditione & ad diem usque dare: alioqui patris ipsius non est, pubertatem liberorum vel pubertatis annos finire, restringere vel extendere; quia [f] legis hoc est vel Iudicis [g] proprium, pubertatis ipsius annos constituere.

SECVNDÒ, favet huic juri, quod [h] parentibus curam SVORVM habere jure divino liceat: Imò qui SVORVM & maximè DOMESTICORVM curam non habet, jure divino fidem abnegasse dicitur, & quovis infideli deterior censetur. Ac proinde qui patri & quidem Principi, Capitique familiæ totius Palatinæ, jus de liberorum & subditorum tutelâ testandi adimere nititur, is utique tacitè postulare hoc quoque

a] *Paulus ad Galatas 4. in pr.*
b] νήπιος.
c] ὑπ᾽ ἐπιτρόπους ἐστὶ καὶ οἰκονόμους.
d] *l. Tutor datus 8. §. Tutorem. 2. π. de Test. Tutela.*
e] *§ 2. Inst. quibus modis Tutela finitur.*
f] *Inst quibus modis Tutela finitur in pr.*
g] *l. minor. 32. π. de minoribus. l. 3 C. si minor se maiorem.*
h] *1. Timoth. 5. v. 8.*

quoque præsumendus est, ut scilicet Elector fidem suam abneget, & quovis infideli deterior sit. SVORVM enim & DOMESTICORVM appellatione non tantum liberos (qui nostro jure passim SVI appellantur) sed & subditos[a] (in potestate videlicet Principis sui positos) intelligi oportet. Sunt enim Principi suo Domestici & Domesticorum loco: cùm nihil aliud sit Regnum vel Principatus, quàm latè patens & amplissima quædam domus, vel familia: ut & retrò domus[b], pusillum quoddam regnum, in quo velut Regem aut Principem paterfamiliâs agit: ἡ[c] γὰρ οἰκονομικὴ μοναρχία.

TERTIÒ, Facit, sententia hæc Evangelica: *Si[d] filius, igitur hæres*: & altera, *Si[e] semen estis, igitur hæredes*. Hinc enim colligo, paternæ pietatis esse ac providentiæ, prospicere & disponere posse, ut liberi sint & maneant hæredes: & consequenter parentibus licere, testamento suo liberis Tutores idoneos & fidos eligere; ne à suspectis regantur. Parùm enim foret parenti, liberis hæreditatem aliquam (& opimam maximè) multis curis & ærumnis partam, custoditam, servatam relinquere, nisi & secundùm patris ipsius voluntatem & arbitrium, servata magno labore successio vel hæreditas, liberis ipsis salva, tuta, maneret & integra.

QVARTÒ, potest & ad jus divinum referri, quod à plerisque Testamentum dicitur Typus quidam esse vel figura vitæ spei que posthumæ, scilicet Immortalitatis & æternitatis nostræ. Et sanè Tullius[f] hoc prorsus utitur argumento (naturali licet tantum ratione perductus): Tacitum scilicet esse judicium immortalitatis, quòd omnibus hominibus curæ sint (& maximæ quidem) ea quæ post mortem sunt futura. *Quid* (inquit) *procreatio liberorum? quid propagatio nominis? quid adoptiones filiorum? quid* TESTAMENTORVM *diligentia? quid ipsa sepulchrorum cura, quid elogia significant, nisi* NOS FVTVRA COGITARE? Et Tertullianus in libro De testimonio Animæ, cap. 4. *Vnde anima hodie affectaret aliquid, quod velit post mortem, si nihil de postero sciret?* Possent & alia eiusmodi veterum testimonia proferri, quæ brevitatis gratiâ prætermitto.

a] *arg. l. 6. l. 9. l penult. ff. de Testibus: l. 20. ff. qui Testamenta.*
b] *Chilon apud Laertium lib. 1. & Stobæi sermone. 83.*
c] *Aristoteles 1. Oeconomicorum.*
d] *ad Galat. 4. v. 7.*
e] *ad Galat. 3 v. ult.*
f] *1. Tuscul.*

IIII. ADSERTIO. IVS CANONICVM.

¶ QVARTA RATIO, Quæ Testamentariam hanc Tutelam Electoralem tuetur & defendit, ex CANONICO jure sumi poterit.

Certissimum est enim, Ius hoc, pias morientium, & parentum maximè, dispositiones ratas habere, juvare, probare: præcipuum quippe juris illud obiectum esse traditur, Pietas, Fides, Æquitas, Conscientia.

ſcientia. At inter præcipua pietatis officia merito ſuo cenſeri poteſt paterna pro liberis cura, diſpenſatio ac diſpoſitio: adeò ut liberorum ipſorum intuitu Ius Canonicum [a] potiora liberorum jura quàm ipſius Eccleſiæ cenſeat: ut Eccleſiæ commodis, liberis utilia præferat: ut parentibus res & facultates ſuas non modò regendas liberè permittat, ſed etiam acceptas & Eccleſiæ iam donatas vel traditas, parentibus ultrò reddat & reſtituat, ut parentes ipſi liberis ſuis eas ſervent & relinquant: & pro animi ſui voluntate de iis inter vivos vel Teſtamento liberè & quomodocunque diſponant.

a] *17. q. 4. c. ult. Auguſtinus ſermone 2. de vita Clericorum.*

Secundò, Notandum eſt, Ius Canonicum, [b] triplices Tutelas admittere, & ſic non ſolùm Dativas & Legitimas, ſed & Teſtamentarias: & eo quidem modo, ut Teſtamentarias utriſque præponat: ut eâ parte Ius Canonicum Civili juri nihil deroget, ſed Ius Civile ſtabiliat & confirmet.

b] *16. q. 1. c. generaliter 40.*

Tertiò. Iuri Canonico poteſt adiici; [c] munus & officium Epiſcoporum inter cætera eſſe, curare & advigilare, ut Tutelæ teſtamentariæ exitum ſortiantur, & ad finem ſuum perducantur.

c] *l. de creationibus. 27 C. de Epiſcopali audientia.*

Addatur & illud Auguſtini [d]. *Pro magno* (inquit) *commendantur Epiſcopis. pupillorum patrimonia. Pupillum tuetur Epiſcopus, ne mortuis parentibus ab extraneis opprimatur.* Hæc Auguſtinus. Vnde colligo, Epiſcoporum munus eſſe proſpicere, ne pupilli vel minores ab illis regantur, quos parens pupillorum vetuit: vel quos ſuſpectos aut excuſatos eſſe (iuſtiſſimis de cauſis) voluit: Et rurſus vel poſtremò colligo, Teſtamentariam hanc Tutelam Electoralem, jure quoque Canonico tuendam eſſe.

d] *De verbis Apoſtoli Sermone 10.*

V.
Adsertio.
Ius Civile.

¶ Qvinta principalis ratio, Teſtamentariam hanc Tutelam Electoralem confirmans, in Ivris Civilis legibus, diſpoſitionibus & conſtitutionibus apertiſſimis conſiſtit.

Primvm enim, ut hoc præmittam, Omnes qui Ius Civile profitentur, norunt optimè, Iure Civili & quidem antiquiſſimo (nempe XII. Tabularum) quod & ad extremum uſque tempus Imperii Romani ſervatum eſt, & quo nunc velut communi jure (ſpecialibus aliis deficientibus) utimur & uti debemus, permiſſum [e] & liberum eſſe, Parentibus Civibus Romanis (quales hodie rectè quoque dixeris Electores eſſe) Tutores & Curatores liberis in poteſtate poſitis teſtamento dare. Quinimò liberis emancipatis [f] (id eſt in poteſtate patris ſui non poſitis) tutores à patre dati, ſententiâ Iudicis confirmandi ſunt omnimodo, id

e] *l. 1. π. de Teſtam. Tutelâ: § permiſſum. Inſt. de Tutel.*

f] *§. Vlt. Inſt. de Tutel.*

do, id est, sine inquisitione, vel satisdatione: quia paternum [a], ut diximus iam, testimonium, inquisitionis & satisdationis loco est, & [b] fides eorum & diligentia ab ipso testatore satis adprobata est.

Hanc potestatem parentibus, *civibus Imperii Romani*, lex Civilis permisit: spretis & calcatis stricti juris in eo rationibus. Nam si quis subtiles juris scrupulositates spectaret, dicendum esset: Parentem liberis suis testamento Tutores dare non posse: utpote, patriâ eius potestate per mortem finitâ, & liberis eius, per eius mortem, sui juris suæque potestatis jam effectis. Et jus tamen Civile Tutelis parentum testamentariis adeò favit, & æquas iustasque tutelas testamentarias censuit: ut (contemptis illis stricti juris cavillis) has insignes & nobiles reliquias domesticæ, patriæque potestatis, ipsis parentibus morientibus sartas tectas *post mortem etiam eorum* esse voluerit: ut scilicet, testari de liberorum & rerum ad liberos pertinentium Tutelâ vel Curâ possint liberè: nec alios Tutores habeant liberi, quàm qui secundum leges à parentibus ipsis dati fuerint, si tamen eos parentes dederint.

SECUNDÒ, valde notandum est, Ius Civile Testamentarias Tutelas & earum dispositiones adeò charas & commendatas habere, ut omnibus & legitimis & dativis eas præferat: et legitimis Tutelis locum esse nolit, quamdiu [c] testamentaria Tutela sit, vel speretur. Ad eum scilicet modum successionibus [d] ab intestato, testamentarias: & rursus [e] bonorum possessiones secundum tabulas, bonorum possessionibus ab intestato Ius Civile Prætoriumque prætulit.

TERTIÒ notandum est, adeò Iure Civili Testamentarias Tutelas, liberas, favorabiles, justas & æquas visas fuisse: ut etiam Ius Civile (quod quis absurdissimum & injustissimum prima facie putaret) patri permittat, & servum alienum [f], cùm liber erit: & servum proprium [g] (cum libertate [h] etiam tacitâ) liberis suis Tutorem dare: & sic Adgnatis (quod maximè advertendum est) & legitimis præferre. Veteres enim non dubitarunt, virtute fideque in servis deprehensâ, liberis eos tam pædagogos [i] quàm tutores relinquere: unde colligo: Patrem-familiâs quemque, Civili jure, remotiores Adgnatos proximioribus præferre posse: cùm & proximioribus ipsis, liceat parentibus extraneos præferre.

QUARTÒ prædictis accedat, quod in genere de Testandi libertate Civili jure traditur; *Publicè* [k] scilicet *expedire, ut supremæ hominum judicia exitum habeant*: Et, *nihil* [l] *esse quod magis hominibus debeatur, quàm ut supremæ voluntatis (postquam jam aliud velle paterfa-*

a] *l. de creationibus. 27. C. de Episcopali audientia.*
b] *Inst. de satisdat. Tutor.*
c] *l. si quis sub conditione. 11. ff. de Testam. Tutelâ. Inst. de legitim. Adgnat. Tut.*
d] *l. 1. ff. si quis omissa causa test.*
e] *l. 1. ff. si tabulæ Test. nulla extabunt. §. sunt autem. 3. vers. & cum de testam. Inst. de bonor poss.*
f] *§. 1. vers. servus autem alienus. Inst. qui testam. tut. dari. l. si hereditas 10. §. ult. ff. de testam. Tut.*
g] *§. 1. Inst. qui test. Tutores dari.*
h] *l. 9. C. de fideicom. libert.*
i] *l. collactaneus. ff. de manumiss. vindict.*
k] *l. vel negare ff. testam. quemad. aperiantur.*
l] *l. 1. C. de sacros.*

miliâs non potest) liber sit stilus, & licitum quod iterum non redit arbitrium. Hæc enim potestas non uni parenti conceditur, sed omnibus: imò non concessa tantum, sed etiam (ut lex ait) *debita* est : ideoque ignorantibus vel invitis eripi non potest.

Cæterùm, si prædictæ sententiæ ad Institutiones, Substitutiones, Legata vel Fideicommissa pecuniaria, libertates & cætera id genus pertinent : Quantò magis ad Tutelas, quæ personas & liberos & quidem Testatorum ipsorum spectant? ut scilicet hæc testandi potestas parentibus nulla lege vel sanctione possit auferri : utpote propria; vel res inter omnes, eis maximè debita.

QVINTÒ, libertatem testandi de liberorum Tutelâ, bonorumque ad eos pertinentium administratione, hoc etiam demonstrat : quòd privatus paterfamiliâs possit, sua multò superiorē personam (verbi gratia, Prætorem [a] vel Consulem) liberis suis testamento Tutorem dare : adeò ut Tutoris illam dationem lex civilis confirmet : non quòd privatis hominibus & inferioribus superiores in huiusmodi personas, Iurisdictio sit aliqua (ordinaria scilicet) sed, quòd [b] jure testamenti, privati hanc potestatem habeant, liberis, ut lubet, Tutores eligendi.

SEXTÒ, potest [c] parens Civili jure (quod in hac causâ seu controversiâ valde etiam notandum est) prohibere, ne is vel ille tutor creetur vel admittatur. Ideoque si parens huiusmodi prohibitionem fecerit; prohibitum, creari tutorem non oportebit: si [d] creatus fuerit, nec recusaverit, prohibendus tamen adhuc erit tutor esse: Meritò: nam si potest per quemcunque legitimus [e] etiam Tutor suspectus postulari: poterit & multò magis per defunctum ipsum parentem proximus Agnatus removeri, si suspectum eum testator ipse putaverit.

SEPTIMÒ, Principibus Electoribus testandi de liberorum, subditorum, bonorumque tutelâ, facultate, quæ civibus Romanis ætatis legitimæ & quidem probis & honestis competit, denegatâ, absurda multa sequerentur. Nam vel Latinis [f] antiquis (quorum sublata est hodie conditio) Principes Electores similes fierent; vel Deditiiis [g], quibus jus testandi non fuit : vel etiam deportatis [h], vel prodigis, quibus bonis interdictum est, aut etiam illis, quos leges Intestabiles faciunt. Hoc autem jus publicum civibus omnibus Romanis, & multò magis Electoribus permissum & concessum, liberum, auferre vel adimere velle, nec eos sinere uti jure suo, jure publico, jure communi, injuria [i] atrocissima est : Et atrocior eò, quò persona sublimior & eminentior est, cui jus testandi quis adimere desiderat. Ex personâ [k] quippe

a] *l. Tutor incertus. 20. § 1 π. de testam. Tutor.*
b] *Bald. d. l.*
c] *l. scire oportet 21. §. sed & si quis. 2. π. de Tutoribus datis. l. unica. C. si cont. volunt matr. tut. dat.*
d] *arg l. 3. l. 4. π. de suspectis. Alciat. 2. Parergôn 29.*
e] *l. 1 §. ostendimus. 5 vers quare & si legitimus. π. de suspect. Tutorib.*
f] *§. 4. Inst. de success. libert. Gaius. 1. Instit. 1 §. 5.*
g] *d. §. 4 d. §. 5.*
h] *l deportatus 15. ibi, nisi in fraudem fisci qui ei mortuo successurus est π. de interdictis & relegatis.*
i] *l. iniuriarum, 13. § si quis 7. ibi, aut si quis re meâ uti non permittat.*
k] *l. aut facta. 16. §. persona 3. π. de pœnis. l. actionem 4. Cod. de Iniuriis.*

quippe patientis & iniuriâ affecti, iniuria gravior & maior censetur, & severius semper vindicanda est.

Nec his obstabit, quod aiunt adversarii, liberam non esse de Tutela Electorali testandi facultatem, utpote Caroli IIII. Bulla & Sigismundi Declarationibus, contra jus commune Romanum & Civile, Electoribus ademptam. Hoc (inquam) non obstabit: quia verum non est, ut XXXXIIII refutatione plenius diximus.

VI. ADSERTIO. IVS MILITARE.

¶ SEXTA PRINCIPALIS RATIO, Principis Electoris testamentum vel testamentariam Tutelam eius defendens, MILITARI IVRE firmari poterit. Sciunt enim omnes, quantis privilegiis Milites legibus sint donati: ut scilicet possint, quo [a] voluerint modo testari. Quantò magis Tribuni, Duces, Militum Magistri & ἀρχιστρατηγοί, quales sanè Principes Electores Imperii meritò dixeris? Constat autem, milites posse liberis suis testamento Tutores dare: liberis (inquam) suis, quos [b] in potestate habent. Atenim Principes Electores liberos vel subditos in suâ potestate non habere, cùm vel caligati milites patresfamiliâs habeant, quis quæso dixerit aut Electoribus ullis persuaserit? Inde colligitur: Principis Electoris defuncti testamentariam tutelam, jure quoque militari tuendam esse: nec Electores militibus caligatis [c] vel protectoribus eâ parte cedere debere.

a] *l. 1. & passim. C. de testam. militis.*
b] *l. 2. π. de Testam. Tutelâ.* *l. Impuberi 40. π. de administr. Tut.* *l. miles 42. §. nec Tutorem, 2. π. de Testâ. militis.*
c] *l. à caligato. 21. C. de Nuptiis.*

VII. ADSERTIO. IVS FEVDALE.

¶ SEPTIMA RATIO PRINCIPALIS, testamentariam hanc Tutelam Electoralem adjuvans, ex IVRE FEVDALI peti poterit. Nam cum Serenissimus Princeps Elector bona juraque Electoralia ab Imperio & Imperatore moventia jure Feudi possideat & habeat, potest sanè non minus, quàm quivis alius feuda possidens (ut quàm plurimis rationibus & argumentis nunc probabo) de bonorum & Iurium Electoralium tutelâ & administratione testamento disponere: licet [d] feuda naturâ suâ inalienabilia sint: Denique non minus in illo jure, pio, sancto, ac favorabili tuendi sunt Electores, quàm simplices & vulgares Vasalli.

Interpretes Iuris Feudalis hanc communem sententiam, quàm variis & quàm validis rationibus & argumentis defendant, audiamus.

Prima [e] *sententia*. Paterfamiliâs bonorum Allodialium & Feudalium possessor, Tutorem liberis suis non tantum in Allodialibus *sed & in Feudalibus* dare testamento suo potest.

Secunda [f]. Vasallus potest liberis suis Tutorem dare, non illum

d] *tit. de prohibita feudi alien.*
e] *Schraderus tractatu de Feudis, parte 11. sect. 19.*
f] *idem Schrad. d. sect. 19. §. Secundò concludo.*

tantum, qui qualitatem feudalem habeat, & vasallus sit eiusdem domini, *sed etiam penitus extraneum*, & qui non sit eiusdem domini vasallus; quia id jure prohibitum non est nec correctum: et rursus, quia & civili [a] jure constat, patrem posse testamento suo Tutorem dare eum, qui diversæ jurisdictioni sit subiectus: et postremò, quia [b] tutor potest dari ei, qui diversæ & alterius qualitatis & conditionis est.

Tertia [c]. Pater non tantum nominatim liberis suis in bonis huiusmodi Feudalibus Iurisdictionum dare potest, *sed etiam Tacitè*: nempe, ut si testamento simpliciter tutorem liberis suis dederit, eum & in Allodialibus & in Feudalibus dedisse præsumendus sit: & Tutor simpliciter ita datus, Feudalia bona & jura curare & administrare possit & debeat. Datos [d] enim Tutores simpliciter, ad universum patrimonium datos esse intelligi.

Quarta [e] *sententia*. Adeò libera est de bonorum Feudalium tutelâ testandi cuiq; facultas, ut parens possit, si velit, unum vel certum tutorem bonis Allodialibus, *alium verò Feudalibus dare*. Licet enim rei certæ [f] vel causæ Tutor dari nequeat: quoniam tamen bona feudalia ab allodialibus sunt distincta & separata, & diversis jurisdictionibus subiecta, (nempe allodialia, ordinario: feudalia verò, feudali Iudici) patrifamiliâs meritò permittitur, liberorum suorum patrimoniis ita [g] distinctis diversos Tutores dare.

Quinta [h] *regula*. Pater non tantum feudorum vulgarium bonis, *sed & in feudis jurisdictionum regalium* (nempe Ducatus, Comitatus & similibus) Tutorem liberis suis dare potest.

Sexta [i]. Tutor in feudalibus bonis à patre datus, legitimis & dativis *præfertur* [k]. Semper [l] enim legitima tutela testamentariæ cedit. Quinimò, Testamentaria Tutela patris, præfertur legitimæ tutelæ matri [m] & aviæ per legem delatæ: quin etiam licet [n] is, qui testamento tutorem dedit, vel is qui datus est, vel uterque, sit Rex, Dux, Marchio, Comes: vel licet is tutor datus sit respectu Regni, Ducatus, Marchiæ, Comitatus. Semper [o] enim testamentarius tutor præfertur legitimo.

Septima

a] *l. quæro, 32. π. de Testam. Tut. l. ult. π. de excusat. Tut. l. testamento, 11 Cod. eod. v. Schrader. d. sectione 19.*

b] *l. & qui non sunt consiliarii vel Senatores. 22. l. pupillo 27. § 1. π. de Tutoribus datis ab his: l. spadonem. 15 §. scire oportet. π. de excusat. Tutor.*

c] *Schraderus. d. sect. 19 §. Tertiò concludo. Rosenthalius de feud. c. 12. conclus. 10. 11. 12.*

d] *l non solum. 10. §. & quæ testamento. 4. l. propter litem 21. §. licet datus Tutor. 2. l. jurisperitos. 30. §. cùm oriundus ex provincia 1. π. de excus. tutor: l Testamento Tutor datus. 11. C. de excusat. Tutor. §. datus. 17. Inst. de excusat. Tut. Romanus consil. 188.*

e] *Schraderus. d sectione 19 §. Quartò concludo.*

f] *l. certarum. 12. π. de Test. Tut. §. certæ rei. Inst. qui Test. tut.*

g] *l si tamen 15. ubi Doctores π de Test. Tut. §. certæ rei. Inst. qui Test. tutor.*

h] *Schraderus. d sect. 19 §. Quintò concludo. adde Iacobinum de S. Georgio tractatu de feudis § Carolus: Rolandum à Valle. 2. Cons 8 n. 58. ubi Laudensem allegat tractatu de officialibus dominorum: & Barbatiam. 3 Consil. 11: Bursat. 2. Consil 147.*

i] *Schraderus d. sect. 19. §. Sexto concludo.*

k] *l si quis sub conditione. 11. & ibi Bartolus π. de Test Tut*

l] *l si tutor 9. § si duobus. 1. π. de Tutelæ & rat. distr. l. 3 Cod. de Test. Tut. Inst. de legit. Adgn. Tut. Gloss l. 1. π de Test. Tut.*

m] *Novella de hered. ab intest. 118 § exhæredantem. Auth matri & aviæ Cod quando mulier Tutelæ off.*

n] *Schraderus. d sect 19. n. 21.*

o] *l si tutor. 9. §. 1. π. de Tutelæ & rationib. distrah. & argumento ducto à Rubricarum Tutelarum ordine.*

Septima. Patrifamilias adeò plena & libera de Administratione bonorum suorum feudalium potestas est concessa, ut possit parens *in Diversis* [a] *bonis feudalibus* (sitis scilicet vel positis in diversis territoriis & Iurisdictionibus) diversos Tutores dare: paterfamiliàs (inquam) sive vulgaria bona possideat; sive [b] Regalia, Ducalia, qualia Reges, Duces, vel his similes habent.

Octava [c]. Paterfamiliâs potest, feudalibus bonis suis Tutorem *etiam minus* [d] *solemni Testamento dare*: & licet ita datus sit, confirmandus est tamen à Prætore: Imò confirmatione Prætoris vel superioris non indiget, si qui tutorem dedit, feuda vel jura regalia possideat: licet datus [e] minus solemni testamento à privatis, confirmatione Prætoris egeat, nec administrare possit, nisi à Prætore confirmatus sit. Ratio autem huius sententiæ multiplex est: nempe, quòd prædictæ personæ (feudalia scilicet vel jura regalia possidentes) in suis Ducatibus, Comitatibus, & Principatibus ea possint, quæ summus Princeps id est Imperator in toto Imperio potest: Item, quòd acta coràm huiusmodi Principe Regia jura & Regalia possidente, solemnia præsumantur: Et rursus, quòd [f] facta vel disposita ab huiusmodi personis, statim & sic ipso jure valeant & rata sint: Quid amplius? quòd militari jure (& sic minus solemniter) velut milites, imò velut militum & exercituum Magistri vel Duces supremi testari possint: Ad hæc quòd Princeps præsentiâ suâ solemnitates & defectus omnes legum suppleat; ut in donationum insinuationibus, manumissionibus [g], ita & in testamentis [h] & ultimis voluntatibus: cùm tamen aliud [i] in privatis personis existat.

Nona sententia feudalis, quæ prædictarum omnium rationem evidentissimam & apertam continet, hæc est: quòd *Iura de testamentariis Tutelis loquentia, generaliter loquantur*, & sic generaliter intelligenda sint, non tantum de privatis sed & Principibus: sive quòd [k] generalis dispositio, Principes quoque comprehendat; sive quòd Principes privatis, in testamentis faciendis liberiores sint.

Decima. Quòd *non possit justa differentia ratio hic adferri inter bona feudalia & allodialia*, præsertim in huiusmodi causa adeò piâ, honestâ & favorabili: in qua, de patris potestate in liberos, & dominorum Curâ Tutelaque, & subditorum commodis & administratione tractatur. Nam ubi eadem ratio, ibi & eadem æquitas, & juris dispositio esse debet.

Undecima. Cùm *jure feudali nominatim non sit adempta paren-*

a] *Schraderus. d. sect. 19. n. 15. vel. 55.*

b] *arg. l. Unica. C. de tutor. vel Curat. illustr. pers. Tiraquel. de primogen. parte 4. n. 210.*

c] *Schraderus. d. sect. 19. n. 18.*

d] *arg. l. peto 69. §. mater. 2 ibi non ideò minus: & ibi nam & si pater π. de legat. 2.*

e] *l. qui à patre. 3. π. de contrar. tut. l. 2. Cod. eod.*


f] *Bald. l. sancimus. 31. Cod. de donat. Roland. 1. Consil. 93.*

g] *l. apud eum 14. §. 1. π. de manumiss.*

h] *l omnium. Cod. de Testament.*

i] *l. qui à patre. 3. π. eod. l 2. π. de confirm. tut. Schrader. Tractat de feudis. parte. 10. sect. seu quæst. 19.*

k] *arg. l. in fraudem. 15. in f. π. de Testam. militis.*



tibus potestas de Tutelâ liberorum, bonorum, juriumque feudalium testandi, & regulæ permittentes parentibus de prædictis omnibus testamento suo disponere, non sint sublatæ vel correctæ; jus de his testandi parentibus permissum quoque jure feudali præsumendum est. In his enim quæ jure feudali non sunt apertè correcta, emendata, innovata, Ius vult [a] feudale, ut ad Ius commune id est Romanum, velut certissimum juris asylum recurratur; & ex jure communi, controversam quæstionem decidamus. Et alioqui juri communi velut [b] regulæ semper inhærendum: nisi in aliquâ facti specie vitiosa vel falsa demonstretur: Et in [c] causis feudalibus jus commune servandum est, in quibus consuetudines feudales contrarium non statuunt.

Nec obstat, quòd in feudis testamentariæ dispositiones nullius [d] sint momenti. Lex [e] enim feudalis de successionibus tantum feudi loquitur, ut illius tituli sequentiumque lemma sive Rubrica demonstrat.

Et hæc hactenus de Iure Feudali dicta sint: illo scilicet jure, Testamentarias de bonis Feudalibus etiam Regalibus, tutelas receptas & comprobatas esse: nec ab allodialium bonorum tutelis differre, licet feudorum successiones ab allodialium successionibus valdè differant: Et consequenter Electores de liberorum & bonorum tutelis jure feudali testari posse.

a] *2 Feudor. 1.*
b] *l ab ea parte 5. π. de probat. l. suus quoq; 4. parti. π. de hared. instit. c. ad decimam. de rest. spoliat. in 6. c. venerabilibus. §. potest quoq; de sentent. excommunic.*
c] *Bald. l. cùm oportet. C. de bonis qua liberis. l. 2. C. de suis. c. 1. de successionibus. Iasôn. l. 1. C. de jure Emphyteut. Roland. 1. Cons 8. n. 50.*
d] *c. 1. ibi nulla ordinatione defuncti in feudo manente. de success. feudi.*
e] *Schrader. tractatu de Feudis parte 10. sect. 19.*

VIII.
ADSERTIO.
PRVDENTVM, IVRISCONSVLTORVM, ET AMICORVM PRINCIPVM CONSILIVM.

¶ OCTAVA PRINCIPALIS RATIO, per quam hæc testamentaria Tutela meritò defenditur, notanda est: quòd scilicet defunctus Elector, SAPIENTVM, PERITIORVM ET AMICORVM, & quidem potentissimorum Germaniæ exterorumq; Principum CONSILIO, de liberorum, subditorum & bonorum juriumque Electoralium tutelâ vel Curâ sit testatus: ut bona fides eius & candor inde possit colligi, quòd nihil arbitrio suo tribuere singulariter aut specialiter voluerit. Omnia [f] quippe, quæ Consilio rectè geruntur, jure meritoque effectu & firmitate nituntur. In magnis [g] & arduis peritorum & amicorum consiliis utendum est. Et ut huiusmodi personarum consiliis vel interventu Tutores & Curatores suspecti removendi [h] sunt: ita quod [i] eorum consilio factum, gestum esse probabitur, bonâ fide & sine calumniâ factum fuisse præsumendum fuerit.

Nec est, quòd Principibus illis potentissimis (quorum consiliis Elector est testatus,) vel sordes vel gratiam vel odium possit quis obiicere. Principes enim, & quidem tanti, sunt, ut pecuniâ [k] corrupti nullo modo

f] *l. dubium. 3. C. de divortiis, ubi v. Albericum.*
g] *l. ult. π. de variis & extraord cognit. distin. 18 c. de consil.*
h] *§ Impuberes 4. Inst. de suspectis tutor. c cum. P 7. & c. 11. de purgat canon. adde l. Divi fratres. 17 §. 1. π. de jure patronatus.*
i] *l. Polla & ibi Gloss. C. de his quibus ut indignis.*
k] *Theophilus. §. Prætor quoq; edicti. 7. ibi ὁ τῷ χρύσῳ διαλλάζεται.*

modo præsumendi sint. Et rursus, non minus Illustrissimo Principi Neoburgico Principes illi Germani vel externi, cognati sunt vel Affines, vel amici, quàm Electori proximè defuncto: ut sic par [a] affectionis causa, omnem fraudis suspicionem amoveat. Et alioqui Principes [b] ob amicitiam jura transgredi nunquam præsumuntur; quia ei quem diligunt, aliter prodesse possunt, unde & certiorem gratiam & veriorem gloriam adsequantur.

a] l. non solum. 67. §. 1. ff. de ritu Nuptiarum.
b] Theophilus. d. loco.

IX. ADSERTIO. IUS PRINCIPALE ET REGIUM.

¶ NONA PRINCIPALIS RATIO, quâ Testamentaria hæc Electoralis Tutela nititur, IUS est PRINCIPALE vel REGIUM: quod Elector defunctus est secutus. IUS PRINCIPALE hîc appello, quo Principes & Reges omnes hæreditarii utuntur communiter in testando: quibus jus semper fuit, ultimis suis Elogiis, liberis, subditis, & eorum bonis & juribus consulere.

Practicis aliquot exemplis hoc nunc evidenter demonstremus.

ANCUM [c] MARTIUM, Romanorum Regem, legimus, Tarquinium Demarathi Corinthii, (& sic peregrini [d] hominis) filium, liberis testamento tutorem dedisse, & quod amplius est, regno regendo præfecisse: ut hinc appareat, quanta sit Principis potestas & libertas in deligendo liberis suis Tutore: ut potuerit etiam Rex vel Princeps Regalia jura possidens, peregrinum vel recentem aut adscititium civem, liberis tuendis & Principatui regendo Tutorem testamento relinquere.

PTOLEMÆUM [e] Ægypti Regem eodem quoque jure usum fuisse comperimus. Populum enim Romanum (& sic rursus externum) Tutorem filio reliquit. Et adeò jus illud Regium (de liberorum reliquorumque tutelâ testandi) adeò, inquam) Romanis æquum justumque visum fuit, ut Senatus Romanus, M. Æmilium Lepidum Pontificem Maximum & bis Consulem, ad pueri Tutelam gerendam Alexandriam miserit, & amplissimi integerrimique viri sanctitatem Reipublicæ usibus & sacris operatam, externæ procurationi vacare voluerit: ne fides civitatis Romanæ frustra petita existimaretur. Nam Lepidi beneficio Regia incunabula conservata pariter & decorata, incertum Ptolemæum reddiderunt, patrisne fortunâ magis an Tutoris maiestate gloriari deberet.

c] Sext. Aurel. Victor. de Viris Illustribus. Sigonius de jure civium Rom. c. 23.
d] huius meminit Pomponius lib. singulari Enchiridij. l. 2. §. 1. ff. de origine juris.
e] v. Valer. lib. 6. c. 6. §. 1. Tacitus. 2. Iustinus. 30.

ANAXILAUS [f] Reginorum Princeps, prædictis adiungatur, Iustitiâ commendatus, qui tamen Micalo, spectatæ fidei servo, liberorum Tutelam cum regni universi administratione commisit. Tantus amor memoriæ eius apud omnes fuit, ut parêre servo, quàm deserere

f] Iustinus. 4. Tiraquellus de Nobil. c. 31. n. 524.

Regis

Regis filios mallent: Principesque civitatis obliti dignitatis suæ, Regni Maiestatem administrari per servum paterentur. Hæc eò retuli: Primùm, ut intelligatur, jus hoc de liberorum & Regni tutelâ testandi, antiquissimum esse, & à Principibus & Regibus liberè usurpatum: Deinde, Subditos Tutoribus & Administratoribus Regni à Principibus suis testamento relictis, ultrò sponteque paruisse, & Regibus & Principibus suis mortuis, plenum honorem parendi, obsequendi, obtemperandi habuisse. Et sanè si Ethnicis reverentia & conscientia hæc fuit, quanto magis Christianis subditis esse nunc debebit?

Arcadius Imperator Theodosii Magni filius eodem jure pariter usus legitur. Cùm enim Byzantii esset, iamiam moriturus & de successore sollicitus, Theodosio scilicet filio, parvo admodum (in cunis quippe existenti) cogitans quemnam Curatorem Sociumq; Administrationis simul & Institutionis optimum adhiberet, qui & Inimicos virtute expelleret, & Rem postremò incolumem traderet: multi ei tum offerebantur: sed (ut Procopii verbis utar) *Tyranni potius quàm Administratores futuri: quoniam Byzantii jam nullus consanguineus erat: Honorius autem Imperator, patruus (infantis scilicet) satis idoneus non videbatur, quòd res Italicæ turbata iam erant, & bellum in Oriente Persarum nihilominus formidabat, ætatem pueri admodum spernentium. In hac animi angustia Arcadius Imperator constitutus (quanquam aliâs minimè naturâ ingeniosus erat, salutare consilium iniit; quo filium pariter & Imperium servavit: sive de Procerum suorum (qui ei adsistebant) sententia; seu divino impulsus spiritu, testamentum condidit: in quo, hæredem quidem filium instituit; Tutorem verò illius Isdigertem Persarum Regem: cui cum plurima mandavit, tum ut Theodosio imperium suâ & prudentiâ pariter & potentiâ incolume servaret. Hoc itaq; modo rebus constitutis, è vita decessit Arcadius. Isdigertes verò ubi testamentum Arcadii oblatum legit, cùm prius indole ac magnitudine animi clarus haberetur, tunc maximè admiratione dignus apparuit. Arcadii namque mandata Fidemque in eum minimè spernens, pacem cum Romanis toto tempore, tum Imperium Theodosio servavit. Ac literas statim ad Senatum scribens, officium, continuò adsumpto negotio, sese præstaturum, & hostes, si opus, prohibiturum promisit.* Hæc totidem verbis Procopius, (Latinis tamen utor verbis) *lib. 1. de bello Persico* sub initium prodidit. Hoc etiam Agathias *lib.* IIII. & velut receptum creditumque etiam apud Doctos retulit: quanquam miretur, Arcadium Imperatorem Romanum & quidem Christianum commendasse Tutelam Imperii filiique homini alieno &

lieno & nationis Imperatoribus Romanis infensissimæ, alienæque opinionis & mentis (erat enim Isdigertes rex Persarum, Solis cultor & Ethnicus, & Magorum Persicorum consiliis utebatur) viro: nec satis iam cognito, utrum æquitatem fidemque servaret: ac propterea refert, Isdigertem benignitatis potius collaudandum, quàm Arcadium facti.

Sed ad citeriora proximaque nobis veniamus.

LVDOVICVS VIII. [a] rex Galliæ (quo in regno fœminæ vel cognati non succedunt) impuberis filii (Ludovici IX. qui & sanctus Ludovicus, *a quo per Illustrissimam Electricem Matrem suam, Fridericus V. præsens Elector Palatinus descendit*) quin & regni Gallici Tutelam Blanchæ uxori suæ, Castellæ regis filiæ (*ad quam itidem, ut & reges Castellæ, per matrem prædictus Princeps Elector Fridericus V. stemma referre suo jure potest: ut hoc modo Præsens Elector per matrem & a Franciæ & ab Hispaniæ Regibus descendat*) supremis tabulis mandavit, & feliciter omnium cessit. Mater enim (Blancha scilicet) filium erudiri bonis artibus, pietate cumprimis & studiis ita curavit, & ab hostibus variis & perduellibus ita defendit, ut postea Rex temporis sui præstantissimus & maximus fuerit. Scio tamen, Proceres nonnullos Galliæ, Tutelam tanti Regis regnique, fœminæ (& maximè peregrinæ vel exteræ) quantumvis Regis ipsius matri testamento delatam, non æquo animo tulisse: &, quod contra jus est (nec enim Testamentarii Tutores cavere solent) fidejussores exegisse: sed tamen Vbertum de Bobio (Iuris Antecessorem, & magni tum nominis Doctorem, de hac tutelâ & fidejussoribus Reginæ exactis consultum) respondisse reperio, Reginam Blancham ad eam Tutelam nihilominus admittendam, si quoscunque posset, fidejussores daret: quòd pro tanti regni merito, fidejussores pares id est idoneos reperiri vel dari posse impossibile esset: ut Albericus [b] de Rosate Iurisconsultus celeberrimus scriptum reliquit: & post eum multi alii [c].

Missis brevitatis causa, Britannorum Scotorumque Tutelis, Hispanicæ testantur historiæ, RAYMIRVM [d] III. an. IↃVIIIIXXXVI. quinque annorum existentem, sub tutelâ matris suæ fuisse, & de matris consilio pacem cum Arabibus fecisse. FERNANDVS [e] IIII. novem annorum ætatis fuit, cùm regnare cœpisset, anno MCCLXXXXV: Sed Excellentissima Domina Maria mater eius fideliter Tutelam gessit. IOANNES Castellæ Rex ex nobilissima & sacrâ domo Franciæ (his enim verbis Rodericus [f] Sanctius, Archiepiscopus Toletanus, & Hispaniæ Primas utitur) & septimo gradu per fœminam descendens à S.

a] *Ioinvillæus in vita S. Ludovici. c. 2. eiusdem Domesticus & Comes. Massonius in Ludovico IX. ann. 1226. Vignerius, Haillanius*

b] *ad l. de creationibus. C. de Episcopal. audientia.*

c] *Martinus de Cazarois. Laudensis tractatu de official. domin. n. 4. Iacobinus de S. Georgio. tractatu de Feud. in pr. in verbo Carolus. Rolandus à Valle. 2. Consil. 8. n. 51.*

d] *Rodericus Sanctius parte. 3 Histor. Hispaniæ. c. 21. Tarafa. in Raymiro 3.*

e] *Rodericus Sanctius parte 4. c. 8.*

f] *parte. 4. c. 25 p. 225. addatur & Alphonsus à Carthagena in Anacephalaeosi regum Hispaniæ. c. 92. Tarafa. in Ioanne. 2.*

D

Ludovico, *ex Dispositione paterna* duos quidem idoneos & solertissimos Tutores sortitus est, Catharinam videlicet matrem, & Infantem Fernandum patruum suum; quo postea in Regem Arragoniæ adsumpto, Tutela ad Catharinam matrem in solidum rediit.

Ex his apparet, Ius Regium & Principale, Regibus & Principibus jus de liberorum & subditorum Tutela testandi (licet de proprietate & successione testari nullo modo possint) liberè permittere: Et consequenter, defunctum Electorem Ius Regium & Principale in testando sequutum & sequi potuisse.

X. ADSERTIO. IVS ELECTORALE.

§ DECIMA ET QVIDEM PRINCIPALIS RATIO, quæ hanc Testamentariam Tutelam meritò defendit, ex ELECTORVM omnium Laicorum (qui hæreditario jure, non Electione tales existunt, nec meri Administratores sunt) Iuribus (ne dicam privilegiis) duci poterit. Hæc enim causa vel controversia non unius domus vel gentis Palatinæ propria est, sed aliis quoque Laicis Electoribus (qui in Caroli IIII. Bulla & similibus Imperii Constitutionibus recensentur) communis est: ut cæteri Electores huic controversiæ, meritis & justis de causis adesse, intervenire, & eam pro virili juvare, defendere velut propriam tempestivè debeant: ne scientibus & tacentibus, nec se opponentibus, præjudicium aliquod hac parte deinceps & succedaneis temporibus inferatur.

Probandum itaque mihi nunc est, Laicis Electoribus Imperii, de liberorum, subditorum, bonorum, Iuriumque Electoralium Tutela, Cura, Administratione, Bullis & Constitutionibus aliis Imperatoriis facultatem vel potestatem ademptam non esse, quinimò permissam potius & indultam.

VTAR HOC PRIMO ARGVMENTO. Si hanc testandi de liberorum, subditorum, bonorum, juriumque Electoralium tutela potestatem Principibus Electoribus Carolus IIII. & Sigismundus Imperatores Maximi constitutionibus suis ademissent, id sine dubio vel *proprio motu*: vel *ad preces & postulationem ipsorum Electorum*: vel *ad suggestionem aut instantiam proximorum Agnatorum Electoralium* constituissent.

Atqui horum trium nihil subesse vel intervenire potuit, quod movere prædictos Imperatores potuit, ut duram adeò legem Electoribus ponerent. Ordine singulas partes exequar: Et primùm omnium palàm fa-

palàm faciam, prædictos Imperatores PROPRIO MOTU id nunquam sanxisse, vel sancire voluisse vel potuisse.

¶ PROPRIO MOTU id dici statuisse, sanè absurdissimum est: *quia hoc jus constituendo, Principes Electores, deterioris conditionis reddidissent*, vel redderent, quàm sunt alii Principes Imperii, quibus licet de liberorum, subditorum, bonorum, juriumque tutela libere disponere. *Secundò*. Quantum ex præfationibus Bullarum illarum utriusque Imperatoris voluntas potest colligi (solet [a] enim *ex Præfationibus* jus præsumi) dicendum est, adhuc plus aliquid Principibus Electoribus per Bullas illas licere quàm aliis: cùm Principes Electores cæteris aliis (per eas Constitutiones) in sedendo, ambulando, loquendo, suffragio ferendo &c. potiores sint habiti vel antepositi. Ex præfationibus ipsis & textu Bullarum constat evidentissimè, Bullas illas Imperiales editas esse ad augenda & amplificanda Electorum jura, non autem ad ea minuenda vel coercenda. Cùm itaque prædictæ leges inductæ sint ad augmentum, diminutionem (ut in scholis loquuntur) operari non debent [b]: & consequenter Bullæ prædictæ jus potius de Tutela testandi Electoribus conferunt, quàm auferunt. *Tertiò*. Si quis Principum Electorum familias diligentius & exactius spectaverit, absurdum fuerit dici, prædictos Imperatores Electoribus (tanti fulgoris Principibus) modum vel fibulam (de liberorum scilicet, subditorum & bonorum Electoralium tutela non testandi) imponere voluisse. Non enim momento turbinis, Regum Romanorum, quin & Imperatorum ipsorum Electores existunt: magni (inquam) illi Principes, non fuerunt heri scilicet privati, hodie Principes vel Electores, sed à multis sæculis tales extiterunt: & quidem à Regibus & Imperatoribus orti, vel Imperatorum & Regum quondam Maiores. Cùm igitur in tanto fulgore familiæ Principes Electorales sint positi, nemo jure vel probabiliter dixerit, Carolum IIII. vel Sigismundum sponte suâ tantis Principibus jus de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium suorum tutela testandi adimere voluisse. *Quartò*. Non est etiam verisimile, Carolum IIII. & Sigismundum jus hoc (de quo loquimur) AMICIS, charis, & coniunctis adeò personis (Electoribus sc: Laicis) adimere in animo habuisse. Amicos [c] enim amicis nocere, vel eorum jura naturalia proprio motu minuere velle, nulla præsumptio est: cùm Amicorum causâ quidvis potius contrà sustineamus vel faciamus, & ea præstemus quoque, quæ in propria persona minimè faceremus. *Quintò*. Non est etiam verisimile, prædictos Im-

a] *l. 1. ff. de origine juris. l. lecta. 40. ff. de rebus creditis. l. Titia 134. §. 1. ff. de V. O. Gloss. Novell. 22. c. 1. in verbo Duo igitur. Menoch. 6. præsumpt. 2*

b] *l. legata inutiliter. 14. ff. de adim. legatis.*

c] *vide Doctores in l. Transactiones. 35. C de Transaction. Alciatum 1. Præsumpt. 21. Tiraquellum l. si unquam n. 238. C. de revoc. donat. & tractatu de pœnis. Causa 50.*

peratores, tam paucis verbis & simplicibus & minus apertis, tantum jus Principibus Electoribus, & juris [a] Communis libertatem adimere tentasse: cùm alioqui privatis, quoties jus commune rescriptis adimitur, scrupulosæ, speciales, derogatoriæ & expressæ Clausulæ, Legibus, Edictis, Rescriptis ab Imperatoribus inserantur, ne quis deinceps de jure novo vel constituto vel revocato dubitet. *Sextò*. Non est præsumendum, Carolum IIII. & Sigismundum notam adeò pudendam Principibus Electoribus inurere voluisse, ut ne quidem de nuda liberorum, subditorum & bonorum Administratione disponerent: & velut indignis aut malè de Imperio meritis hanc libertatem vel facultatem adimerent. Qualitatem vel notam adeò pudendam, vel odiosam, Electoribus, pientissimos & indulgentissimos illos Imperatores proprio motu inurere voluisse, minimè præsumendum est. Ideoque cùm hæc qualitas vel nota (de tutela liberorum &c. testari non posse) propudiosa sit, minimè præsumenda est: sed per allegantes evidentissimis omnium indiciis, vel argumentis luce clarioribus probanda est & convincenda: & ut [b] in exhæredationibus, & similibus actibus odiosis, demonstranda. *Septimò*. Non est etiam præsumendum, prædictos Imperatores (Carolum IIII. scilicet & Sigismundum) Principibus Laicis Electoribus jus de tutela testandi sponte suâ præripere voluisse: ut quos Electores & sic Creatores [c] & Nominatores suos, & consequenter velut alteros Parentes ducere, censere, imò sanctè colere, complectique debuerunt. Non enim, duobus in illis Augustis Imperatoribus tanta ingratitudo, tantique beneficii oblivio fuisse putanda est. Imò ab huiusmodi notâ vindicandi sunt Principes illi duo Maximi; nisi famam & memoriam utriusq; vellicare turpiter velimus. *Octavò*. Non est etiam præsumendus Carolus IIII. vel Sigismundus, Principibus Electoribus sanguine vel cognatione vel adfinitate coniunctis, jus pietatis (in diligendis & complectendis animo affectuque omni liberis & subditis positum) adimere voluisse. Coniunctus enim sanguine vel adfinitate, cognatum vel adfinem amare præsumitur [d]. Coniunctus coniunctum juribus suis exuere, defraudare vel spoliare, nunquam præsumendus est. Natura [e] hoc non patitur, ut inter coniunctos tale quid præsumatur. Consanguineus [f] contrà vel adfinis consanguinei vel adfinis sui jura & privilegia tueri, & defendere sponte sua, quò generosior est & altior, velle ac semper voluisse præsumendus est. Ex his constat, Carolum IIII. & Sigismundum Imperatores, Bullis & Declarationibus suis, *Proprio motu suo*, facultatem de liberorum, subditorum

a] *arg. l. si quando 35. Cod. de in. officios.*

b] *l. omnimodò 30. ibi iungatur, C. de inoffic.*

c] *arg. l. unica, C. si propter inimit. & l. unica. C. si post creationem quis decess.*

d] *Alciatus. 1. Præsumpt. 20.*

e] *facit Glossa. l. cum in adoptionem, 10. in verbo reverti Cod. de adoption.*

f] *Alciatus. 1. Præsumpt. 22.*

ditorum, & bonorum Electoralium Tutela Principibus Electoribus Imperii nec ademisse, nec adimere voluisse.

§ VIDEAMUS nunc, an sit verisimile, Carolum IV. & Sigismundum (Maximos & Augustos Imperatores), Ius de liberorum &c. Tutela testandi, *Electoribus ipsis id petentibus & postulantibus abstulisse*. Sanè (quod in hac Adsertione secundum caput est) non est etiam præsumendum, Principes Electores Laicos sua sponte vel ultrò ab Imperatoribus illis duobus (Carolo IV. & Sigismundo) tam insolentes, probrosas, & inhonestas ipsis & posteris Bullas & Declarationes postulasse vel impetrasse. Quid enim absurdius est & fœdius, quàm si dicatur, Magnos illos Principes (Electores scilicet Laicos) ab Imperatoribus illis duobus, Constitutiones & Declarationes tam barbaras, & à sensu communi remotas, & sine juris exemplo vel minimo, supplicibus libellis & precibus petiisse vel obtinuisse: nempe, ut ne ipsi Laici Electores possint de liberorum, subditorum, bonorum juriumque Electoralium tutelâ testamento disponere? Incivile prorsus est & absurdum putare, Laicos Electores ingenii adeò vecordis & prodigi & à maioribus suis adeò degeneris fuisse, ut ab Imperatoribus, non facultatem vel potestatem, sed impotentiam eiusmodi, & servitutis speciem precibus & libellis supplicibus postularent: Cùm nec decoctores vel prodigi ultrò talem interdictionem à Iudicibus vel magistratibus petere soleant; sed Iudices, nullis etiam petentibus, ex officio suo, bonorum administratione eis invitis interdicant. Et utique fatuus esset, qui ab Imperatore Bullam, Constitutionem vel Declarationem huiusmodi publicari, edi vel promulgari postularet. non enim beneficium hoc, sed pœna potius esset: non favor, sed odium: non honor, sed dedecus & quidem maximum: non libertas, sed servitus: non res suas administrare, sed Tuditani [a] modo decoquere, & more prodigi bonorum suorum administratione interdici velle: non pii parentis vel domini vice vel munere defungi, sed erga liberos & subditos pietatem omnem, sollicitudinem, amorem, providentiam eiurare vel spernere: & ius illud testandi adeò pretiosum & inæstimabile temerè, luxuriose viventium & asotorum more, profundere, disperdere, proque derelicto habere. Atqui tanti Principes, Laici scilicet Electores, non sunt præsumendi, tam pia & inæstimabilia jura contra bonos mores repudiasse, vel eis renunciare sponte sua voluisse: cùm [b] in pecuniariis (& sic levioribus in caussis) nemo tam resupinus præsumatur, ut res & pecunias suas iactet vel effundat: & maximè, si is de quo agitur, diligens est &

a] *Valerius 7. c. 8. Cicero. Philippic. 3. & Academ. Lactantius 3. c. 23.*

b] *l. cùm de indebito. 25. in pr. ff. de probat.*

studiosus paterfamiliâs: cuius personam incredibile sit in aliquo facilè errasse. Et sanè non [a] sunt præsumendi tam prudentes patresfamiliâs, tot Consiliariis muniti, successiones alienas adgnatorum, propriis, id est suorum liberorum successionibus & commodis præferre vel anteponere voluisse.

a] *l. cùm acutissimi. 30. C. de fideicommiss.*

§ ORDO NVNC postulat, ut tertium probetur; Carolum quartum scilicet & Sigismundum, *ad suggestionem & instantiam Adgnatorum Electoralium*, etiam proximiorum qui tum fuerunt vel vixerunt, Electoribus, testamenti factione (quod liberorum, subditorum & bonorum Electoralium Tutelas attinet) Bullis & Declarationibus suis non interdixisse. Primùm enim non est præsumendum, Adgnatos Electorum Laicos, qui tunc temporis fuerunt, tam duras leges Electoribus proximis Adgnatis suis imponere voluisse, vel (jure factove) imponere potuisse: partim, quia præsumendum [b] non est odium inter coniunctas adeò personas tum fuisse: partim, quia non sunt præsumendi cum Electorum ipsorum scilicet jactura jus illud (quod aliâs privatis quibusque competit) à vivis & superstitibus Electoribus extorquere vel adserere sibi cum Electorum damno voluisse: cùm nec privati à suis adgnatis vel cognatis tale jus in Imperio extorserint: partim, quia non sunt existimandi tantam Injuriam Electoribus intulisse, quos, velut generis sui stirpisque suæ authores, principes & parentes, habere, colere, suspicere debuerunt, & sine dubio semper probabiliter suspexerunt. Delicta [c] namque huiusmodi gravia nunquam præsumenda sunt inter proximos maximè consanguineos & Adgnatos. Non est etiam præsumendum, tantâ potentiâ fretos tum fuisse proximos & Consanguineos, ut Electores, Adgnatos, gentis suæ columina, tam gravi pondere vel onere servitutis obruerēt vel obruere possent. Extarent etiam in Bullis illis vel Declarationibus Imperatoriis adversus vim illam vestigia quædam contradictionum & allegationum ab Electoribus oppositarum Agnatis: Nisi quis fortasse (quod absurdum est dici) putet, Electores adeò simplices vel humiles tum fuisse, ut hiscere ad tanti præiudicii interdictionem vel prohibitionem non potuerint. Quinimò, si vi vel potentiâ tam duras & alienas conditiones ab Electoribus ipsis extorsissent Adgnati, nullum dubium est, quin eorum successores & posteri possent hodie adversus enormissimam illam repudiationem vel pactionem in integrum restitui: partim vim Maioribus tunc illatam conquerentes: partim jura sua ab antiquioribus longe temporibus repetentes, & Maiorum, qui primi familiæ Palatinæ fundatores fue-

b] *Alciatus 1. Præsumpt. 23.*

c] *l. merito. 2. pro socio.*

res fuerunt, pacto & providentiâ sibi quæsita allegantes. Non enim valet rescriptum [a] impetratum à Principe, ne Agnatus meus ætatis iustæ, sanusque mente, de liberorum, subditorum & bonorum suorum tutela testari possit.

Cùm itaque ex tribus proximè præcedentibus rationibus, argumentis & indiciis, coniecturis, & circumstantiis appareat, Ius illud de liberorum, subditorum, bonorum Electoralium tutela, ademptum Electoribus Laicis non fuisse: proprio vel motu Imperatorum: vel ipsorum Electorum petitione: vel Electoralium Agnatorum suggestione: Notorium est & evidentissimum, Laicis Electoribus jus illud integrum superesse: & in antiquissimorum maiorum pacto providentiaque, quinimò & in Bullis Imperatoriis Caroli IIII. & Sigismundi, Principes Electores fundatos modis omnibus esse: & consequenter, jus illud Electorale, tribus Electoribus Imperii Laicis jure legibusque Imperii competere: & quod præsentem causam attinet, Electoris defuncti testamentum, communi omnium Electorum jure munitum esse.

a] *Novella. 21. ibi neque si sacram impetret formam aut quâdoque omnium.*

SECVNDÒ. Cùm Electoris dignitas & nomen, Electoribus jus hoc tribuat, Administratorem totius Imperii (Regem scilicet Romanorum & Imperatorem) optare, creare, eligere; possunt & debent sanè non minus, imò magis, Electores ipsi, liberis, subditis & bonis suis vel propriis Administratorem aliquem testamento suo deligere. Cur enim non possint liberis & subditis suis Administratorem eligere, qui possunt universo Imperio Imperatorem constituere? Vel cur liberis & rebus suis prospicere non poterunt Electores, qui possunt alienis Administratorem, moderatorem, imò publicarum rerum dominum creare?

TERTIÒ. Cùm in omni dispositione præsumendum sit, minus [b] semper gravamen vel onus alicui impositum esse, justa sanè ratione colliges, Laicos Electores de prædictorum Tutela testari posse. Onus enim hoc aliunde expressum & quidem magnum satis habent, ut ne de bonorum suorum Electoralium proprietate vel dominio disponant (quod tamen non tam onus quàm solatium & commodum eorum dici potest, ut qui liberorum suorum favore principaliter id stipulati nominatim fuerint, vel ultrò concesserint) ac proinde præsumendi sunt in liberorum, subditorum, bonorumque suorum Electoralium tutela liberrimi, & ab omni contrario onere immunes: ut [c] in uno gravati, in alio releventur: aut ne duplex vel multiplex & adeò quidem grave alicui onus contra boni & æquitatis rationem imponatur; ne ius duplex

b] *l. quoties 200. ff. de R. I. c. in obscuris. 30 de regulis in 6. l. 39. §. 6. ff. de legat. 1. l. 45. in pr. ff. de leg. 2. l. 29 § 1. l. 75. ff. de legat. 3. l. 12. l. 38. § 3. l. 109. ff. de V.O. l. 32. in f. l. 42. ff. de pœnis.*

c] *l. eum qui ubi Gloss. ff. de jurejur. l. 1. ff. ex quibus causis maior. l. si non fuerint §. ult ff. pro socio. l. id quod ff. de peric. Authent. Contra qui propriâ C de non numeratâ pecuniâ. l. manifestissimi. § 11. C. de furtis l. unica. § pro secundo. C de caducis.*

duplex pro uno repudiasse præsumantur: ne inofficiosam donationem fecisse videantur: ne Gentiles & Adgnatos suos amasse, liberos & subditos odio habuisse censeantur.

Quartò. Si leges Imperatorum illæ vel Bullæ, Laicis Electoribus jus de tutela testandi adimere voluissent; non minus Tutelæ prohibitæ quàm alienationis mentionem expressam fecissent. Atqui nominatim jus de Tutelis testandi non ademptum est Electoribus. Sequitur ergo, ut Electoribus Laicis jus illud tacitè sit permissum vel relictum: & eò quidem magis, quòd experientia Palatinæ familiæ docuerit, Electores de liberorum Tutela sæpius ac sæpius testatos: de successione, non æquè.

Quintò. Si dignitatem Laicorum Electorum, qui jure hæreditario, non Electionis, in jus illud succedunt, diligentius spectabimus; dicendum sanè fuerit, eos non minus de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium tutela testari posse, quàm Illustres & Clarissimæ personæ, quas constat [a] liberis & bonis suis rectè testamento tutores dare & legitimos excludere. Sunt enim Electores non tantum Clarissimi vel Illustres, sed Super-Illustres: cæteris quippe Illustribus Principibus Imperii (fatentibus [b] adversariis) antepositi, & proximè post Imperatorem & Regiam Maiestatem collocati.

a] *l. 1. ibi, quibus neque testamentarii defensores. C. de Tutor. vel Curat. Illustr.*
b] *pag. 12.*

Sextò notandum est, Hanc olim controversiam Electoralem ab Electoribus ipsis decisam, ut proximâ adsertione probabitur.

Septimò. Ius hoc quoque Electorale dici meritò potest: cùm & pars maior Electorum præsentium (qui feliciter hodie vivunt Dei munere) hanc testamentariam Tutelam (de quâ nunc quæritur) silentio, factis, verbis, literis, Epistolis, Responsis, legationibus, & aliis quibusque actibus & officiis adgnoscat & adprobet: ut quod pars [c] Maior Electorum in hac Electoralis Tutelæ causa iam probavit, agnovit & decrevit, id pro jure legeque Electorali sit habendum: præsertim cùm Illustrissimi Principis Neoburgici protestationes non ignorent.

c] *l. quod maior pars. π. ad municipal. l. aliud. §. 1. π. de R. I. l. nominationum. 46. C. de decurionibus.*

Octavò. Potest & amplius videri & præsumi, Serenissimum Ducem & Electorem Saxoniæ, eiusque fidissimos Consiliarios, non aliud unquam sensuros, dicturos, scripturos vel probaturos. Non enim præsumendus est Magnus & potentissimus Dux ille (Saxoniæ scilicet) nec eius Senatus intimus, jura Electoralia Saxoniæ minuere adeò velle, ut Electoribus jus de tutela liberorum &c. testandi denegatum Bullis aureis esse, concedere vel fateri liceat. De tam insigni Senatu nihil tale sperari vel præsumi potest: cùm [d] suum officium rectè & ad utilitatem

d] *l. iatas. 3. Pra-es.*

utilitatem Domini sui exercere præsumendus sit. Imò silentium prædictorum pro consensu expresso accipiendum est: alioqui contrà sentientibus & scribentibus Palatinis, palàm iam se opposuissent, vel nunc etiam opponerent, & talia à Palatinis officiis evulgari vel literis mandari sine domini sui præiudicio protestarentur.

EX HIS apparet, Laicorum Electorum jus esse, de liberorum, subditorum, bonorum juriumque Electoralium Tutelâ, Curâ & Administratione testari: Et consequenter, Serenissimum Principem Fridericum IIII. Electorem, Electorali jure cunctis notissimo in testando usum fuisse, & jus illud Electorum Laicorum commune sequi tutò potuisse: & Tutores ab eo datos, justos & Electorales existere, & aliis quibuscunque præferendos.

XI. ADSERTIO. IVS PALATINVM ELECTORALE, ET EXEMPLA. *Adde Refutationem XXXX. infra.*

¶ VNDECIMA & quidem PRINCEPS in hac Tutela Testamentariâ ratio ex ELETORALI PALATINO jure peti poterit. Nam ut maximè cæteri Laici Electores vellent hoc jus de liberorum &c: tutela testandi à se abdicare, repudiare & pro derelicto habere, & se intestabiles in eo fateri, vel reddere (quod minus est verisimile, imò incredibile): Elector tamen PALATINVS id facere vel in id consentire nullo modo posset: propter usum nimiùm in Electorali gente vel familiâ suâ, id est Palatinâ contrarium, ab aliquot retrò sæculis inveteratum, receptum, probatum, admissum. Praxim itaque domus Electoralis Palatinæ in hoc articulo sequi ac spectare tenemur ac debemus: quia, Praxis [a] est vera legum interpres. Atqui ponitur & quod magis est probatur, post Bullam Caroli IIII. & post Declarationes Sigismundi (huic Testamentariæ Tutelæ ab Adversariis toties & molestissimè oppositas) Electores Palatinos de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium Tutela testatos fuisse, & in eligendis Tutoribus & Administratoribus jus plenum arbitriumque servasse. Hoc ut magis ac magis innotescat, singulas circumstantias, ordine, minutatim recensebo. Hoc enim modo res ita manifesta fiet, ut nemo dubitare deinceps de hac Tutela possit, nisi adversus rem manifestissimam litigare voluerit.

a] *Bald. Tit de feudo. sine culpa non amittendo.*

¶ PONITVR IGITVR & probatur (*qua prima circumstantia* est & praxis in hac Electorali Palatina causâ sive controversiâ admodum notanda) *Ludovicum* Electorem Palatinum, primogenitum regis Roberti, tres fratres hoc ordine juniores habuisse: *Ioannem*, Ducem Bavariæ: *Stephanum*, Ducem Simmerensem, à quo præsentes Electores

descendunt: & *Ottonem*, Ducem Mosbacensem: Et anno tamen cIↄ ccccxiii. nullâ habita ratione ordinis (in legitima Tutela hodie ab Illustrissimo Principe Neoburgico prætensi, & in hac causa per eũ allegati) *Ludovicum* illum (quem diximus) Electorem, prædictum *Ottonem* (fratrem natu minorem) Tutorem liberis reliquisse, & *Ioanni Stephanoque* (qui Ottonem ipsum ætate præcedebant) in Tutela prætulisse. *Secunda circumstantia est*, quòd idem *Ludovicus* Elector anno cIↄ ccccxxvi. Hierosolymitanam expeditionem suscepturus, præcedentem dispositionem Tutelarem roboravit, & firmavit: eâ lege, ut *Otto* prædictus, fratrum iunior, in illâ tutelâ gerenda, Rabani (tum Spirensis Episcopi, qui priori Sigismundi Declarationi testis & Adsessor fuit) consiliis uteretur. Quæ res adhuc declarat, Electores Laicos potuisse tunc, & post Bullas Caroli IIII. & Sigismundi, Ecclesiasticas personas & extraneas Adgnatis suis in Tutela, consilii saltem causa, adiungere. quod tamen negare vel absurdum putare videntur Adversarii. *Tertia circumstantia*. Prædictus *Ludovicus* Elector præfato *Ottoni* (fratrum minimo) si forte in ipsâ Tutela moreretur, priusquam primogenitus Elector suæ Tutelæ fieret, & ad suam tutelam perveniret, *Stephanum* (fratrem scilicet, sed remotiorem) substituit, & *Ioanni* Duci Bavariæ (seniori licet) prætulit. Ex hoc iterato actu (prælatorum scilicet semel atque iterum iuniorum fratrum senioribus) constat, in Electorali tutela Palatina Testamentaria, nullum ordinis delectum olim etiam post Bullas Caroli IIII. habitum fuisse, nec hodie quoque habendum: sed id omne pôtestati & facultati & arbitrio Electoris tribuendum ac permittendum esse. *Quarta circumstantia est*, quòd idem *Ludovicus* Elector anno cIↄ ccccxxvii. ex Hierosolymitana expeditione reversus, paucis mutatis prædictam Tutelam testamentariam firmavit. *Quinta*: quòd idem *Ludovicus* Elector anno cIↄ ccccxxxvi. prædictam testamentariam Tutelam rursus probavit, & ut subditi fidelitatem *Ludovico* filio iurarent, effecit. *Sexta*: quòd mortuo prædicto *Ludovico* Electore Palatino, prædictus Dux *Otto* Mosbacensis (fratrum eius natu minimus & ultimus) Testamentariam illam Tutelam in se recepit: & Ludovici, Friderici & Roberti (pupillorum Electoralium) Tutor & Administrator testamentarius quietus & pacificus extitit: tametsi *Ioannem* (Ducem Bavariæ) & *Stephanum* (Ducem Simmerensem) fratres ætate seniores haberet, & à duobus illis ætate vinceretur. *Septima*: quòd prædictus *Ioannes* Bavariæ Dux (frater prædicti *Ludovici* Electoris, eique pro-

eique proximus & post eum ætate senior) sibi & filio *Christophoro* (qui Sigismundo & Alberto Imperatoribus ob Heroicas animi virtutes charissimus tum fuit) Tutelam pupillarem Electoralem votis quidem summis ab initio optaverat: sed monitus tamen ab aliis, vel sponte, vel quod magis est, jure in Electorali familia testandi melius cognito, ab illo animi calore vel impetu (quamvis ætate, & velut Dux Bavariæ opibus ac potentiâ floreret, & aliis externis præsidiis variis fultus esset) destitit: & *Ottonem* (licet juniorem & fratrum minorem) pro justo, vero, & legitimo Tutore, Administratore, Curatore habuit: & sic testamentariis Tutelis in Electorali Palatina familiâ locum esse, & testamentarias legitimis præferri Bullis Aureis Caroli IIII. & Sigismundi Imperatorum, sponte tamen, vi nudæ veritatis, agnovit. quod utique probabiliter aut verisimiliter non fecisset (præsertim in tam recenti prædictarum Bullarum & Declarationum promulgatione vel memoria) si per illas Bullas & Declarationes, legitima Palatinatus Tutela Testamentariam excludere potuisset vel debuisset, & Bullarum fulmina (quæ scilicet hodie prætendunt Neoburgici) propitia vel pro se adversus juniorem fratrem habuisset. *Octava*: quòd tum adeò hæc Tutela Testamentaria Electoratus Palatina justa legitimaque visa fuerit, ut alii Sacri Imperii Electores ipsum etiam *Ottonem* (velut Palatinatus justum, & Bullis legibusque permittentibus, Tutorem & Administratorem) in suum Collegium vel Corpus admiserint (Moguntinus scilicet, Coloniensis, Trevirensis, Saxo, & Brandeburgicus) & fœdus arctissimum cum ipso *Ottone* (Tutore testamentario) inIverint. Quod utique tanti Principes numquam admisissent, si jus de liberorum, subditorum, bonorum, juriumque Electoralium Tutelâ testandi, sacris illis & Aureis Bullis Imperatoriis & Declarationibus, Laicis Electoribus non ita pridem ademptũ fuisset: & ita testantibus Electoribus, & eorum fautoribus tam atroces diræque (banni, proscriptionis, exilii, publicationis famæ bonorum, pœnæ mulctæq; pecuniariæ adeò immanes & ingentes) Bullis & Declarationibus illis (quod tamen prætendunt Adversarii) fuissent impositæ. Imò prædicti Principes Electores pœnas Bullarum illarum commisissent, & in eas tum incidissent, & sic banniti proscriptique ipso facto fuissent. *Nona circumstantia*: quòd prædictus *Ludovicus* Elector Consiliarios tum habuit, patri Roberto fidissimos, publicarum rerum & praxeos peritissimos, quibus Caroli IIII. & Sigismundi Bullæ, probè fuerunt cognitæ, ut adversus eas, tantos Consiliarios respondere voluisse non sit verisimile.

Decima, quòd *Stephanus* Dux Simmerensis, (qui fratrem *Ottonem* sæpius à nobis nominatum ætate præcedebat) prædictam eius Tutelam testamentariam probavit: & auxilia rebus in omnibus se præstiturum ei juravit: ut Neoburgicus Princeps Illustrissimus remotior fratre Adgnatus, meritò illud exemplum (velut Adgnatitium, Gentilitium & domesticum) sequi & imitari hodie debeat. *Vndecima:* quòd prædictam testamentariam tutelam Electoralem Palatinam, alii tum magni nominis multique Comites Imperii probaverunt: quos, ut nec eorum Consiliarios, mens & sententia Bullæ Caroli IIII. & Declarationum Sigismundi tunc fugit, nec latuit. *Duodecima:* quòd prædictus *Otto* Palatinatus Testamentarius Tutor, ad annum usque CIↃ CCCCXXXXII. Tutelam illam & Administrationem testamentariam gesserit, nullo prorsus reclamante, nullo contradicente, scientibus & videntibus & faventibus omnibus: donec *Ludovicus* Iunior Princeps Elector annum ætatis suæ XVIII. attigisset, & suæ tutelæ fieret, & rerum Electoralium Administrationem non minus fideliter ei restitueret, quàm Lycurgus [a] fratris filio: ut intelligerent omnes, quantò plus apud bonos pietatis jura quàm omnes opes valerent.

a] *Iustinus libro 3.*

¶ HIS TOT CIRCVMSTANTIIS in unum concurrentibus, ex hac notoria & evidentissimâ Gentis Palatinæ Electoralis praxi vel observantia non obscurâ vel clandestinâ, sed in ore conspectuque totius Imperii fideliter servatâ ac retentâ, liquidò constat, quid quantumve Palatinis Electoribus jure Germanico vel Imperiali in testamentariis Tutoribus eligendis liceat: & Bullæ Caroli IIII. & Declarationum Sigismundi mentem & sententiam (quæ pars legum præcipua semper existimata est) eam fuisse; proximiores quidem Adgnatos Electores ad Tutelam legitimam vocari, sed per testamentarios semper excludi.

DICENDVM EST itaque, Fridericum IIII. ultimum, piæ memoriæ Principem, vestigiis Maiorum & Antecessorum suorum (qui in possessionem juris huius testamentarii tam solemniter totiesq; missi fuerunt, & continuâ sæculorum serie eam retinuerunt) insistentem, de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium Tutela jure testatum fuisse. Contrà, jus novum & insolens & iniquum ab Adversariis postulari, ut Electores illa tam evidenti possessione vel quasi spolientur: qui si spoliati illo jure casu aliquo fuissent, restituendi tamen protinus in integrum essent. Sed hac de re pariter in Contrariorum argumento-

mentorum refutationibus aliquid insuper (hîc à nobis studio prætermissum) notabitur. quod Lector, si vacabit, exinde promere pro suo arbitrio poterit, & hunc ita locum supplere.

TANTUM HOC addam: PALATINOS Electores jus notorium hoc & certissimum de liberorum &c. Tutela testandi tanto minus remittere vel repudiare posse, quanto inter Electores soli causarum Imperatoriarum ab immemoriali tempore, Carolinæ Bullæ aperto testimonio, Cognitores & Iudices existunt.

XII. ADSERTIO. IUS AB AUSTRIACIS IMPERATORIBUS DUOBUS OLIM PROBATUM.

¶ DUODECIMA PRINCIPALIS RATIO, quæ Friderici IIII. Electoris testamentum, & testamentariam in eo Tutelam confirmat, existit: quòd post Bullas Caroli IIII. & Declarationes Sigismundi (quæ huic Testamentariæ Tutelæ toties ab adversariis opponuntur) à duobus Heroicæ familiæ Austriacæ Principibus Augustis & Imperatoribus Testamentaria Tutela in Palatina familia Electorali, agnita, probata, receptaque ponitur, & luculentissimè probatur. *Otto* quippe Palatinus (de quo suprà adsertione proximâ verba multa fecimus) Tutor testamentarius post Bullam Caroli IIII. & post Sigismundi prætensas & obiectas Declarationes (superstitibus licet duobus fratribus ætate maioribus & senioribus) anno cIↃ CCCCXXXVIII. in *Alberto* Austriaco Archiduce Imperatore deligendo, velut testamentarius Tutor & Administrator Electoratus & Palatinatus, suffragium tulit: Et anno cIↃ CCCCXXXX. *Fridericum* Austriacum Imperatorem pariter elegit. Quem (*Ottonem* scilicet) reliqui Principes Electores, in tanta Sacri Imperii luce, in Comitiis (inquam) Imperii totius, (& quidem Imperatorum creandorũ causa calatis & indictis) velut suffragatorem & Collegam nunquam admisissent, si Palatinæ ditionis Tutela testamentaria Bullis Caroli IIII. & Sigismundi Declarationibus, tam horrendo legis carmine, & sub adeò duris & sævissimis omnium sanctionibus & pœnis (exilii & bonorum proscriptionis &c. Electoribus Palatinis & eorum fautoribus indictis) interdicta fuisset. Et alioqui quoque Maximos illos Imperatores vitio creatos dici oporteret, si prædictus *Otto* Palatinatus Tutor Testamentarius, verus Administrator Electoralis Palatinatus non fuisset, sed incubator vel malæ fidei possessor.

Verùm de alia ratione nunc videamus.

XIII.
ADSERTIO.
IVS AB AVGVSTISSIMO IMPERATORE RODOLPHO, NVNC FELICITER REGNANTE, ADGNITVM ET PROBATVM.

¶ DECIMATERTIA PRINCIPALIS RATIO, quâ præterea Friderici IIII. Tutela testamentaria nititur, ex RODVLPHI (Imperatoris Maximi, & feliciter hodie huius Imperii sceptra moderantis, & diutius adhuc Deo propitio victuri) decreto peti poterit. Anno quippe CIↃ IↃ LXXXI. Magnus ille Princeps, cum matura deliberatione certaque scientia, *dispositionem testamentariam de Tutela Electoratus Palatini* ab Electore LVDOVICO Palatino factam, in omnibus suis punctis, clausulis & articulis probavit. Quo ex sacro decreto satis superque colligitur, Electores Palatinos de liberorum, & bonorum suorum Electoralium Tutela disponentes, in Caroli IIII. Bullam & Sigismundi Declarationes non incidere, nec incidere potuisse. Confirmans [a] enim Imperator actum Electorum iam perfectum & cōsummatum, jus novum actui Electorali non tribuit, sed jus quod est vel existit antea [b], declarat tantum & demonstrat, ut amplius de eo dubitari non possit. Confirmatio [c] namque juris est iam quæsiti, cùm dubitationis omnis vel obscuritatis tollendæ gratiâ confirmatio accedit. Vt cùm bonorum possessionibus datis, Prætores tabulas defunctorum ritè confectas confirmant [d]: vel rectè facto testamento hæredibus institutis, secundum Tabulas bonorum possessionem tribuunt: Dubitationis [e] tollendæ causa, quæ stipulationibus (& consequenter actibus aliis huiusmodi) continentur vel inseruntur, Ius commune non lædunt, sed explicant potius & apertum reddunt. Et hoc eò magis de tanto Principe sentiendum est, quòd religiosissimus ille Iuris & Bullarum Imperatoriarum custos, adsertor & vindex esse præsumendus sit. Parum [f] est enim, jus in civitate aliquâ esse: nisi sit qui jus promovere, id est, manutenere possit. Alioquin absurdum sequeretur, Magnum illum Principem (Imperatorem dico) contra Bullas Caroli IIII. & Sigismundi Declarationes, testamentum Ludovici Electoris in omnibus punctis & articulis suis confirmasse: & sic Bullas illas Imperatorias non esse fixas & perpetuas, sed mutabiles & in Imperatorum manu & arbitrio positas. quod tamen Adversarii [g] constanter & fortiter negant.

Cùm itaque Princeps Augustissimus & hodiernus Imperator, in suo principatu, Testamentariam Tutelam Electoralem, & quidem Palatinam, in omnibus partibus & articulis probaverit, dicendum est: Ius quod perversis & pravis interpretationibus antea obscurum esse potuit, apertum, clarum, manifestum & notorium reddisse, & interpretationem certam rei (quæ per interpretationes, & cavillationes obscura vel

a] *l. & quia 6. π. de jurisdict. l. si donata. 36. §. 1. π. de donat. inter vir. & ux. c. 1. de confirm. utili. ubi Glossa in verbo, confirmantem. Gloss. in c. quia diversitatem. 5. in verbo forma communi de conceß. prabenda. v. 2. Gell. 2.*

b] *l. Aurelius. 28. §. testamento. 1. π. de liberat. legata. Ripa 2. Responf. 30. n. 6.*

c] *Hostiens. d. t. de confirmat. 6.*

d] *Inst. de bonor. possess. in pr. vers. aliquando: ibi sed magis confirmandi gratia.*

e] *l. qui mutuam. 66. π. mandati. l. 81. π. de R. I. l quæ extrinsecus. 65. de V. O.*

f] *l. 2. §. Post originem 13. π. de origine juris.*

g] *p. 11. Administrationis Neoburgicæ.*

cura vel dubia fuit) intulisse: & consequenter, ab illa interpretatione (velut omnium apertissima & certissima, & velut cœlitus demissa) recedendum non esse: quòd Principum Supremorum interpretationes omnes alias superent [a] & jus faciant. De alia ratione videamus.

a] l. 11. l. 9. l. vlt. C. de legatis.

XIIII. ADSERTIO. IVS CAMERA SPIRENSI PROBATVM.

¶ DECIMAQVARTA PRINCIPALIS RATIO, quæ huic testamentariæ Tutelæ Electorali adiumento maximè esse potest, ac deinceps esse poterit, *Senatusconsultum & Decretum sequens est Illustris Cameræ Spirensis*, quæ totius Imperii supremum est Parlamentum. Præses enim Curiæ non tantum, sed & Senatus integer excellentis illius Imperialis Cameræ, proculdubio Bullam Auream Caroli IIII. & Declarationes Sigismundi sæpius ac sæpius legit, & eius mentem probè cognitam habuit. Et quis quæso (ut cum Imperatore loquar) quis (inquam) melius voluntatem, mentem & veras interpretationes legum & Constitutionum Imperialium cognoscit, quàm Patres illi Conscripti; quàm tanti Senatus Præsides & Adsessores, quorum oculis obvia sunt omnia juris abstrusa; quorum in pectoribus & animis, arcana secretaque totius Imperii jura continentur? Et nihilominus tamen Senatus ille Maximus, cùm de Administratoribus Palatinis à Ludovico Electore testamento nominatis ageretur, non semel tantum sed & iterum ad libellos Principum (in illa causa actorum) adversus Illustrissimum Principem Iohannem Casimirum (Administratoris tunc partibus in Electoratu Palatino fungentem) respondit, & libellos & petitiones eorum super publicatione testamenti ab Electore Ludovico confecti recepit & admisit. Decrevit eadem Curia, quoscunque illud testamentum tangeret, ad eandem publicationem edictis publicis citari: quæ sanè, processus huiusmodi (Citationem scilicet & Compulsoriales) non rectè decrevisset, si (quod Neoburgenses jactant) verum esset, Notorium esse, Caroli IIII. Bulla Testamentarias Tutelas Electorales prohiberi vel excludi. Hæc pro testamentaria Principum Electorum tutelà adversus legitimam toties & adeò solemniter decreta, à tantæ & unicæ in toto Imperio Curiæ, supremisque omnium in Imperio Iudicibus (sic enim publicis in actis Imperii nuncupantur) probro vel dedecori cederent, si cõtrarium à Bullis Aureis Caroli IIII. & Sigismundi Declarationibus censuissent, & contra manifestissimas Imperatorum constitutiones iudicassent, & sanctiones pœnasque (famæ, corporis, pecuniæ, quas adversariæ partis patroni Bullis illis inesse) sesse Testamentariam Tutelam Electoralem tuentibus adserunt) prætermis-

præteriissent: imò pœnas illas ipsimet incurrissent: quasi nec Bullas ipsas vnquam legissent, vel lectas non intellexissent, vel intellectas, modis illicitis (odio scilicet, amore, vel sordibus) dissimulassent. Quæ dici vel cogitari, nefas omnium est maximum.

Cùm itaque jus testandi de liberorum &c: Electoralium Tutela Electoribus ipsis & quidem Palatinis, tanti Senatus decreto sit adsertum, grave sanè fuerit & perversum dicere, Tutores & Curatores à defuncto Friderico IIII. testamento nuncupatos, illegitimos & falsos Tutores esse. Non [a] enim sunt mutanda, quæ interpretationem huiusmodi adeò nobilem, illustrem, & certam tanti scilicet fulgoris Curiæ hactenus habuerunt: quia [b] quod tanti Senatus consilio ordinatum legitur, id ad beatitudinem Imperii & ad gloriam Imperatoris ipsius redundare præsumitur. Et utique, si tam conspicuæ Cameræ (Spirensis scilicet) Declaratione, Ludovico Electori (Friderici IIII. de cuius testamento nunc agitur, parenti) olim jure licuit de Tutela liberorum &c: testari: Cur non & eiusdem Senatus decreto sententiaque, Friderico IIII. (Ludovici illius filio) eodem modo testari hodie permissum vel liberum erit?

a] *l. Minimè 23. ff. de legibus.*
b] *l humanum 8. C. de legibus.*

De aliis rationibus, quæ hanc Tutelam Electoralem Testamentariam confirmant: videamus.

XV.
ADSERTIO.
PRÆTERIIT TVTELAM SIBI ADSERENTEM.

§ DECIMAQVINTA RATIO PRINCIPALIS Testamentariam hanc Tutelam defendens in eo posita est, quòd cuivis liceat Adgnatos quamvis proximos & seniores iustis & gravioribus de causis præterire. Atqui defunctus piæ memoriæ Elector inter gravissimas præteritionis causas hanc habuisse dicitur: quòd Proximior Adgnatus hanc adserere sibi Tutelam adversus conditiones ab ipso Electore propositas voluit. Atqui nemo [c] cogitur eum admittere, qui Tutelam sibi suis legibus adserit. Imò generaliter cautū [d] est, ut semper hoc maximè servent Magistratus, ne creent Tutores, qui seipsos volunt ingerere, vel qui [e] Tutores adfectant esse. Quinimò Iustinianus [f] ait; Curatores quicunque Dei memoriam habent, ad Curam difficulter accedere. Ob eam quoq; causam Procuratores [g] removendi sunt, si videlicet in procurationem alicuius ingerere se voluerint: Vt & Sacerdotes vel Episcopi (quærendi [h] sunt enim, & quidem cogendi, ut rogati accedant, invitatique effugiant: ut sola suffragetur eis necessitas excusandi, ut indigni sint Episcopatu, nisi inviti ordinati fuerint) & rursus Præfecti, cæterique cum Imperio Magistratus. Nam (ut legem Iuliam ambitus [i] omittam,

c] *l quæ omnia 25. ff. de procuratoribus.*
d] *l. scire 21 § ult. ff. de Tutor. datis.*
e] *§. 5. Instit. de excusat. Tutor.*
f] *Novella, ut hi, qui obligatas 72. c. 6.*
g] *d. l. quæ omnia.*
h] *l. si quenquam 31. C. de Episcopis.*
i] *V. l. unicam ad l. Iul. ambitus.*

omittam, quæ Magiſtratus aut Sacerdotia ambientes olim tenuit) Alexander [a] Severus Imperator meritò ſanè laudandus eſt, quòd Præfectum Prætorio aliquem fecerit, qui ne fieret fugerat etiam, dicens: *invitos, non ambientes, in Republica tolerandos eſſe*. Et eo quidem modo Martianus Imperator iubet [b] ad res publicas & privatas homines ſpectandos & conſultos, invitos trahendos eſſe: addens, felicem fore Rempubl. ſi à nolentibus & actus publicos repulſantibus adminiſtretur.

a] *Spartianus in Alexandro Severo.*

b] *Novella 1.*

Nec eſt, quod dicatur, *debitam legibus Tutelam ab Adgnato proximiore & ſeniore prætendi, vindicari vel adſeri, & ſic Illuſtriſſimum Adgnatum jus ſuum perſequi, nec in eo quidquam adverſus leges facere vel committere, denique ſe in hanc Tutelam ſine injuria cuiuſquam ingerere*. Poteſt enim dici, proximis Adgnatis Electoralibus Tutelam legitimam non niſi Teſtamentario deficiente Tutore deberi: hîc autem Teſtamentarium Tutorem aliquem Electoralem eſſe: Imò ne quidem proximo Adgnato Tutelam deberi, ſi minus commodum ſe verbis vel factis oſtenderit. Nam ut Creditor dici non poteſt, qui actionem vel perſecutionem habet, ſed [c] quæ exceptione poſſit elidi: ita Conſanguineus vel Adgnatus, licet proximior & ſenior, ad Tutelam Adgnati legibus vocatus, legitimus Tutor, vel etiam legibus vocatus dici non poteſt, quam diu [d] exceptione legitimâ ſubmoveri à Tutela poteſt vel poterit.

c] *l. Creditores 10. ff. de V. S.*

d] *arg. l. 15. qui, 42. §. 1. ibi ſi tamen exceptione non ſubmoveatur ff. de oblig. l. 55. ff. de V. O.*

¶ DECIMASEXTA PRINCIPALIS RATIO. Leges, quin & Bullæ toties allatæ volunt, ut proximus Adgnatus *Tutor Curator & Adminiſtrator* ſit. Igitur ut liberos & ſtatum defuncti tueatur. Atqui Proximior & ſenior Adgnatus ab Electore Friderico IIII. rogatus, ut Tutelam hanc admitteret, eâ lege, ne quid in ſtatu &c. mutaret, eam conditionem admittere noluit; & ſic non tuendi, ſed mutandi animum habere ſe teſtatus eſt. Iure itaque defunctus Elector eum præteriit, & præterire teſtamento ſuo potuit. Leges enim Tutorem liberorum & ſtatus eorum Tutorem exigunt, non mutatorem. Volunt, ut proximus Adgnatus muneris ſui nomini [e] reſpondeat, & ſatisfaciat, nempe ut ſit Tutor non mutator. Denique ut Conſtitutiones illæ Tutorem vocant: ita mutatorem ſtatus & argumento à contrario deſumpto excludunt. Tutorem [f] enim à tuendo dictum eſſe norunt omnes. Quemadmodum itaque qui [g] contra voluntatem legis, ſtatuti, teſtamenti, pacis, fœderis, unionis, vel contractus alicuius petit aliquid, vel agit, vel experitur, vel facit, fundare ſe in prædictis nullo modo poteſt: ita

XVI. ADSERTIO. PRÆTERIIT EUM, QUI TUTORIS NOMINI RESPONDERE VEL SATISFACERE NOLUIT.

e] *l. 1. ff. de Tutelis. §. 1. Inſtit. de Tutelis.*

f] *d. l. 1. in pr. & d. §. ff. de Tutelis.*

g] *l. cum pater 77. §. libertis 27. & ibi Bald. num. 2. ff. de legat. 2. & l. qui fidem 16. ff. de Transact.*

Consanguineus Bullis Imperatoriis niti non poterit, si Bullis ipsis satisfacere recusaverit.

XVII.
ADSERTIO.
PROXIMVS ADGNATVS SE FACTIS ET VERBIS EXCLVSIT.

¶ DECIMASEPTIMA RATIO. Potest dici, Proximiorem & Seniorem Adgnatum se ipsum factis & verbis hac Tutela exclusisse, ut ex sequentibus circumstantiis patebit. PRIMÒ: quia rogatus ut hanc Tutelam in se reciperet, & ne quid in statu &c. mutaret, responsum Categoricum per biennium distulit, cùm singulis horis de vita longiore desperaret Elector. Dilatio tanta in re adeò præcipiti, ardua, magnique momenti, tam proximo Adgnato Electori scilicet commissa, præsumptionem maximam adversus tacentem induxit, quòd scilicet gerere tutelam noluerit, aut non eo utiq; modo quo defunctus Elector ipsi detulit. SECVNDÒ: quia rogatus, ut nihil in statu &c. mutaret, expressè tandem respondit: *Nullis conditionibus adstrictam Tutelam sibi deberi*. Igitur, ut πρὸς ἔπος, id est, ad interrogationem, & ad omnia eius capita respondisse videatur, dicendum est, animum utriusque mutandi habuisse, ut stipulationi duo capita continenti, congruat responsio. TERTIÒ: quia liberam & nullis adstrictam conditionibus Tutelam sibi deberi adserendo, jus mutandi sibi vindicavit: *Liberam* [b] *enim & nullis adstrictam legibus Tutelam* petens, Ius rationis, æquitatis, & canonis sequi non cogitur. Volunt autem leges, ut Tutor quicunque sit, legibus adstringatur, & legibus limitatam suam potestatem habeat: nempe ut ne possit pro suo arbitrio, statum resq; pupilli alienare [c], mutare, in aliumve statum vertere contra voluntatem expressam defuncti.

a] *l. de atate 11. §. quod autem 5. ff. de interrogat. act.*
b] *la.f. l. si sic legatum 26. n. 11 ff de legat. 1. Menochius 1. de Arbitr. 13. n. 13. Doctores in l fideicommissa 11. §. quanquam autem 7. ff. de legat. 3.*
c] *l. non omni 16. l. lex qua Tutores 22. C. de Administr. Tut.*

XVIII.
ADSERTIO.
PRÆTERIIT DEFVNCTVS ELECTOR EVM, QVI CAVERE CAVENDA NOLVIT.

DECIMAOCTAVA RATIO. Cavere vel promittere id quod & cavere & promittere Legitimi Tutores debent. Proximus Adgnatus noluit. Præteriri itaque testamento jure potuit. Primum enim lex jubet, ut [d] legitimus etiam Tutor, quamvis proximus Adgnatus caveat *Rem pupilli vel adulti salvam fore*. nec nisi sub illa cautione solenni admittatur, sed ut omnimodo repellatur & excludatur. Atqui tantū abest, ut Proximior & Senior Adgnatus hanc Cautionem & quidem idoneam (datis fidejussoribus) voluerit præstare, ut ne quidem jurare, imò ne quidem simpliciter promittere id unquam defuncto Electori voluerit; se scilicet rem liberorum & subditorum Electoralium in statu suo servaturum: Cùm tamen certissimum sit [e]: Leges hanc cautionem à legitimis Tutoribus exigere, ne res & negotia minorum à Tutoribus & Cura-

d] *l 44 §. 2. §. ult ff. rem pupilli inst. de satisdat in fin. l. 5. ff. de susp. ect. Tut 1.*

CAVTIO.
REM PVPILLIS SALVAM FORE.

e] *Inst. de satisdat.*

& Curatoribus consumantur. Nec est, quòd quisquam putet, sub illa cautione, *Rem pupilli salvam fore*, contineri tantum rerum mobilium, immobilium, moventium conservationem, non autem liberos & subditos ipsos salvos fore, vel alia cætera, quæ præcipua liberis & subditis sunt vel esse possunt. Principem enim locum in illa Cautione, *Rem pupilli salvam fore*, obtinere debent Electorales ipsi liberi, subditique ipsi Testatoris: ut scilicet Tutor nihil in liberorum & subditorum Electoralium personis & statu mutet: ut res illas duas (quæ scilicet à Serenissimo defuncto Electore Proximiori Adgnato adeò specialiter insinuatæ fuerant) omnium inæstimabiles tueatur & conservet. Rebus enim cunctis (vasis etiam sacris) pretiosiores sunt hominum personæ, vitæ, animæ [a]. Si enim [b] pro causis corporalibus leges & Imperatores cogitant, quantò magis pro Animarum salute?

a] *l. sancimus. 21. C. de sacrosanct. Ecclesiis.*
b] *Novell, ut cum de appellat. 115. c. 3. §. 14. in fin.*
c] *l. 1. §. 3. & passim. π. Usufructuarius quemadm. caveat.*

II.
CAUTIO.
DE USUFRUCTU RESTITUENDO.

SECUNDÒ. Licet adhuc Proximior Adgnatus alio ex capite, vel ex alia causa, verbi gratia, velut FRUCTUARIUS hanc Tutelā peteret, nihilominus Cautionem alteram præstare cogeretur, *se bonis fructuariis viri* [c] *boni arbitratu usurum*: hoc est, non deteriorem causam usufructus facturum: adeo ut Testator [d] eam cautionem fructuario remittere Testamento suo non possit. Atqui huic conditioni satisfacere noluit Proximus Adgnatus, qui prædicta se mutaturum in animo habere non obscurè testatus est.

d] *l. 1. C. de usufruct. Et est cōmunis opinio, ut refert Socin. 1. consil. 231. Bellonus consil. 54. Dilectus de arte Testan. tit. 8. cautel. 1. Clarus 3. sent. §. testā. q. 64.*

III.
CAUTIO.
DE FIDEICOMMISSO RESTITUENDO.

TERTIÒ. Alia ratione cautionem prædictam, *Rem pupillorum Electoralium salvam fore*, præstare senior Adgnatus debuit, quam tamen præstare distulit. Licet enim Proximior Adgnatus hanc Administrationem Electoralem FIDEICOMMISSI cuiusdam legitimi jure deberi sibi prætenderet (sua tamen die restituēdam & reddendam primogenito Electoris filio ætatis suæ facto): adhuc tamen cavere idoneè cogeretur: quæ Mæciani [e] sententia fuit, de tanta pecunia die suâ restituenda: vel (quæ Ulpiani & doctorum sententia est) promittere nuda cautione deberet, se tantam pecuniam hæredi redditurum. Quinimo falleret adhuc hæc posterior sententia, si fideicommisso gravatus, se minus commodum exhiberet. hoc enim casu fideicommissario, pecunia hæredis permittenda non esset, nisi fidejussorem & quidem idoneum hæredi daret: ut Baldus ad illum [f] locum notatum reliquit. Si hæc cautio, cùm de pecuniis tantum vel rebus inanimatis agitur, necessaria est, quantò magis cùm de statu publico, si cautio nec fidejussoria, nec juratoria, imò nec nuda interposita ab Adgnato proximiore fuerit?

e] *l. fideicommissa. 11. §. si hæres rogatus fuit 15. π. de legat. 3. ubi Bald. Romanus singulari 587. arg. l. in omnib. 41. π. de judic.*
f] *d. §. si hæres rogatus 15. arg. l. si fidejussor. §. ult. π. qui satisdare.*

IIII. CAVTIO. PROCVRATORIA.

QVARTÒ. Licet tanquam PROCVRATOR Electoralis legitimus, & à lege constitutus, hanc etiam procurationem & Administrationem Proximior & Senior Adgnatus sibi vindicaret, posset tamen cautio adhuc illa ab eo exigi, tanquam à Procuratore Electorali futuro. Imò Procurator [a] ad exigendum constitutus, si conditionem suam sic mutavit, ut minùs commodus videatur, eo ipso Procurator esse desinit, & mandatum eius finitur, & debitores ei solventes non liberantur, si scientes id fecerint.

a] *Bald in l. pater heredi 4. π. de testam. Tut. ubi allegat. l. 4. π. quod vi l. frumenticiis. π. de his quibus ut indignis l. liberto suo. 21 § sanguinis 4. π. de annuis legatis l. dispensatorem 62. l. si cùm Cornelius 82. π. de solut.*

CVM itaque Proximior & Senior Adgnatus prætendens hanc Tutelam titulo Tutorio, vel Curatorio, vel Fructuario, vel Fideicommissario, vel Procuratorio, nec cavere, nec jurare, imò ne quidem simpliciter promittere voluerit, res liberorum Electoralium, & status Electoralis salvas fore, satis apparet, cum ab hac Tutela legibus exclusum, & à defuncto Electore jure præteritum, & alium testamento rectè datum.

CAVTIONEM, SI HODIE CONSANGVINEVS OFFERRET, NON TAMEN ADMITTENDVS ESSET.

QVINIMÒ licet Proximior Adgnatus, qui olim, vel antea, Rem pupilli salvam fore, satis non obtulit, satisdationem nunc offerret, adhuc [b] tamen posset hodie adversus eum excipi, propter indubitata mutationis secuturæ indicia. Expedit enim magis pupillo rem salvam fore, quàm Tabulas inanes & fragiles cautionis vel promissionis, Rem salvam fore, habere: quia [c] satisdatio propositum Tutoris non mutat, sed diuturniorem mutandi in re familiari occasionem ei præstat.

b] *l. suspectus 5. π. de suspectis.*
c] *l. quia 6. π. de suspectis l. testamento 17. §. 1. §. 2. π. de Testam. Tut. l. scire oportet 21. §. 5. π. de Tutoribus datis.*

XVIIII. ADSERTIO. NECESSITATE MVTATIONVM AVERTENDARVM COGENTE DEFVNCTVS ELECTOR TESTATVS EST.

§ DECIMANONA RATIO, & quidem pluribus aliis confertim munita, quæ Testamentariam hanc Tutelam tuetur, Vis est maior, & Necessitas summa (liberorum scilicet & subditorum salus, ne quid in illis mutaretur) quæ hanc Tutelam Electori defuncto extorsit. Necessitas [d] (inquam) quæ [e] quod non est licitum, licitum facit: quæ [f] Nuptiarum divortia licet infausta permittit: quæ [g] à Sabbati & jejunii observatione dispensat: quæ [h] inculpabile reddit, quod aliàs culpari fortassis posset: quæ facit, ut à communi strictaque regula recedere liceat [i]: cui Tryphoninus [k] succumbendum, id est, cedendum esse respondit.

d] *l. 2 § quæritur 5. in fin. ibi, nisi vel magna necessitate & Imperatoris arbitrio. π. de Curatore bonis dando. l. 1. § huius ubi Ias. π. de offic. eius cui mandata.* e] *quod non est licitum extra. de regulis.* f] *l. consensu 8 ibi, necessitate pressus, & ibi, necessarium auxilium C. de divortiis.* g] *d. c. quod non est 4. extra de regulis. Beda super Marcum.* h] *Leo Pontifex. 34. q. 1. C: 1. in fin.* i] *l. 1. § cum in ea. π. ad l. Rhod. de iact. l. quæ propter necessitatem π. de reg. juris. Adde Rolandum à Valle 3 consil 80. ubi plura profert exempla necessitatis ob causam permissorum.* k] *l. Titius 45 § ult. π. de excusat. Tut.*

ſpondit. Et utique Neceſſitas [a] eſt, quæ navigia jactu exonerat, quæ ruinis incendia opprimit, quæ lex etiam temporis appellatur. Et breviter ſumma rerum omnium ratio, ſtatus ſcilicet & Religionis, (cuius cauſa, ut elegãter [b] Papinianus retulit, jus ſtrictum inſuper habemus, & vulgares Iuris regulas negligimus) hanc Tutelam Electoralem Teſtamentariam vi quadam maiore & divina (ut antea diximus) extorſit: cui per ſtimulos naturales vel paternos reſiſtere defunctus Elector non potuit. SECVNDÒ. Si Legibus eſt permiſſum Patriſamiliás, res liberorum & ſubditorum mobiles, moventes, immobiles, nomina, jura denique omnia in tuto, condito Teſtamento collocare: quantò magis ei permiſſum eſt, liberorum & ſubditorum ſtatui & publico & cæteris huiuſmodi gravioribus, teſtamento facto conſulere, ne eo mortuo ſtatus publicus aliquid detrimenti capiat vel ſentiat? cùm res illæ duæ omnium pretioſiſſimæ & inæſtimabiles ſint, ut in quarum mutatione vel everſione, ſtatus non tantum provinciæ, ſed & vicinorum Imperiique (ſerpentibus ita plerunque latiùs malis ad vicinos & remotos) periclitari poſſit? TERTIÒ. Si Iudicis officium eſt occurrere [c], ne partes ad arma vel rixas veniant: non minus ſanè liberum Electori defuncto fuit, (merum imperium & omnimodam juriſdictionem ſuis in ditionibus & provinciis habenti) teſtamento ſuo tantis mutationibus occurrere, & hanc Tutelam adfectantes, & in eam ſe inſinuantes, viâ quacumque legitimâ excludere. Difficilius enim quis ſemel admiſſus excluditur, quàm non admittitur: præſtatque [d] rei incumbere, quàm petere vel in perſonam agere. QVARTÒ. Ius Civile Conſanguineis illis & Adgnatis pupillos vel minores vult committi, qui Mores eorum mutare veriſimiliter nolint vel non poſſint: ne res omnium præſtantiſſimæ, minoribus mutatione facta pereant. In Adoptionibus [e] ita prius hoc inquiritur, ut non cuivis adoptare quemque liceat, ſed ei tantùm, qui ſanctiſſima adfectione ſit præditus, quique Mores Adoptati non ſit mutaturus. Quinimò in ipſis Tutelis & Curis idem inquiritur. Cum reliquis enim (id eſt aliis circumſtantiis plerisque) oportet [f] Magiſtratum mores Tutorum & Curatorum creandorum inveſtigare. Nec [g] enim patrimonium, neque dignitas ita ſufficiens eſt, ad fidem, ut bona Electio, & voluntas, & benigni mores [h]. QVINTÒ. Si [i] miſeri Iudæi privilegium hoc legibus noſtris obtinent, ut ſine moleſtiâ in Imperio Romano vivant, in iis per quæ cultus eorum lædi vel mutari non videtur: quantò magis Chriſtianus Princeps Elector Palatinus eam libertatem & ſecuritatem liberis & ſubditis ſuis re-

a] *Seneca 4. Controverſ. 4.*

b] *l. ſunt perſonæ 43. π. de religioſis. Papinianus 8. Quæſt.*

c] *l. ſi cuius 13. §. æquiſſimum 3. π. de uſufructu.*

d] *§. retinendæ 4. verſ. & quia longè. Inſt. de interdictis. l. ult. π. de adqui poſſ. l. ult. C. de rei vindic.*

e] *l. nec ei permittitur adrogatio 17. in pr. & deinceps. π. de adopt. Theoph. §. 2. Inſt. eod. Scholiaſtes ſynopſ. Baſil. 1. c. 17. l. 3. Cod. de adopt.*

f] *l. 2. C. ubi pupilli educari.*

g] *l. ſcire oportet. 21. §. cum reliquis 5. π. de Tutoribus datis.*

h] *l. ſatisdatum 8. π. de ſuſpectis. §. ult. Inſt. de ſuſpect. l. 5. Cod. eod. l. 17. § 4. π. de Adminiſtr. Tutor.*

i] *l. ſpadonem 15. §. tam autem Iudæi 16. π. de excuſat. Tutor.*

linquere debuit & potuit? Cùm non tantum à patruo (Casimiro) sed & avo imbutus & institutus ita fuerit, & illum cultum per multos satis annos feliciter retinuerit, & vicinis amicus in omnibus fuerit: Et exemplum præterea testandi (de liberorum scilicet & subditorum Tutelâ, sanè domesticum & satis recens) à patre suo Ludovico sumere potuerit. Sextò. Cùm certissimum [a] sit, Tutores Minorum & Reipublicæ procuratores munus suum non ad suam & propriam, sed eorum qui ipsis sunt commissi, utilitatem gerere debere, colligi ex eo potest, Educationem & Institutionem huiusmodi paternam, pupillis & minoribus & eorum subditis sartam tectam relinquendam esse, non autem à Tutoribus & Curatoribus pro arbitrio mutandam, cùm ad Minorum & eorum qui Minoribus sunt subditi, utilitatem Tutores & Curatores munus suum & officium referre debeant. Septimò. Si [b] Tutores & Curatores Minorum, alienare domum, in quâ pater eorum defecit, in quâ Minores ipsi creverunt, in quâ Maiorum imagines aut non videre fixas aut revulsas videre, satis est lugubre: si nullum ædificii genus, quod integrum hæreditas Minori dedit, facto Tutoris perire debet: quantò minus, legitimo licet, Tutori permittendum fuerit, Educationem & Institutionem minorum & subditorum mutare, in qua defunctus paterfamiliâs Elector, & Electoralis Principatus Dominus defecit, in quâ junior & præsens Elector crevit? quantò deniq; minus Tutori permittendum erit, Institutionis paternæ sanctissimas (ut ita loquar) imagines refigere, & pietatis illa ædificia Templaque invitis liberis Electoralibus deponere? Octavò. Si Tutoribus imputatur, qui res insuetas vel insolita negotia instituerunt vel adgressi fuerunt, quæ nunquam defunctus instituit vel instituisset: si Consuetudinem [c] defuncti, qui contraxit forte, qui disposuit, qui testatus est, non modò Tutores & Curatores, sed & Iudices spectare & eam sequi jubentur: quantò magis cavere Testamento defunctus potuit, ne quis (quantumvis proximus) ad Tutelam admitteretur, qui receptam publicè Institutionem mutaturum se profiteretur, qui rem tam insolitam imò prohibitam à defuncto mutare conaretur? Nono. Si cùm novum [d] opus vicini nobis nocet vel nocere potest: aut si cùm [e] damnum infectum nobis imminet (quòd res illa celeritatem desideret) vel aqua [f] pluvia vicini nobis nocitura: Cautionem ab eo exigimus vel agimus, ut opus quod fecit destruat vel tollat, & damnum præstet: Quantò magis aut justius defunctus Princeps Elector ab Adgnato proximo Cautionem & promissionem saltem nudam exegit, ut nihil in

a] *Tullius Officiorū 1.*

b] *l. quatutores. 22. C. de administr. tutor.*

c] *v. Manticam. 3. Conject. 9. l. si servum plures 30. in f. ibi, ipsius patrisfamiliâs consuetudo: π. de legat. 1. l. heres palàm. § si quid post. ibi ex consuetudine patrisfam. π. de testam.*

d] *l. 1. π. de operis novi nunc.*

e] *l. 1. π. de damno.*

f] *l. 1. §. 1. π. de aquâ pluvia.*

nihil in statu &c. commutaret: & huiusmodi promissionem defugiens vel differens, se minus in Tutela gerenda commodum fore testatus est. DECIMÒ. Si [a] contra Novatores Regiminum & Administrationum lex præsumit, & lex eos non admittit, qui novant: quia Novitas [b] semper vel ut sæpius periculosa, &, si quibusdam, Civitatibus maximè noxia: defunctus utique Princeps Elector pientissimi patrisfamiliâs & Principis officio perfunctus est dicendus, qui Novationum nocentia (ut cum Iustiniano [c] quodammodo loquamur) volumina resecare Testamento suo festinavit ac studuit. VNDECIMÒ. Adeò æqua & sine [d] cuiusquam indignatione justa hæc status &c. non mutandi stipulatio à defuncto Electore interposita extitit, ut in simili casu Proximior & Senior ipse Adgnatus à Tutoribus (si quos ætate minores liberos fortè relinqueret) probabiliter ac verisimiliter (quâ pietate erga liberos & subditos suos est affectus) idem stipulari præverteret, & Adgnato proximo, absolutam, liberam & nullis conditionibus adstrictam Tutelam petenti similibus in rebus, denegaret: ut proinde quod in se suâque personâ æquum probaret, id in Electoris defuncti persona, bonum, æquum, honestum, justum, utile, tutumque ducere teneatur: ut [e] quod quisque juris in alium statuere velit, ipse eodem jure utatur. Hæc enim summa æquitas est & sine cuiusquam indignatione justa: ut quod [f] tibi fieri non vis, alteri ne facias. DVODECIMÒ. Licet Princeps Elector defunctus per fideicõmissum (cæteris vel multis aliis Principibus, paribus in causis commune) Adgnationi suæ gentique vel proximis Adgnatis sit obstrictus, statum Electoralem fideliter ac sinceriter rebus stantibus, uti oportet, servare ac restituere: non in eo tamen defunctus Elector peccavit vel ullo modo peccare potuit, cùm primum Charitatis & Amoris erga liberos & subditos gradum servare voluit: & liberis primùm, deinde subditis & aliis consulere voluit. *Charitas* [g] enim (ut dici vulgò solet) *benè ordinata, à seipsa incipit*; & ut Accursius [h] ex trito versu recitat:

Alpibus ille perit, qui se plus diligit ullum. DECIMOTERTIÒ. Cùm ex status mutandi proposito, iussis & imperiis huiusmodi insolitis infausta quæque procreari, oriri, nasci in Republica vel statu soleant (verbi gratia renitentiæ, resistentiæ, motus, seditiones & turbæ, Status ipsius denique subversiones & excidia) non potest Electori defuncto vitio verti, quòd tantum periculum à liberorum & subditorum cervicibus avertere testamento suo festinaverit; quo Principatus Electoralis in alteram fortassis familiam vel gentem civilibus discordiis transferri

a] *Angelus in l. in rebus π. de constit. Princip.*
b] *Butrius c. non debet. de consanguin. Cravetta consil 34. Alciat. 2. Præsum. 30. Menochius 3. Præsumpt. 34.*
c] *l. ult C. de Novat.*
d] *l. 1. π. quod quisq. juris in.*
e] *d. l. 1. π. quod quisq. juris.*
f] *dictum est Alexãdri Severi apud Lampridium.*
g] *l. ult. C. de servitutibus.*
h] *d. l. ult.*

transferri potuit. Bellorum enim Civilium insaniâ jus omne sanctum sacrumque profanatur[a]: & quæ bellis externis steterunt diutius regna, domesticis interdum, alio nullo impellente vicino, facillimè ruunt.

Decimoquartò. Cùm cuivis à liberis & subditis liceat periculum avertere: Cùm magis in liberorum[b] & subditorum personâ, quàm in propria patres, & devotissimi[c] populo suo Principes terreantur: Cùm liceat unicuique[d] sanguinem suum & sic liberos qualiter qualiter à mutationibus futuris redimere: Cùm in[e] omni quæstione Principi propositum esse soleat & debeat, Bonum publicum: Cùm[f] Salus populi lex suprema sit: Cùm nullum[g] Ornamentum Principis fastigio dignius pulchriusque sit, quàm illa Corona Ob cives servatos: Cùm Principes, Patres Patriæ[h] non tantum nuncupari sed esse re vera studeant: Quid quæso novi vel quid iniusti defunctus Elector admisit, cùm Statum Palatinum liberis & subditis servare, uti fuit, festinavit?

Decimoquintò. Si liberam & nullis conditionibus adstrictam, & sic potestatem mutandi continentem, Tutelam & Curam & Administrationem Proximior & Senior Adgnatus deberi sibi adseruit, & hoc solemniter est testatus: quantò magis defunctus Elector liberam & absolutam Administrationem liberorum & subditorum Electoralium (ne quid scilicet in eorum statu mutaretur) ipse vindicare vel sumere sibi potuit? Cùm actu vel pro tempore Elector Status totius Electoralis verus plenusque dominus & proprietarius fuerit: Cùm moriens jus illud quoque habuerit, & post mortem suam potestatis huius plenioris reliquias (aliorum Testatorum more) Testamento suo edere potuerit: Cùm ut superstitis personam ita quoque defuncti, felicis & Beati memoriam venerabilem & sanctam liberi, subditique habere debeant: ut patris[i] & patroni persona vel memoria semper, & ubique (id est etiam post eorum mortem,) liberis & libertis honesta sanctaque videri debet: Et tam[k] defunctis quàm vivis parentibus & patronis reverentia à liberis & libertis exhibenda est.

Decimosextò. Licet Adgnatis & amicis pleraque concedi moris sit, quæ aliis ita tribui non solent: Pericles[l] tamen scito admodum responso nos monuit: *Amicis quidem succurrere nos debere, sed tamen ad aras usque.*

Decimoseptimò. Mutationes omnes in civitatibus maximè periculosas & cavendas esse, Plato[m] certissimis & iustissimis rationibus demonstrat. *Mutationes* (inquit) *omnes, præterquam in malis, periculosissimæ sunt: nullaque pestis maior in Republica est quàm mutatio.* Et alibi[n], officia describens eleganter Tutorum & Curatorum: *Tutores* (inquit) *ante omnia*

a] *Seneca 1. de Benefic. 10.*
b] *l. isti quidem. 8. π. quod metus causa.*
c] *Decis.*
d] *l. 1. de bonis eorum qui ante sentent.*
e] *Senec 7. de benef. 10.*
f] *Cic. 2 de Legib.*
g] *Seneca 1. de Clementia 26.*
h] *Seneca 1. de Clementia 14. l. 19. π. de interdictis & relegatis.*
i] *l. liberto 9. π. de obsequiis patrono.*
k] *l. 4. §. adversus parentes 16 ibi semper enim reverentia π, de doli mali exc.*
l] *1. Gell 3.*
m] *Plato 7. de Legib.*
n] *lib. 11. de Legib.*

omnia DEUM *numenq́, divinum timeant : quia sensum & memoriam minorum (parentibus suis destitutorum) Cœlites id est Dii ipsi habent*. *Secundò, Minorum Tutores & Curatores*, Mortuorum *(id est defunctorum patrumfamiliâs, qui testamento condito vel ab intestato sunt mortui)* Animas *spectent, & defunctos minorum parentes, liberorum suorum (pupillorum scilicet & Minorum) curâ & sollicitudine adhuc tangi existiment*. *Tertiò, Minorum Tutores* Superstites etiã homines *videant, Senes maximè & viros in magnis dignitatibus positos, qui Tutelaribus in causis acutiùm cernunt & audiunt, & benè gerentibus Tutelas, propitii sunt; malè verò gerentibus, infesti esse solent*. *Et in Summa, Tutores Minorum in rebus non minus, imò magis quàm suis prospiciant: Tutelam enim Depositum maximum & sacrum esse*. Ex prædictis pius quisq; colligere poterit, Tutores quoscunque (etiam legitimos) minorum suorum mores & statum, depositi maximi & quidem sacri loco censere : & consequenter educationem & statum eorum non mutare nec attingere : & ab illis rebus permutandis, velut deposito maximo, sacro, sanctissimoque abstinere debere: ut nihil in huiusmodi rebus mutent, sed ut ea quæ minorum ipsorum fuerunt, integra, illibata, salva, incolumia, & quidem, *Totaliter* (ut Bullæ Caroli IIII. verbis utar) restituant: non minuta, alterata, deteriorata. *Mos enim suus cuique*, quod dici solet, *pulcher est*. Vtatur [a] quisque sua lege : *Tibi illud licuit, & mihi hoc licet*. Ac præterea, quàm abstinendum sit in Republica à mutationibus, docet nos etiam Massiliensium [b] civitatis exemplum. Ab urbe namque illâ condita, gladius ibi erat, quo noxii jugulabantur, rubigine quidem exesus, & vix sufficiens ministerio: sed *Index* (ut Valerius [c] ait) *in minimis quoque rebus omnia antiqua consuetudinis momenta servanda esse*. DECIMOOCTAVO. Cùm ex denunciationibus factis, & minis exilii, proscriptionis, banni &c. à Proximiore & Seniore Adgnato jactatis, defunctus Fridericus IIII. Elector satis superque se & liberos & subditos peti senserit, liberum sanè ipsi fuit, de liberorum & subditorum Tutelâ testamento suo disponere: quia nec [d] Iure, nec legibus, offensuro Tutori pupilli committendi sunt. Nulla lex, quæcunq; tandem proferri poterit, id Tutori vel mandabit, vel permiserit. DECIMONONO. Cùm Proximior & Senior Adgnatus prædictis denunciationibus & minis defunctum Electorem terruerit, & pœnas pecuniarias, famæ, corporales, & alias minatus ei fuerit : ignoscendum sanè defuncto videtur Electori, si se suosque pariter tueri voluerit. Minas enim jactanti vel Adgressori [e] omnis culpa semper imputanda est. Ius enim gentium est, ut [a] vim atque iniu-

a] *Seneca. 10. Controvers. 2.*

b] *2. Valer. 6. §. 7.*

c] *libro 2. c. 6.*

d] *Paulus. 2. Sent. 27. §. 1.*

e] *l. 1. §. cùm arietes. 11. π. si quadr. paup. l. si ex plagis. 52. §. 1. π. ad l. Aquil. l. in hoc judicium 10. in f. π. de servo cor.*

a] l. [illegible] 3. π. de [illegible]

b] l. 2. π. de Tutelæ & ration. distrah.

riam propulsemus. Et jure hoc evenit, ut quod quisq; ob tutelam corporis (pars autem corporis nostri liberi sunt & subditi) fecerit, jure fecisse videatur. Hoc etiam inter Cognatos & Consanguineos servãdum est, ut alterum alteri obesse nefas sit. VICESIMO. Cum [b] actione Tutelæ de rationibus distrahendis teneatur, qui in tutela gerenda rem ex bonis abstulit: quantò magis defunctus Elector cavere potuit & debuit, ne Tutor liberis & subditis, ritus moresve receptos in statu mutaret? Metus illius mutationis abfuisset, & proximior seniorque Adgnatus de prædictis Electori defuncto sub fide Principis cavisset, utique hodie hæc controversia non extaret.

HACTENVS necessitatis causas complures & æquissimas, quæ defunctum Electorem de liberorum suorum Tutela permoverint, & quæ hanc Testamentariam Tutelam Electoralem & Testamentarium Tutorem adversus legitimum defendunt, recensui. De alia postremò videamus.

XX.
ADSERTIO.
PRO ADMINISTRATORE TESTAMENTARIO, VELVT POSSESSORE, IN DVBIO IVDICANDVM.

c] l. 126. in fin. l. 128. π. de Regulis.
d] l. 1. & passim. π. uti possidetis. l. 2. π. de interdictis. §. retinendæ 4. Inst. de Interdictis.

VICESIMA ET POSTREMA RATIO. Cùm Proximior & Senior Adgnatus actor sit, nec jura sua manifestius & evidentius probaverit, quàm hactenus editum sit publicè: Serenissimus contra Testamentarius Tutor & Administrator plura, potiora & manifestiora jura protulerit: & in possessione Administrationis sit Electoralis, non tantum defuncti Electoris Dispositione, sed & omnium provincialium & ordinum consensu, quin & Cæsaris & Electorum aliorum, Principum Statuumque Imperii adprobatione: nemo dubitat, pro Serenissimo Administratore Testamentario, velut pro reo & possessore, in [c] dubio, dum scilicet via juris ordinaria de jure principali Electoralis Administrationis disceptabitur, judicandum esse adversus actorem, ne pax Imperii publica, juris incerti causâ ab actore turbetur. Hæc enim vis Interdictorum retinendæ [d] possessionis usitata est, quam si quis mutare voluerit, eadem opera jus mutet & violentiæ fenestram aperiat necesse est.

DE TVTELIS ELECTORALIBVS TESTAMENTARIIS
LIBER III.
quo continetur
REFVTATIO sive REPLICATIO COMPENDIOSÆ ET BREVIS DEMONSTRATIONIS A NEOBVRGENSIBVS EDITÆ ANNO CIↃ IↃC X.



NVNC ARGVMENTA CONTRARIA DISSOLvamus, & eo quidem ordine, quo COMPENDIOSA BREVISQVE DEMONSTRATIO pro Serenissimo Principe Philippo Ludovico Duce Neoburgensi nuper edita ea digessit ac disposuit, paginis fideliter adscriptis: ut eò magis Adversariorum singulis obiectionibus singulas Responsiones congruere Lectoribus constet.

OBIECTIO PRIMA.

I.

LEGIBVS Imperii proximior & senior Agnatus ad Electoralem Administrationem vocatur?

¶ FRIDERICVS IIII. *piæ memoriæ Elector, testari de liberorum & subditorum Electoralium Tutelà contra juris formam non potuit: quia,* (inquiunt [a] Adversarii) *Legibus Imperii perpetuò & inviolabiliter observandis id provisum est, ut si Electorem mori, & heredes masculos relinquere contingat, patientes defectum ætatis legitimæ (quæ* XVIII. *annis completis definitur) quòd tunc Senior & proximior Agnatus Tutor eorum & Administrator existat.* Et post [b]. *Quia lex Imperii expressa in Aureâ Bullâ Caroli IIII. certam juris* FORMAM *tam in successione, quam*

a] *pag 1 Compendiosæ & Brevis Demonstrationis paulò ante finẽ.*

b] *p. 1. & 2. in pr.*

in Administratione præscripsit, ut ea scilicet seniori & proximiori deferatur. Ergo & Illustrissimo Neoburgico, qui Adgnatus proximior & senior est, hæc Electoralis Tutela debetur.

I.

RESPONSIO.

LEGIBUS Imperii proximior & senior Adgnatus ad Electoratus Administrationem indistinctè nō vocatur.

RESPONDEO. Vitia in hoc Demonstrationis Neoburgicæ limine plurima nobis occurrunt. Primùm enim verum non est, quod aiunt Adversarii, *Legibus* (& sic in plurali) *id provisum esse, ut senior & proximior Adgnatus Tutor & Administrator existat.* Nam Bulla Caroli IIII. *fratris* tantum meminit, non Agnati, non Consanguinei, non Senioris vel Proximioris. Quinimò nec Sigismundi sequens Declaratio Adgnati mentionem facit, sed Consanguinei. Adeo verba Bullæ Caroli IIII. & Sigismundi contorserunt & mutarunt Adversarii. Et horum tamen si quid dixeris, plus sanè vel aliud non sine captione Lectoris dixeris, quàm Bulla Caroli IIII. vel Sigismundi declaratione continetur. Quia vox *Fratris* (quâ Carolus IIII. in Bullâ suâ usus est) specialis est: Adgnati verò, generalis. Et rursus, *fratris* appellatio certi gradus est, nempe secundi [a]: senioris verò & proximioris, incerti: cùm [b] ultra fratris gradum possit quis proximior esse. Cùm itaque Bulla Caroli IIII. Principis Electoris *fratri* Tutelam Electoralem detulerit, non autem ulterioris gradus Adgnato: liquet prædictam Bullam Caroli ad Illustrissimum Principem Neoburgicum nullo penitus modo pertinere, nec eum spectare, cùm [c] in ea non sit expressim nominatus; quia non est Electoris ultimò defuncti frater, sed Agnatus tantum, gradibus aliquot satis remotus. Quin potest dici: ne quidem in Bullâ illâ (Caroli IIII. scilicet) tacitè sub *Fratris* appellatione, Illustrissimum Principem Neoburgicum cōtineri vel subintelligi. Nec obstat primò, quòd Sigismundus Caroli IIII. Bullam declarans, *Consanguineo proximiori* Tutelam Electoralem detulit: quia jus novum Sigismundus illa declaratione Principali vel Imperatoria authoritate cōstituit. Dico *jus novum*, quia *Fratris* apud authores nostros (Latinos intelligo) appellatio propria, in legibus, statutis & similibus, Adgnatos nūquam complectitur: ac proinde jus vel lex Civilis eos qui ex duobus fratribus generantur, non *fratres* simpliciter, sed cum additamento (ne quis erret) *fratres* [d] *patrueles* vocat: ut & filias, quæ ex duobus fratribus nascuntur, *sorores patrueles nuncupat*. Et ita quoq; *Fratribus* lex Romana Fiduciariam [e] fratrū Tutelam detulit: Adgnatis verò, legitimā. Quinimò potest adhuc ulterius dici, Illustrissimū Principem Neoburgicum Caroli IIII. Bulla à Tutela Electorali exclusum & remotum esse. Cùm enim Caroli IIII. Bullâ *frater* Electoris ad Tutelā liberorū eius, sit vocatus:

II.

BULLA Caroli IV. Adgnatus ultra fratrem non vocatur.

a] *l. 1. §. secundo gradu 4. l. Iurisconsultus. 10. § secundo gradu 13. π. de gradibus. § secundo gradu. 2. Inst. de gradib cognat,*

b] *l. proximus. 92. l. proximi 155. l. in vulgari 162. π. de V. S. § si plures 5. § proximus. 6. Inst. de legit. Adgnat. succ.*

c] *arg. l. si uxor. 12, C. de pignoribus.*

d] *§. quarto gradu 4. Inst de gradib. cognat, §. 1. vers. eodē numero sunt. Inst. de legit. Adgnat. success. l si frater patruelis 4. C. de Testamentis.*

e] *l 3. in alius. 4. π de legit. tutel. Inst. de fiduciaria Tutelâ,*

III.

BULLA Caroli IIII Adgnatus ultra fratrem tacitè est exclusus.

vocatus: utiq; fratris inclusio remotiorum adgnatorum. tacita exclusio est. Et toto [a] iure civili, generi per speciem derogatur. Sed esto. Concedatur adhuc (quod tamen non est) Caroli IIII. mentem illam fuisse, *ut fratris* appellatione proximus & senior Adgnatus etiam intelligeretur: nondum tamen ex eo sequitur, Tutelam illam Adgnatis Caroli IIII. Bulla delatam, Testamentariis Tutelis præferri. Quia sicuti mens [b] hæc est sententia legum omnium Romanarum (quæ Tutelas Adgnatis proximis directò vel per successionum consequentias deferunt) ut Legitimi Tutores nunquam admittantur, nisi Testamentariis deficientibus: Ita mens Caroli IIII. (legum videlicet Romanarum custodis [c] & interpretis [d]) huiusmodi fuisse putanda præsumendaque est, ut proximiori & seniori Adgnato Tutela legitima Electoratus deferatur, deficiente scilicet Testamentaria: quia Bullarum Imperatoriarum obscura vel ambigua, non [e] aliunde melius quàm ex iure Romano exponere debemus vel possumus: ne alioqui Carolus IIII. vel alius Tutelam Electoralem proximiori consanguineo lege deferens, ius Romanum ignorasse vel sustulisse videatur. Legum [f] enim correctio, nisi probetur, præsumenda non est: nec per subauditos intellectus (qui scilicet neque ex verbis neque ex mente nec ex sensu percipi possunt) inducenda.

a] *l. in toto iure. 80. π. de R. I.*

IIII. PROXIMIOR & Senior Adgnatus, licet Bulla Caroli IIII. ad Tutelam vocaretur expresse, non eo tamen Testamentarium Tutorem excludere deberet vel posset.

b] *Inst. de legit. Adgnat. Tutela. l. si quis sub conditione. 11. π. de testament. Tutela. l. intestato. 6. π. de legit. Tut.*

c] *l. si quando 35. ibi Romanum Principem qui iura tuetur. Cod. de inoff. testam. Novella. 26. c. 1. & 133. c. 4. & 161. in pr. l. 2. §. 13. π. de origine iuris.*

d] *l. ult. Cod. de legib.* e] *arg. l. de quibus 32. π. de legibus.* f] *l. ut liberis. Cod. de collat. l. præcipibus. 8 Cod. de Impuberum & aliis substit. c. cum expediat. de Elect. in 6.*

Ex prædictis omnibus apparet, Adversarios in multis hîc peccasse: quòd scilicet ea, quæ in Caroli IIII. Bulla de FRATRE nominatim disposita sunt, ad Agnatos remotiores (ut sic Ill. Adgnato prosint) transferant: & speciem unam, ad aliam, vel ad genus suum: proximum, ad remotos: sanguine coniunctissimum, ad minus coniunctos: inclusum, ad exclusos extendant. Et hæc de FRATRIS ad Adgnatos illicita dicta sint extensione: quam huic Tutelæ Testamentariæ non obstare satis superque probavimus.

V. ERRATA DEMONSTRATIONIS NEOBVRGICÆ in ipso limine occurrentia.

OBIECTIO SECVNDA.

II. FORMA tam in successione quàm in Administratione præscripta est, ut seniori & proximiori deferatur?

¶ SECVNDO non obstat, quod aiunt [a] Adversarii, *legem imperii expressam in Aureâ Bullâ Caroli* IIII. *certam iuris* FORMAM *præscribere, tam in successione, quàm in Administratione: ut ea seniori & proximiori deferatur.*

a] *p. 3. & 4. in pr.*

RESPONSIO. CAROLI IIII Bulla non eam formam tam in successione quàm in Administratione præscribit, quam Adversarii putant.

HOC ENIM non simpliciter (ne quis decipiatur) sed cum distinctione nobis intelligendum est. Id autem causis finalibus & circumstantiis Bullæ Caroli. IIII. propius expensis, fiet manifestius. Sunt enim separatæ rationes & circumstantiæ in bonis & in tutelis Electoralibus succedendi. Verbi gratiâ, testari de bonis Electoralibus cur Elector ipse non potest? PRIMA CAVSA EST: quia satis aperte potest ex Caroli IIII. Bulla titul. XX. colligi, bona Electoralia alienari promiscuè non posse. Vnde fit, ut non possit Elector his de bonis vel inibus pro sui animi libero absolutoque arbitrio [a] testari: quia testari posse de re aliqua, alienandi species est. SECVNDA RATIO: quia bonorum Electoralium successiones, Adgnatorum Electoralium gratia regulariter sunt inductæ: ut invitis agnatis non possit Elector illis de bonis libere vel licenter elogio ultimo disponere. TERTIA: quia consuetudo in familiis Electoralibus à multis seculis recepta demonstrat, Electores de bonis illis non testatos esse. At in Tutelis Electoralibus aliæ vel potius contrariæ prorsus sunt causæ. PRIMA: quia nulla lex Imperii vetat Electorem de liberorum &c. Tutela vel Administratione, testamento disponere. Legem enim illam apertam (si quis ad inficias ierit) proferri postulamus. SECVNDA: quia Tutelæ Electorales liberorum Electoralium, non Adgnatorum (maximè Seniorum) favore sunt inductæ: ideoque liberis Electoralibus ab eorum parente testamento prospici, Adgnatos invidere non convenit. Invidias enim huiusmodi lex [b] Civilis non admittit. Adgnatorum (modò salvum sit eis ius sua die fideicommissi recipiendi) nihil interest iure vel interesse potest. TERTIA: quòd Electoralium familiarum hæc constans & perpetua consuetudo fuerit ut scilicet Electoribus ipsis semper integrum fuerit, de liberorum suorum Tutela testari: ut meritò consuetudinem huiusmodi servari ius fasq; sit: quòd [c] optima legum Interpres sit consuetudo, & in [d] ambiguis casibus vim legis obtineat. QVARTA: Potest adhuc insuper dici, Bulla Caroli IIII. (coniuncta ei Sigismundi declaratione) Principibus Electoribus ius permitti de liberorum suorum Tutela testandi. Sigismundus enim (Caroli IIII Bullæ fidissimus Interpres) Tutelæ Electoralis naturam & qualitatem exponens, scivit: *Proximiores & seniores Electorum consanguineos, Electoribus, ætatis legitime defectum patientibus, de Iure Tutores & Curatores esse debere*. De iure (inquam) id est, non Anomalos vel irregulares, sed de iure tutores: nempe ut iure Romano, sunt alii Adgnati seniores proximi: & sic testamentariis Tutoribus cedere,

ut

a] *l. pero. 69. §. 3 ff. de legat. 2. l. si quis priorus. 8. in f. Cod. de secund. Nuptiis.*

b] *Arg. Inst. de Lege Fusia Caninia tollenda.*

c] *l. si de interpretatione 37. ff. de legib.* d] *l. nam Imperator. 38. ff. de legibus.*

ut potiores eis sint semper testamentarii. Huiusmodi expressa *de Iure* (id est legitimæ) tutelæ nuncupatio, testamentarias Tutelas Electorales euidenter subsistere, quin & legitimis præferri, demonstrat.

Concludamus itaque, *Caroli IIII. Bulla* (Sigismundi tamen Declaratione ei superaddita) *iuris quidem formam præscribi, tam in successione, quam in Administratione, sed diverso tamen modo: nempe ut una sit Electoralium bonorum ab intestato scilicet, successio: Tutela vero duplex vel Triplex, Testamentaria, Legitima & Dativa*: cùm iure ciuili certissimum sit, legem Adgnatos de iure Tutores & Administratores esse volentem ac iubentem, vel Adgnatis proximis Tutelam deferentem, nec Testamentariam nec Dativam excludere.

OBIECTIO TERTIA.

III.

EX TITVLO XX. Bullæ Caroli IIII. desumpta.

a] *Pagina 5.*

§ TERTIO opponitur ab Adversariis *Titulus XX. Aureæ Caroli IIII. Bullæ, ab Adversariis allegatus.* [a]

RESPONSIO.

TITVLVS XX. Caroli IIII Bullæ loquitur de Electoribus ipsis: non de Administratoribus vel Tutoribus.

SED TITVLVS ille loquitur (ut eius formalia verba tam ex Rubrica quam ex textu retineam) de Principatuum *Electorum* vel Electoralium (id est, qui ad Electores pertinent, unione: de illo qui *Principatum ipsum Electoralem* cum terra, vasallagiis, feudis & *dominio*, & pertinentiis omnibus dignoscitur *possidere*: *de possessore* Principatus cuiuslibet: & de eo qui *Princeps Elector* ab omnibus debet reputari. Atqui Tutor vel Administrator Electuræ, licet partes omnes obeat Electoris, non tamen Elector vel in Bullis vel Rescriptis Imperatoriis, vel in Camera Imperii, vel à Statibus vocatur: sed vel Tutor, Curator, vel Administrator: Nec etiam dominium Electoratus ipse possidet, sed pupillus: qui velut patris Electoris hæres & successor, Electoralia bona possidet (sicuti [b] pupilli vel minores cæteri bonorum suorum & iurium possessores sunt) & Cui legitimæ ætatis facto restituenda est per Tutorem administratio. Ex quibus apparet, prædictum titulum XX. Caroli IIII. Bullæ ad Electores ipsos, non ad Administratores, saltem principaliter pertinere: nec verbis ullis, illo titulo positis, testamentaria Tutela Electorales excludi. Sed quia nos illius capitis (ab adversariis iterum in sequentibus paginis oppositi) pleniorem & evidentiorem expositionem proferemus, plura nunc dicere supersedebimus.

b] *l. 1. §. furiosus 3. vers. filius §. quod si impuberem 11. l. possessionem 29. l. quamvis 32. in pr & §. 2 vers. pupillus tamen. ff. de adquir. possess. l. sequuta 4. §. pupillus. 2 ff. de usucap.*

OBIE-

IIII.

EX TITVLO XX. Bulla Caroli IIII. desumpta.

OBIECTIO QVARTA.

§ Qvarto loco opponitur *eiusdem Bulla Aurea Caroli IIII. Titulus XXIIII.*

§ Responsio.

TITVLVS XXIV. Caroli IIII. Bullæ non loquitur de Tutelis.

Sed hvic obiectioni facilè quoque responderi potest. Nam licet illo Titulo tradatur, *Principatus Electorales dimembrari non posse:* constat tamen evidentissimè, Titulum illum à principio ad finem usque *de successionibus Electoralibus* conceptum esse: & nullam Tutelę vel Administrationis mentionem vel memoriam ibi fieri: ut proinde Adversarii illo titulo iuvari nullo modo possint.

V.

SIGISMVNDI Declaratio Testamentariæ Tutelæ resistit?

OBIECTIO QVINTA.

§ Sigismvndi Declarationes (inquiunt Adversarii) Testamentariæ Tutelæ resistunt. *Nam ne quid dubii vel obscuritatis superesset, declarata sunt ea omnia, explicata, & confirmata per Imperatorem Sigismundum anno* cIↄccccxiiii *&* cIↄccccxxxiiii *his verbis: Si aliquem ex Electorib. ab hac luce migrare contingat, qui Masculini sexus hæredes post se relinquet, debita patientes ætatis defectum, tunc senior frater, nepos aut consanguineus proximior in lineâ genituræ (si frater non extiterit eiusdem defuncti) Laicus duntaxat, dicti pupilli & iuvenis, ad quem præscripta devoluentur,* De Ivre Tvtor *esse debeat &* Cvrator, *tamdiu donec ad debitam pertigerit ætatem &c.*

§ Responsio.

SIGISMVNDI Declaratio Testamentarias Tutelas non tollit, sed potius permittit.

Respondeo. Agnosco præscripta verba Declarationis Sigismundi. Sed addo, Declarationem illam Sigismundi adversus hanc testamētariam Tutelam nihil omninò facere: Imò probatum est iam, & probabitur deinceps, per illam Declarationem Sigismundi Tutelam testamentariam Electoralem poni vel admitti potius. Hoc ita demonstro. Sigismundus cùm vel ex se vel aliorum suggestione (quiqui fuerint) videret vel audiret, in Caroli IIII. Bullâ permulta desiderari, & obscura quædam in ea contineri; ut litibus futuris occurreret, Bullam prædictam Caroli IIII. declarandam & exponendam censuit. Declarantis, interpretantis [a] vel exponentis aliam, constitutionis hæc proprietas est (quod omnes sciunt) ut clarior & manifestior sit semper ea quæ declaratur vel exponitur. Demonstrationis, expositionis ut definitionis veræ proprium hoc semper officium est, ut sit definitio notior & euidentior. Quid igitur? Sigismundus prævidens, quòd callidus & versutus Iuris Inter-

[a] *l. 2. §. his legibus latis ſ. ff. de origine iuris.*

Interpres posset aliquando prætexere, Caroli IIII. Bullâ proximioribus & senioribus Adgnatis vel Consanguineis Electoralem tutelam ita destinatam esse vel deferri, ut Elector de liberorum &c. Tutelâ testari nullo modo possit. Sigismundus (inquam) hunc evitare scopulum cupiens, oratione suâ rem apertam, perspicuam & indubitatam (unâ vel duabus minutis vocibus Caroli IIII. Bullæ additis) ita reddidit: *Tunc* (verba sunt Sigismundi) *senior frater, nepos aut consanguineus, DE IVRE tutor esse debeat & Curator.* Quæ mens & sententia verborum illorum sit, ex legibus & jure nostro eruamus. Vult utique verbis illis Sigismundus, ut proximus & senior ille Consanguineus, *DE IVRE tutor & curator esse debeat*. Vult igitur, ut eodem prorsus modo sit Tutor & Curator, quo sunt & esse debent DE JVRE Tutores cæteri, id est legitimi: & consequenter, ut testamentario (& maximè quidem Agnato licet gradu remotiore posito) cedat & cedere debeat. *Primo:* quia illa verba DE JVRE &c. in dubio nos ad Jus Romanum (velut in propatulo positum, propinquum, apertum & commune jus) deducunt: non ad aliquod jus remotum, obscurum, incertum, scholis, foris, auditoriis, Judiciis, Tribunalibus, Curiis incognitum, & sine juris exemplo vel minimo prolatum, vel, si quis malit, prodigiosum, monstrosum, barbarum. Atqui jure Romano Tutorem vel Curatorem alicui jure aliquo vel senatusconsulto, lege aliqua, per legem aliquam, vel per senatusconsultum, vel per Principis constitutionem, fieri, nihil aliud est, quàm ab intestato [a] Tutorem & Curatorem fieri: nempe, ut Tutor & Curator jure vel lege vocatus, Tutor existat, si nullus à defuncto patrefamiliâs testamento datus fuerit, non ut sit Tutor anomalus aut irregularis, testamentarios excludens: quia talis interpretatio deerrat nimiùm à jure communi, ut (cùm de Anomalis Tutoribus infrà [b] dicemus) plenius probabitur. *Secundò:* quia in huiusmodi quæstione vel specie (Tutelari scilicet) Diocletianus [c] constituit, ut ad Adgnatos pupilli *Iure Legitimo* sollicitudo Tutelæ pertineret: quos (adgnatos scilicet vel *Iure Legitimo* Tutores) nemo testamentariis præferri dixerit. *Tertio*: quòd eodem post Servium modo Paulus [d] definivit. Tutelam potestatem esse *Iure Civili* datam & permissam: datam inquam, id est lege vel constitutione juris aliquâ. Nam ut *permissa* tutela illo loco est, parentibus [e] vel magistratibus permissa vel concessa [f]: Ita *Iure Civili data* tutela eodem illo loco nihil aliud est vel fuerit, quàm vel legitima ab intestato [g] data vel delata. Atqui prædictæ tutelæ licet adgnatis, patronis, matri, aviæ & similibus JVRE datæ vel delatæ, Testamentarias

a] *l. Intestato. 6. π. de legit. Tutelis.*
b] *Obiectione 44. & 45.*
c] *l. ad adgnatos 2. Cod. de legitima Adgnator. tut.*
d] *l. 1. π. de Tutelis.*
e] *l. 1. π. de Testam. Tut.*
f] *l. 2. ibi concessit π. de officio Iuridici. l. mutio 6 § Tutoris datio π. de Tutelis. arg. §. sed hoc iure utimur 4 §. nos autem 5. Inst. de Atil. Tutore. l. 1 § 2. ibi permittitur ... de tutoribus & Curatoribus datis.*
g] *l. legitimos. 5. π. de legit. Tut.*

nunquam excluserunt: nec ad huc hodie in Imperio excludunt: sed Testamentariis velut æquioribus, certioribus & potioribus cedunt. Sequitur itaque, ut cùm in Electoralibus Principatibus per Sigismundi Declarationem Adgnatus proximior & senior DE JVRE Tutor & Curator esse debeat; meritò, Testamentario Tutori cedere eum oporteat. Tutelis enim quæ JVRE vel constitutionibus sunt inductæ, aliam naturam, conditionem, qualitatem vel prærogativam tribuere, vel potius adfingere velle, jus novum & antehac inauditum inducere est. *Quartò*, quia recensitis & enumeratis Tutelarum speciebus omnibus (& sic à sufficienti partium enumeratione) potest colligi, hanc de JVRE Tutelam Electoralem (Sigismundi Declarationibus proximiori & seniori consanguineo delatam) aliam non esse quàm legitimam. Hæc enim Tutela Testamentaria dici non potest: quia proximior & senior adgnatus ab Electore defuncto Tutor testamento datus non est; nec etiam Dativa, quia nec à Prætore nec ab alio magistratu Tutor & Administrator datus est. Consequens est igitur, ut sit merus & legitimus tantum tutor: & proinde, ut [a] Testamentario Tutori cedat: ut ab [b] intestato Tutor, cedit Testamentario, & ut [c] ab intestato hæres, hæredi nuncupato vel scripto. Ex prædictis omnibus manifestissimum est, Sigismundi Declarationes nullum jus Tutelæ, proximiori & seniori Adgnato tribuere: cùm Sigismundi lege permittente Tutor alius Testamentarius existat, qui eum DE JVRE tantùm Tutorem & Curatorem præcedat.

a] *l. si quis sub hac conditione 11. inf pr. ff. de Test. tut.*
b] *l. intestato. 6. ff. de legit. Tut. Inst de legit. Adgn. tut.*
c] *l. quamdiu 39. l. in plurium 70. ff. de adquir. hared.*
l. quamdiu 89. ff. de Regulis juris.
l 2. Cod. unde liberi.
l. ambiguam, 8. Cod. communia de success.

OBIECTIO SEXTA.

d] *p. 7.*

VI.

EXEMPLVM Palatinæ Tutelæ Legitimæ extat, cui cesserit olim Testamentaria; desumptum ex Andrea presbytero?

¶ HINC (inquiunt [d]) id est, ex Caroli IIII Bullâ & Sigismundi Declarationibus, *factum est olim, cùm Ludovicus IIII. Elector filio suo Philippo per testamentum Tutores nominasset Archiepiscopum Moguntinum, & Vlricum Ducem VVirtembergensem: quòd nihilominus non attenta illâ dispositione frater Ludovici Fridericus, Tutelæ & Administrationis munere solus sit perfunctus: prout videre licet in Chronico Bavariæ Andreæ presbyteri à Marquardo Frehero Electorali Consiliario edito. fol. 146.*

RESPONSIO.
CHRONICON Andreæ Presbyteri non probat, Testamentarios Tutores per Legitimos excludi.

Respondeo: Potest hæc etiam obiectio facilè dilui. *Primò*: quia Chronicon illud à priuato confectum fuit: & sic priuati [e] tantum hominis est scriptura quæ fidem plenam non facit. *Secundò*: quia singularis [f] est & vnicus in re tanti momenti testis Andreas ille presbyter, ut etiam integram fidem Lectori non faciat. *Tertiò*: quia collector vel author illius Chronici, nominis est admodum obscuri [g], ut ejus testimonio credi meritò non

e] *l. Instrumenta 5. Cod de probat.*
f] *l. Iursiurandi. Cod. de Testibus.*
g] *Nouella de Testib. 90. c. 1. ibi neq; nimis obscuros: & § si verò ignoti.*

tò non oporteat. *Quartò:* Andreas ille presbyter non fuit, sed alius longè obscurior scriptor Panholte dictus, qui additiones ad Andream illum scripsit, æquè obscurus ut alius, & sic Mauro obscurior Indus. *Quintò*: quòd author ille nullam ratione vel causam specialem proferat, propter quam duo illi testamentarii Tutores legitimo Tutori Electorali cesserint: & sic illius authoris relatio, nuda [a] relatio est, non certa, non necessaria, non concludens: quia rem ita factam fuisse narrat, nec causam exprimit, & sic de facto tantum non de JVRE deponit: de facto inquam, mero vel nudo, quod nulli ius tribuit vel tribuere potest. *Sextò*: quia possunt etiam probabiles rationes aliæ, & quidem multæ proferri, cur duo Testamentarii illi Tutores Legitimo Tutori tum cesserint. Ac primùm quidem, quod Archiepiscopum Moguntinum attinet, dici potest, Tutelâ Electorali ideò tum cessisse legitimo Tutori: quòd scilicet ipse Princeps Ecclesiasticus fuerit, & ex Caroli IIII. ac Sigismundi Bullis, personas Ecclesiasticas (licet Electoralis familiæ) Tutelis Adgnatorum Electoralium arceri cognitum habuit: Vel, quia tutelæ Laici Principis immiscere se noluit: forte, quia genius vel animus ejus tantam sollicitudinem ferre non potuit: Vel dignitatis suæ Ecclesiasticæ duplicare labores refugit: Vel legitimo Laico tutori cessit velut magis idoneo: Vel quod ex Novella [b] Justiniani audire potuit: Timorem Dei habentes non facilè ad Tutelam accedere. His addatur, duos illos Principes (Moguntinum scilicet & Wirtembergicum) extraneos, id est, non ex gente familiaque Palatinâ fuisse. Ideoq; non potest exemplum illud (licet adhuc verum esset) huic Tutelæ Testamentariæ nocere: quòd nuncupatus vel scriptus ab Electore defuncto (Friderico IIII.) Tutor & Administrator, Princeps sit Laicus, non Ecclesiasticus: quòd non sit extraneæ gentis, sed Electoralis familiæ Palatinæ: quòd hanc Tutelam & Administrationem non ambierit, sed cum instantia rogatus & adjuratus in se receperit, & fideliter gerendam promiserit: quòd modis omnibus ad hanc Tutelam gerendam capax & idoneus existat. Denique exemplum illud adeò remotum à præsentis Tutelæ circumstantiis, & à Neoburgensibus objectum, nihil huic Tutelæ Testamentariæ obesse poterit, ac proinde pro non allegato & nullo censendum est.

a] *arg. l. solâ testatione. 4. Cod. de Testib.*

b] *Novella 72. c. 2. in pr.*

OBIECTIO SEPTIMA.

VII. CASIMIRI Tutela Legitima Testamentariam exclusit?

IN RECENTI (inquiunt [c]) *ad huc est omnium memoriâ, cùm Ludovicus Elector Palatinus anno* CIↃ IↃ LXXXIII. *obiisset, datus testamento Tutor filio & heredi unico Friderico IIII. (iam modò vel nuper defuncto)*

c] *p. 7.*

defuncto) quòd frater Electoris Dux Ioannes Casimirus Tutelam & Administrationem solus exclusis Testamentariis susceperit, in eaque permanserit ad fines usque vitæ: non attento, quòd quidam in dubium vocarint, possitne dispositio prædicta Aureæ Bullæ & Declarationis Sigismundi tum demum locum habere, si Elector ab intestato decedens nullos Testamentarios Tutores adsignet. Contrarium tamen præfatus sanctæ memoriæ Princeps Ioannes Casimirus defendit acriter, & obtinuit sequentibus usus fundamentis, &c.

Responsio.

Casimiri Administratio, Testamentarias Tutelas Electorales non evertit.

Respondeo. Nec illa quoque nos objectio permovebit. Defendi namque vel excusari factum illud Ioan. Casimiri non unâ tantum ratione, sed pluribus & variis poterit. *Primò*, quia Joan. Casimirus ipse (quem *Sanctæ Memoriæ Principem* appellant Adversarii, & quem huic Testamentariæ Tutelæ opponunt) Tutor à fratre Ludovico nuncupatus vel scriptus fuit: & sic non fuit nudus vel simplex proximior & senior Adgnatus, aut Consanguineus, aut spem tantum Tutelæ Electoralis habens (ut Illustrissimus Princeps Neoburgicus hodie) sed & Testamentarius Tutor extitit à fratre Ludovico relictus: & consequenter duæ qualitates, notæ, prærogativæ, vel circumstantiæ in ejus personam concurrerunt, quæ nudis aut spe tantùm Tutoribus desunt. Duo illa jura in Joan. Casimiri personam concurrentia valere & ei prodesse potuerunt: quia, quæ [a] singula non prosunt, juncta simul & unita ad aliquid juvare solent. *Secundò* non obstat, quòd Johannes Casimirus Princeps Contutores testamento datos non admisit, sed solus & unus Tutelam Electoralem gessit. Ad hanc enim objectionem multiplex quoque responsio est. Prima, quia constat, quòd Dux Johannes Casimirus inter cæteras juris sui rationes patris (Friderici scilicet Tertii) Testamento munitus quoque fuit. Fridericus enim III. secuturam mox in Electoratu mutationem (Ludovico scilicet filio primogenito in Electoratum suâ die succedente) metuens, Ludovicum filium & proximiorem hæredem rogavit, ut cùm moreretur, fratrem Joan. Casimirum Tutorem & Curatorem liberis suis relinqueret. Avus ita nepoti suo Friderico IIII. ut potuit, consuluit, & hujusmodi præcepto (velut fideicommisso) fidem Ludovici (primogeniti sui) Fridericus III. oneravit: quam fidem Ludovicus (pientissimus patris filius) moriens servavit: licet tamen suâ mente Contutores alios Casimiro adjungere se posse censuit. Ex hoc etiam exemplo potest colligi, non tantùm Electori concedi, Tutorem liberis suis primo gradu relinquere, sed etiam secundo, & sic Tutori dato substituere [b]. Adeo plena parentum est potestas in Tutore

a] *V. instrumenta. 5. ibi. si non aliis adminiculis. Cod de probat. l. si plures. 9. in fin. ff. de pactis.*

b] *l. penult. ff. de Testament. Tutela.*

Tutore liberis relinquendo. Secunda. Potuit & inter causas alias Johannes Casimirus hanc etiam allegare, quod Tutelæ (Principales scilicet) per [a] unum (cæteris aliis potiorem) melius quàm per plures (in statu Principali maximè) geri vel administrari videntur, & per hunc modum æmulationes & id genus incommoda alia vitari facilè, quæ statui Principali vel publico noxia vel exitiosa sint. *Tertiò*. Potest dici, Ducem Io. Casimirum (si Legitimam Tutelam sibi soli adserere contra Testamentarios Tutores voluit) Jus testamentariæ Electoralis Tutelæ ignorasse. Tanto quippe militi, imò & [b] Duci accidere potuit, ut leges Civiles ignorarit. Milites [c] enim arma magis quàm leges scire præsumuntur: ut de Romulo annum in decem menses tantùm partiente festiviter Ovidius [d] retulit: *Scilicet arma magis quàm sydera Romule noras, Curaq; finitimos vincere maior erat*. Vel à Consiliariis quibusdam malè informatus Dux Casimirus fuit. Proinde Casimiri factum illud velut militis & magni Ducis, non ita iuris apices intelligentis, & in leges Civiles solœcismum (si fas dici est) committentis, vel à quibusdam non rectè de Tutelis Electoralibus instructi, & quod caput est, in possessione tum existentis putandum est. Et consequenter ex illo Casimiri Principis facto nullus dixerit, vel necessariò statuere debebit, jus aliquod certum in Palatinâ familia deinceps constituendum esse: ut propterea factum illud Casimiri in exemplum vel consequentias à Neoburgicis minimè sit trahendum. *Quartò*. Camera Spirensis (Juris in Imperio Germanico longè certius Oraculum) spretis & rejectis Johannis Casimiri rationibus, competentem judicem se dixit: & rursus Cameræ sententiâ in Revisorio Judicio confirmata fuit: quod utique factum non fuisset aut fieri saltem non debuisset, si Illustrissimi Principis Neoburgensis prætensio fuisset evidens & notoria.

a] *l. si plures. 3. §. apparet 6. l. decreto. 24. in f. ff. de Administrat. Tut.*

b] *l. 9. §. 1. ff. de iuris & facti ignorantia.*

c] *l. fcimus. Cod. de iure deliberandi.*

d] *Fastorum libro 1.*

De jure itaque liberis Electoralibus Testamento prospiciendi, si quis adhuc hodie (rebus & juribus licet apertissimis) dubitaverit: utrum scilicet liceat Electori Palatino, de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium Tutelâ testamento disponere: non ad factum illud Johan. Casimiri, militis Ducisque magni, & à suis in hoc Tutelæ articulo non ex veris legibus imbuti, respicere debebit, sed ad Cameræ Spirensis decreta statuta, velut certiora Jurique Communi consentanea.

VIII.

IVRISCONSVLtorum Germanicorum quorundam opinione Tutelæ Electorales Testamentariæ excluduntur per Legitimas?

a] *Andreas Rincker, item. Ioanes Goddeus, Ioannes Harprechtus & Treutlerus. 2. Disput. 8. Thes. 31. litera A. &c.*

OBIECTIO OCTAVA.

PRÆCIPUI[a] (inquiunt[b]) *Germaniæ Iurisconsulti notant, Regulariter*[c] *quidem liberis suis impuberibus, in suâ potestate constitutis, Tutores dari posse: & quamdiu possit valere testamentum, tamdiu legitimum Tutorem non admitti. Id tamen notabiliter falli vel fallere, si lege speciali, vel conventione validâ, ut & consuetudine, aliud constitutum & interdictum sit. Quin præter alios unus*[d] *testatur, sibi à quodam sene præcipuè nobilitatis Franconiæ relatum, idem etiam in Electoratu Saxoniæ obtinuisse.*

b] *p. 7.* c] *l. 1. π. de Testam. Tutelâ. l. quamdiu. 9. π. de Test. tute.*
d] *Henricus Rosenthalius Tractatu de Feudis. c. 12. conclus. 10. n. 19.*

RESPONSIO.

IVRISCONSVLtorum quorundã Germanicorum Opinio de Legitimis Electoralibus Tutelis, huic Testamentariæ non officit.

e] *lib. 3. de Natura Deorum.*

f] *l. 3. §. sed servus. 7. π. de condict. ob turpem.*

g] *V. Authorem Defensionis Electoralis Palatinæ Testamentariæ Tutelæ p. 5.*

FACILE potest etiam illa oppositio vel objectio discuti. *Primò:* quòd in rebus vel quæstionibus hujusmodi, tanti scilicet nominis, Principes (quod Jurisconsulti sciunt) malunt rationibus quàm authoritatibus secum agi: ut apud Tullium[e] Cotta: *Rumoribus (inquit) mecum pugnas Balbe: ego autem rationes à te requiro.* Et dandum est etiam aliquid posterioribus eandem quæstionem tractantibus, imò & dissentientibus & contrariam sententiam tuentibus. Non enim veretur Celsus[f] filius à patre suo dissentire veritatis & æquitatis pondere persuasus. *Secundò:* quò magis ac citius ad res ipsas descendam, præsupponunt Neoburgici, legem specialem, conventionem validam, & consuetudinem talem extare, quæ vetet Electores de liberorum &c. Tutelâ ac Administratione testari. Atqui hoc unum probandum est. Negatur enim lex hujusmodi, vel conventio, vel consuetudo aliqua esse. *Tertiò:* quod de Electoribus Saxoniæ ab Adversariis est relatum, præterquam quòd unius (licet eminentissimi viri, & mihi multis ab annis conjunctissimi) & quidem de auditu alieno testimonium est: ampliandum hoc judicium, & in jus illud Saxoniæ pleniùs inquirendum censeo. Interim tamen (dum copiosius alibi) persuadere mihi nullo modo possum, Serenissimos Saxoniæ Principes Electores jus tam inæstimabile (testandi scilicet de liberorum suorum tutelâ) repudiasse vel pro derelicto habuisse: cùm & alioqui extet[g] Augusti Saxoniæ Electoris Epistola, ultimâ Januarii anni CIↃ IↃ LXXXIV. qua negatur, Testamentariam Tutelam Electoribus abrogatam esse. Quin piæ memoriæ Christianus Dux & Elector Saxoniæ, Legitimo Tutori Electorem Brandenburgicum adjunxit.

OBIE-

OBIECTIO NONA.

IX.
EX HOTOMANNO desumpta.
a] p. 7 & 8.

Huc (inquiunt [b]) *pertinent, quæ eximius Iurisconsultus Franciscus Hotomannus scripta reliquit in tractatu controversiæ patrui & nepotis, de Germanici Imperii legibus & Electoratuum successione atque Administratione fol. 25. ubi recitato Aurea Bulla capite de successione & Administratione Electoralium Principatuum, tandem ita concludit; Duæ, inquit, insignes Imperii Germanici leges ex hoc obseruandæ sunt: Quarum hæc prima est, Nullam esse de Electoratus hæreditate, Testamenti factionem, non magis quàm de feudi successione, &c.*

RESPONSIO. HOTOMANNI opinio de successionibus Electoralibus, Testamentariis non obest Tutelis.

Respondeo. Hæc sententia nihil ad præsentem causam pertinet. nec enim Fridericus IIII. Elector de hæreditate vel Electoralibus bonis Testamento suo disposuit, nihil de hæreditate Electorali minuit vel alienavit, vel in extraneum aliumve transtulit. Pergamus itaque ad alteram Imperii legem ab Hotomanno, magni, quod fateor, nominis Jurisconsulto, concive & amico (dum vixit) meo relatam.

b] p. 8. Demonstrationis Neoburgicæ.

c] l. 1. ff. de legit. Tut.

Postrema (inquit [b] Hotomannus) *lex Imperii est: ubi in Electoris successore idonea ætas ad Electoratus Administrationem deficit, eam Tutelam atque Administrationem intereà proximo ipsi Agnato committi: summa providentia* (ut Ulpianus [c] ait,) *ut ad quem successionis spes pertinet, ad eum quoque Administrationis onus pertineat. Vnde sequitur, nihilo magis Electoribus licere de sui Principatus Administratione, quam de ipsius hæreditate & successione testari.*

RESPONSIO. HOTOMANNI opinio de Legitimis Tutelis Electoralibus, Testamentariis officere non potest.

Respondeo, & quidem *Primò*: legem illam Imperii probè intellectam, de legitimis tantum ab intestato Tutelis accipiendam esse, quæ Testamentarias nunquam excludunt, ut multis locis probavimus. *Secundo*. Summa diversitatis inter hæreditatem & Administrationem ratio facit, ut diversum jus etiam inter illa duo constituamus, & proinde ut ab Adversariis in illo articulo dissentiamus liberè. Hæreditatis enim & proprietatis successiones omnes Electorales ab intestato tantum esse, ex causâ finali colligimus: quòd Adgnatos & quidem solos spectent, & unius familiæ, gentis, & Adgnationis Electoralis favore vel contemplatione ita comparatæ sint, ut scilicet bona Electoralia in eadem familiâ Electorali semper maneant: & sic testamento vel alio modo transferri in aliam gentem vel familiam successiones & hæreditates Electorales non possint: ut eam ob causam successioni tantum ab intestato in Electoralibus hæreditatibus locus sit, non autem testamentariis: Adgnatis dummodò Princeps Elector nihil de proprietate bonorum Electoralium adimat,

adimat, legibus Imperii cumulatissimè ac plenissimè satisfecisse putandus est. Adgnatis enim fideicommissi quodam jure, proprietatem bonorum Electoralium servare cogitur. At enim Tutelæ, Curæ vel Administrationes liberorum Electoralium, non Adgnatorum ipsorum, & ulteriorum maximè, sed liberorum ipsorum Electoralium favore & intuitu sunt inductæ: nempe ut per Tutorem vel Administratorem, quicunque sit, liberis Electoralibus, eorum subditis & bonis consulatur. Hanc autem potestatem (liberis scilicet, subditis & bonis eorum providendi, consulendi, prospiciendi) Principibus Electoribus parentibus & dominis, nulla lex Imperii nominatim abstulit, nec tacitè nec per consequentias ademit. Quis enim credat, tanti momenti jus, adeò naturale, divinum, magnum, incomparabile, honestum, æquum, adeò cunctis hominibus (etiam plebejis) commune (pietatis scilicet, amoris, affectionis, curæ, sollicitudinis & providentiæ patris erga liberos; domini vel Principis erga subditos) tantis Principibus lege aliquâ Imperii tacitè præreptum esse: cùm nec minora longè privilegia vel jura temerè repudiare, negligere, donare, renunciare, vel pro derelicto habere, sed nominatim, clausulis expressis, specialibus, geminatis & juratis ejurare soleamus? Hoc igitur præsumere vel fingere (quod Adversarii volunt) nihil aliud est sanè, quàm parentes à liberis, & contrà, liberos à parentibus naturâ conjunctissimos separare: cùm tamen separationes hujusmodi duras [a] lege mandari vel permitti tacitè nunquam præsumere debeamus: quòd sine [b] magno incommodo & pietatis offensa liberi non possint à parentibus affectu sejungi, & in [c] auctionibus, hasta (quamvis hostilis) conjunctas adeò personas non dividat. Hostilis id hasta si non facit, ut parentum corpora à liberorum corporibus non dividat; quantò minus Lex Imperii, civilis, honesta, benigna, humana, Christiana, parentibus affectum erga liberos, & sic jus liberorum Tutelæ prospiciendi, præripuisse censebitur? Est & alia quoque differentia inter bonorum Electoralium proprietatem, & liberorum Electoralium Tutelas ratio: quòd scilicet Elector non possit Electoralium, bonorum proprietatem alienare, quin Agnatis suis Electoralibus noceat: cùm tamen possit liberis suis Tutores & Curatores dare, Adgnatis non nocendo.

Nec primùm ad rem facit vel obest, quod ajunt [d] Adversarii) *Summa providentia id fieri, ut* [e] *ad quos spes successionis pertineat, ad eos quoque omnis Administrationis spectet.* Nam, ut hoc *primùm* respondeam, jure non potest *summa providentia legis* dici, quæ duram adeò legem

Electo-

a] *arg. l. quæsitum. 7. §. 7. π. de instructo. l. uxorem 41. §. 2. π. de legatis. 3.*

b] *l. plerumq. 35. l. 38. l. 39. l. 40. π. de ædilitio edicto.*

c] *Seneca. 9. Controv. 2.*

d] *p. 8.*

e] *l. 1. π. de Legit. Tut.*

Electoribus & parentibus & liberos habentibus imponat: scilicet ut non possint morientes, liberis suis (quando jam aliud velle non possunt) Tutorem idoneum, probum & fidum eligere. Imò, lex hujusmodi pietati & potestati patriæ cùm sit contraria, non potest nisi summa imprudentia vel improvidentia dici: quia plus juris Adgnatis, & eorum judicio, consilio & affectui, quàm parentibus ipsis tribuit: quia Consanguineos Electorales seniores & proximos, cum ipsorum Electorum damno, locupletes & honoratos reddit: quia Principes summos (Electores scilicet) contumeliâ omnium maximâ adficit: quasi liberis suis prospicere nec possint nec velint: vel quasi sint indigni qui liberis suis consulant. Tot adeò scatet absurdis hæc ab adversariis jactata vel prætensa legis summa providentia. *Secundò*. Si (quod ajunt Adversarii) summa est providentia, de liberorum Tutelâ testandi potestatem præripere, cur igitur Vlpianus & cæteri Juris Romani conditores, Jurisconsulti, Prætores, Principes, Testamentarias Tutelas admiserunt? cur eas ex Juris Corpore non dispunxerunt & aboleverunt penitus, & Legitimis tantùm Tutelis locum esse voluerunt? Et rursus, Si summa legis est providentia, Consanguineis scilicet Tutelam deferre, Testamentariis exclusis; imprudentia sanè vel stultitia, vel malitia Romanis fuit, Testamentarias Tutelas admisisse, & in Juris Corpus tot titulos, tot leges, tot paragraphos, de Tutelis Testamentariis retulisse. Hinc itaq; constat, fragilem (ne quid gravius dicam) admodum esse, prætensam illam summæ providentiæ rationem, ad Tutelas Testamentarias in familiis Electoralibus tollendas vel abolendas ab Adversariis allegatam. *Tertiò* dici potest, Vlpiani verba ab Adversariis contra jus omne, quin & Vlpiani mentem evidentissimam, à vero suo sensu distorta. Ait enim Vlpianus, summam providentiam esse, ut qui ab intestato succedunt Agnati, onus quoque Tutelæ ab intestato subeant. Qui tamen Vlpianus nec testamentarias Tutelas, nec dativas exclusit. Has enim etiam (Dativas scilicet) scivit Legitimis ut sæpius præferri: legitimis nempe, id est Adgnatis (justissimas ob causas) ab Administratione Tutelæ meritò remotis. Et ita quoque Vlpianum [a] intelligendum esse monet Rubrica sive titulus de Legitimis tutoribus, in cujus tituli capite primo prædicta Vlpiani sententia posita est. Summâ itaque providentiâ legitimas Tutelas Adgnatis jure delatas esse, non simpliciter (quod Adverlarii tamen faciunt) sed ἀναφορικῶς & secundùm quid tantum, fateamur: scilicet, ut nec Testamentarias nec Dativas excludant, sed ut abscisè justis Testamentariis cedant. Deniq; dicamus, summa providentia id ab in-

a] *in d. l. 1. π. de Legitimis Tutorib.*

testato scilicet, receptum esse: testato verò seu testamento facto, non nisi summâ vel imprudentiâ vel tyrannide.

a] p. 8.

Nec secundò movere nos debebit, quod addunt [a] Adversarii, *Nihilo magis Electoribus licere de sui Principatus Administratione, quàm de ipsius hæreditate & successione disponere.* Petitio namque principii est: quòd scilicet alia successionis vel hæreditatis, alia verò Tutelæ, Curæ vel Administrationis (quemadmodum jam ostendimus) sit ratio: ut ab hæreditate ad Tutelam argumentum hîc ducere non liceat. Quia non potest Electoralis hæreditatis aliquid regulariter alienari sine Consanguineorum damno vel incommodo: cùm possit Tutor liberis à patre Electore dari sine Consanguineorum periculo vel damno.

b] p. 8.

Nec tertiò obstat sequens Adversariorum Axioma [b]. *Quâ de re lex certam juris formam præscribit, de eâ disponendi facultatem hominibus adimit.* Illud enim Juris axioma concedunt omnes facilè. Sed quæritur, ubinam lex illa sit Imperii, quæ certam Juris formam Tutelis Electoralibus ita præscripserit, ut Testamentarias excluserit? Hujusmodi legem nisi protulerint Adversarii, & quidem perspicuam, apertam, specialem, non ambiguam, nihil in hac causâ promovebunt aut promovere poterunt. Interim Testamentarii Tutoris Electoralis intentio, actio, exceptio, in testatoris voluntate, mente, & Juris Communis dispositione rectè fundata est: ut in illo jure apud quoscunque Judices manuteneri vel confirmari meritò debeat.

c] p. 8.

d] l. si quis. 11. π. de Testam. Tutelâ.

e] l. 3. §. si duo. 4. π. de legit. Tut. Sed lex illa parùm ad hanc rem facit.

f] l. lege obvenire. 130. π. de V. S.

Nec quartò movebit hæc Adversæ partis ratiocinatio. *Nihil* [c] *ad rem* (inquiunt Adversarii) *pertinet, quod antiquo Romanorum jure constitutum* [d] *fuit, ut Tutela testamento data legitimam excluderet. Nam eodem Romano Jure (hoc est lege XII. Tabularum) certum hujusmodi caput fuit, quo nominatim illud cautum* [e] *& expressum fuerat, ut tam Tutela quàm hæreditas testamentaria legitimam excluderet* [f]. *At in aureâ Caroli IIII. Bullâ nullum hujusmodi de hæreditate vel Tutelâ Electorali legitima* [legendum videtur *Testamentaria*] *caput extat: Imò Testamenti factio æquè de utroq; nominatim sublata est, cautumq; disertè, sicut Jure Romano, ut Tutela Electoralis hæreditatis Electoralis consequentia sit.* Hæc ad verbum ex Hotomanno referunt Adversarii. Sed, ut antea dixi, hæc Adversæ partis ratiocinatio movere nos ullo modo non debet. Ad hanc enim objectionem plures nobis responsiones occurrunt. *Primùm* agnoscimus, Jure Romano his legis [g] XII. Tabularum verbis, *Vti quisq; legassit suæ rei, ita jus esto*, tutelas etiam constituendi potestatem tributam

g] l. 120. π. de V. S. Vlp. 11. §. 14.

esse. Adgnoscimus *etiam* hanc legem [a] vel similem: *Quibus Tutor testamento datus non est, his ex lege* XII. *Tabularum Adgnati Tutores sunto:* Et hunc in modum Consanguineos & Adgnatos propalam [b] Tutores introductos XII. Tabularum lege. Adgnoscimus *quoque*, nominatim cautum illud esse, ut tam Tutela quàm hæreditas Testamentaria legitimam excluderet. Fatemur *etiam*, Testamentarias Tutelas legitimas dici posse, sed tamen impropriè. Sed quod addunt, *in Aureâ Caroli IV. Bullâ nullum hujusmodi caput de Tutelâ Electorali Testamentaria (* scilicet ut Testamentariæ Legitima cedat*) extare:* Imò *testamenti factionem de Tutelâ, ut & de successione, nominatim sublatam esse:* Et rursus, *cautum disertè, ut sicut Jure Romano, Tutela Electoralis hæreditatis consequentia sit:* Hæc, inquam, vel negamus, vel saltem interpretatione justissimâ supplere conabimur.

a] *Inst. de legit. Adgnat. Tutelâ. l. 1, ff. de legit. Tut.*
b] *Vlp. 11. §. 3.*

Primùm dico, vitiosam hanc collectionem esse: *Nullum caput est in Aureâ Caroli IIII; Bullâ, quo specialiter dicatur, Legitimam Electoralem Tutelam per Testamentariam excludi: Igitur una tantum species est Electoralis Tutelæ, quæ Testamentariam excludat:* vel ita: *Igitur nulla Tutela est Electoralis Testamentaria.* Quia, licet hujusmodi verba præcisa vel formalia in Bullâ Caroli IIII. non contineantur: satis est tamen, hujusmodi verba ex jure Romano (quod commune jus est & Germanici Juris refugium) suppleri posse vel repeti.

Secundò potest etiam fortiter dici, talia verba vel *æquipollentia* in Sigismundi Declaratione (quæ Caroli IV. Bullarum expositio est) apertè satis contineri. Nam *ex* [c] *legibus* esse dici potest, quod ex legum sententiâ potest erui. Imò mens legis, pars ejus præcipua est, & verbis semper præfertur: adeò [d] ut puniendus sit, qui contra juris sententiam sæva prærogativa verborum se excuset. Vbi valde notandum, verborum prærogativam ab Imperatore sævam dici: quasi dicat crudelem, & Barbaram & injustam esse. Et hoc quoq; magis dicendum est, quòd hoc argumentandi genus ab æquipollentibus scilicet. Adversarii commendent [e], & in Bulla Caroli IV. exponenda admittendum esse censeant.

c] *l. nominis. 6. §. 1. ff. de V. S.*
d] *l. non dubium. 5. Cod. de legib.*
e] *V. Resolutionem Casimirianam Refutatione 1. p. 9. & 10.*

Æquipollentia verba Caroli IV. & Sigismundi proferamus. Carolus IV. Bullâ sua edixerat, *ut Electore mortuo & relicto impubere primogenito, tunc frater senior Electoris, ejusdem primogeniti Tutor & Administrator existeret.* Poterat ex illis verbis indefinitis versutus, ut alibi diximus, aliquis colligere, fratrem Electoris, legitimum Tutorem sic esse, ut testamentarios Tutores excludere debeat. Sigismundus animadvertens hæc

verba obscura vel captiosa esse: &(ut ejus verba formalia retineam) *longinquitate temporis sæpè fieri, quòd res clara præsentibus, reddatur per oblivionem obscura in futurum*: Solem aliquem fuscis id est obscuris Caroli IIII. verbis Bullâ suâ inferre properavit: ac proinde nominatim cavit (Bullam Caroli IIII. in quibusdam personis amplians) *ut illo casu Frater, Nepos, & Consanguineus, DE IVRE Tutor & Curator esse debeat*.

Hæc postrema verba primùm diligentiùs spectemus. non sunt enim otiosa, sed loco Declarationis & Interpretationis addita: sunt denique (ut in Scholis usitato verbo utar) Restrictiva verba: quæ Tutelam Electoralem, Caroli IIII. Bullâ expressam, indefinitam & vagam, & apud quosdam dubiam, ad speciem Legitimæ vulgaris DE JVRE Tutelæ reuocant, & sic coërcent & restringunt: sic ut limites Tutelæ Legitimæ *Iure introductæ* & certæ non transiliat, & consequenter, ut Testamentariæ Tutelæ cedat. *Secundò* potest ex proximis colligi, prædicta Sigismundi verba nuncupatis satis & expressis æquipollentia esse. Quid enim interest, Lex dicat expressè? *Titius Adgnato suo Tutor esto, & cedat tamen Testamentario Tutori*: An verò lex simpliciter dicat? *Titius Adgnato suo de IVRE Tutor esto*: Cùm his verbis æquipollentibus tantundem lex dicat, quantum prioribus & expressis. At æquipollentibus verbis aliquid dici, vel exprimi, paria jure censentur: quia formulæ [a] verborum velut inanes hodie sunt sublatæ. Meritò. Non enim (ut Hilarius [b] verè) sermoni res, sed rei sermo subjectus est. Nihilque [c] obstat narrandi diversitas, vbi eadem dicuntur. Nec debet aliquis (ut Cœlestinus III. [d] loquitur) verba sed voluntatem considerare: cùm non intentio verbis, sed verba intentioni deservire cogantur.

Tertiò potest dici, posita vel expressâ in Sigismundi Declaratione *Tutelâ de Iure* (id est legitimâ), per oppositionem & relationem Testamentariam Tutelam tacitè poni, demonstrari, exprimi, colligi, innui, adgnosci. Contrariorum [e] enim, vel adversorum, vel oppositorum, vel correlativorum uno verbis specialiter expresso, alterum contrarium, adversum, oppositum vel correlativum statim & tacitè in rerum naturâ pariter esse vel extare posse præsumendum & intelligendum est: ut uno nuncupato, posito, expresso, alterum statim vi suâ vel per consequentias necessario subintelligendum sit. Tacitæ dispositiones, suppletiones hujusmodi vel interpretationes, in jure nostro passim nobis occurrunt, non tantum in contractibus, ultimis voluntatibus, institutionibus, substitutionibus, legatis, fideicommissis, donationibus, ademptionibus, revoca-

a] *l. unica. Cod. de formulis & impetrat. act. sublatis.*
b] *c. intelligentia. 6. extra de verborum signific.*
c] *Augustinus super Matth. & c. Nihil obstat. 7. extra de V.S.*
d] *c. in tua. 15. extra. de v. signif.*
e] *l. & si contra in fi. ff. de vulgari. Inst. de his qui sunt sui. Inst. de Tutelis in pr. & §. illud, vbi Glossa. Inst. de societate §. pen. vbi Bald. Cod. de solution. l. conventiculum Cod. de Episcopis.*

revocationibus, ſtipulationibus & ſimilibus, ſed & in Tutelis[a] ipſis, de quibus nunc agimus: ut ſi quis diſpoſitiones hujuſmodi tacitas ſuſtulerit vel tollere voluerit, jus omne noſtrum, quin & rationem omnem humanam ſublaturus ſit. Licet itaque primâ facie vel extrinſecus in Caroli IIII. Bulla vel Declaratione Sigiſmundi, unica tantùm Electoralis Tutela appareat vel in oculos incurrat: verbis tamen Sigiſmundi diligentius attentis, & utriuſque Principis mente penitus perveſtigata, duas Tutelas Electorales legibus illis probari vel admitti, lectoribus ingenuis conſtabit; Legitimam ſcilicet & Teſtamentariam: & rurſus, legitimam Adgnatitiam ſeu Conſanguineorum, ſed tamen *de Iure Tutelam*, & ſic limitatam, reſtrictam, circumſcriptam & ad Juris communis regulas reductam, ne quis anomalam vel irregularem cenſeat.

Quartò. Quamvis illa Sigiſmundi verba formalia, *de Iure Tutor eſſe debeat*, in Sigiſmundi Bullâ non extarent: Juris tamen Antiſtites & Profeſſores hodie conſulti vel interrogati ſuper hoc dubio, prorſus idem cum Sigiſmundo nobis ex æquo bonoque reſponderent: partim, quia Sigiſmundi Declaratio ſuperior & quidem tota à Juriſconſultis (quos ſecum, & in ſcriniis[b] ſuis, & ad latus ſuum in conſiliis[c] & conſiſtorio habuit, & quibus vſus eſt in Bullâ ſuâ dictanda vel promulganda) Adſeſſoribus ejus eſt concepta: & de tantis Juriſconſultis (quò præſtantiores fuerunt) nihil niſi Juridicum vel ex Jure depromptum præſumendum eſt: partim, quia (velut antea probavimus perſæpe) nulla hujuſmodi ſanctio manifeſtior nobis eſt edita, quæ jus de liberorum Tutelâ diſponendi Electoribus nominatim vel ſpecialiter ademerit, quod vtique ſpecialiter Carolus IIII. vel Sigiſmundus edidiſſet, ſi jus teſtandi de Tutelâ tantis Principibus auferre voluiſſet: partim etiam, quia nulla condendæ hujuſmodi legis, adeò turpis & inſolentis, cauſa vel occaſio (etiam minima) apparens vel probabilis eſſe tum potuit, propter quam Carolus IIII. vel Sigiſmundus, præcipuis Imperii columnis vel Cognatis vel Amicis ſuis, jus de Tutelâ teſtandi adimere voluerint: ſive proprios motus duorum illorum Imperatorum, ſive perſonas Electorum, ſive Agnatorum Electoralium qui tum vixerunt, ſpectabimus.

Quintò. Fingamus (quod tamen re ipsâ non eſt) in Caroli IIII. vel Sigiſmundi Bullâ unam tantùm Legitimam Tutelam Electoralem reperiri, quæ Teſtamentariam etiam excludat vel excludere debeat: Bullas tamen illas Imperatorias exaudire ſemper nos oportet & intelligere cum clauſula *Rebus ſic ſtantibus* (ut plenius alibi dicemus) vulgari, & quidem moderata, & ſine cujuſquam indignatione juſtiſſima: Id eſt,

a) *Inſt. de legitimâ patron. tut. ibi, per interpretationem ac ſi verbis legis introducta eſſet: & Inſt. de fiduciariâ Tutelâ in f. ibi, ita tamen hi ad Tutelam vocantur.*

b] *l. omnium. 19. Cod. de Teſtamentis.*

c] *l. quiſquis. 5. Cod. ad l. Iul. majeſtatis.*

dummodò proximior & senior Adgnatus per legem Imperii ad Tutelam proximè vocatus, Legitimum Tutorem & Curatorem agere, & se talem præbere pupillis & minoribus & eorum subditis velit: & sic liberorum & subditorum statum non mutare. Adgnatus omnis ad legitimam Tutelam consanguinei sui legibus vocatus, vocatus semper intelligendus est *rebus sic stantibus*: nempe ut se Legitimum Tutorem præstet, non ut mutet: ac proinde lex, his casibus, Testamentariam etiam Tutelam parentibus permittere censetur: Adgnato videlicet, quasi conditione destituto: qua [a] deficiente, Tutor sanè dici non potest. *Secunda ratio*. Quia Consanguinei vel Adgnati vel legitimi Consanguineorum suorum Tutores eum in finem à lege minoribus dantur, ne bona pupillorum [b] pereant: Igitur ut Minorum ipsorum statum ipsimet etiam Tutores non mutent. Non enim admittere adversus Minores id debent, quod alius admittere prohibetur. *Tertia ratio*. Quia voluntas illa mutandi status in proximiore & seniore Electorali Adgnato nunc primùm vel recenter contra spem & expectationem legis emergens, novo quoque juris eget auxilio vel remedio: cùm novus ille casus, nec à Carolo IIII. nec à Sigismundo decisus vel prævisus vel præsumptus fuerit. quem casum si Principes illi præsumpsissent, aliud utique verisimiliter & probabiliter pro liberorum Electoralium commodo statuissent: & Adgnatum (licet proximiorem & seniorem) statum Electoralem mutare gestientem, à Tutelâ vel Curâ protinus & expressè removissent. quia (ut antea diximus) legitimæ Tutelæ vel Administrationes non Adgnatorum vel consanguineorum gratia, sed pupillorum & minorum commodo, favore, utilitate sunt inductæ. Alioqui jus esset apertè cavillari (quod [c] jus non patitur) si eum in modum leges Tutelam legitimam Consanguineis deferentes, præcisè, id est, sine distinctione aliquâ, sine moderamine vel juris aliquo temperamento sumerentur, cum pupillorum & minorum ipsorum damno, periculo, incommodo, exitio. *Quarta ratio*. Si per Bullam Caroli IIII. [d] famosus & notabilis defectus, propter quem non debet vel potest hominibus principari filius Electoris, filium ipsummet Electoris ab ipsâ successione vel hæreditate patris Electorali repellit vel excludit: non minus sanè, imò multo magis, ex gravi justaque causa vel famosa, vel ex notabili defectu, proximus & senior Adgnatus ab Administratione vel Tutelâ Consanguinei removeri debebit & poterit. Atqui nullus notabilior est defectus in seniore proximioreque Consanguineo, quàm si statum & cætera hujusmodi non minora, mutare se velle, factis, verbis, aut indiciis aliis ostenderit. Nam si similes causas expressis in legibus &

a] *l. si quis sub conditione 11. ff. de Testam. Tutela. §. 3. Inst. qui test. Tut. dari possunt.*
b] *l. 1. ff. de legit. Tutor.*
c] *l. 2. §. tractari bellè 44. ff. ad SC. Tertul.*
d] *Titulo. 24.*

bus & constitutionibus omnibus semper intelligimus) multò magis & majores subintelligere debebimus: etiamsi lex vel dispositio Taxativis dictionibus (*duntaxat, tantummodo*, vel similibus) usa fuerit. quia non [a] possunt omnes articuli sigillatim legibus aut Senatusconsultis inseri. Ideoque cùm in aliquâ causâ vel controversiâ sententia eorum manifesta est, is qui Jurisdictioni præest (Prætor, Jurisconsultus, vel similis) ad similia procedere, atque ita jus dicere debebit. quia bona (id est justa & æquissima) occasio est, cætera quæ ad eandem tendunt utilitatem, vel interpretatione vel certè jurisdictione suppleri. *Quinta ratio*. Quia licet lex proximiori & seniori Tutelam legitimam deferat, testamentariis etiam Tutoribus exclusis: adhuc tamen præsumendum est, Carolum IIII. & Sigismundum ipsis Electoribus *usitatas Exceptiones adversus seniores Adgnatos semper reservasse*: & ipsis proinde Electoribus jus illo casu, de liberorum, subditorum Tutela disponendi, liberum fecisse: quoties periculum imminebit, ne proximior Adgnatus statum Electoralem mutet, ubi ad Tutelam Electoralem venerit. Æquius est enim illis casibus, parentibus de liberorum Tutelâ testandi potestatem permitti, quàm Consanguineis mutandi status voluntatem præferentibus, & id seriò serioq; contestantibus. Duobus [b] enim ex malis semper minus eligendum est, quodque minus iniquitatis continet. Hoc autem malo, illud minus est.

a] *l. nonpossunt. 12. & seq. π. de legibus.*

b] *l. quoties. 200. π. de R. I. Cicero. 3 Officiorum: Minima de malis eligenda.*

OBIECTIO DECIMA. X.

IN PRIMIS (inquiunt [c] Adversarii) *consideranda est mens & intentio & causa impulsiva illius constitutionis Aureæ Bullæ, ad eum scilicet finem potissimum introducta, prout Præfatio ipsius Bullæ & totus contextus ostendit*. RESPONDEO. Agnosco ex legum præfationibus [d] & proœmiis lumen aliquod sequentibus inferri. Sed addo. tantùm abesse ut ex præfationibus vel contextu jus aliquod utile sibi possint elicere Adversarii, ut ex utraq; Bulla potius constare possit, Electoribus jus de Tutelâ disponendi salvum & integrum superesse. Ait enim Bulla Caroli IV. per septem [e] Electores (velut per septem candelabra lucentia in unitate Spiritus septiformis) sacrum illuminari Imperium debere: Electores [f] Principibus aliis communibus (cujuscunq; status, dignitatis, præeminentiæ vel conditionis existant) præponi: Eisdem προεδρίας in eundo, sedendo vel stando in Celebritatibus Imperialibus Curiæ & quibuscunque Actibus ad Curiam ipsam spectantibus deberi: Electorem Palatinum primum [g] ordine inter Laicos Electores esse, Sacri Imperii Archidapiferum. vacante

PRÆFATIONES & contextus Bullarum idem demonstrant?

c] *p. 9.*

PRÆFATIONES Bullarum Imperialium testamentariis tutelis Electoribus ut obsint tantum abest, ut eas potius confirment & adstruant.

ELECTORUM fulgor & eminentia, Bullis Aureis adstruitur.

d] *l. 1. in f. π. de origine Iuris. l. Titia, 134. §. 1. π. de V. O.*

e] *Præfatio Bullæ Caroli IV prima pagina & Titulo 4.*

f] *c. 6. cujus inscriptio est: de Comparatione Electorum ad alios Principes communes.* g] *Tit. 4. & 5.*

vacante Imperio provisorem esse, & juramenta fidelitatis vice & nomine Imperii in partibus Rheni & Sueviæ, & jure Francico recipere: In[a] causis Imperatorem concernentibus (secundùm consuetudinem veterem) Imperatorem coràm ipso (Comite scilicet & Electore Palatino) respondere debere. Et Sigismundi Constitutio secunda[b] in præfatione ipsa, *Ferventiori* (inquit) *affectu cor nostrum accenditur, penes ea quæ sacri decus Imperii, & Illustres ipsos Electores*, PER QUOS COEPIT, *& in quibus* CONSISTIT *Nostra Gloria Celsitudo, qui & in partem sollicitudinis nobiscum sunt vocati, &c.* Et quis quæso ex prædictis Bullarum præfationibus & textibus colligere unquam poterit, Electoribus testamenti factione (quod liberorum & subditorum Tutelam attinet) interdici? Si Principes Electores candelabra sunt, sacrum illuminantia Imperium, cur animi sui prudentia liberis, subditis, & consanguineis adlucere, consulere, prospicere, & Tutorem liberis suis eligere non poterunt? Si Principibus aliis potiores habentur, cur non similiter vt Principes & Electores cæteri liberis suis Tutorem testamento dare poterunt? Mitto reliqua specialiùs expendere, ex quibus liquidum est critve semper, Electoribus jus illud testandi (de quo nunc agimus) nec à Carolo IIII. nec à Sigismundo præfationibus ullis, ullove textu vel apice præreptum, sed potius concessum, auctum, cumulatum esse. Et utique post Imperatores & Reges Electoribus Imperatoriis nihil gloriosius aut excelsius, non dicam in Europa, sed in toto Orbe est.

a] *Tit. 5. §. vlt.*

b] *in pr.*

ELECTORES, principium & fundamentum Imperialis GLORIÆ.

XI.

OBIECTIO VNDECIMA.

LITES omnes, & dissensiones, & dubia omnia, Bulla Caroli IIII. succidere voluit.

MENS (inquiunt[c] Adversarii) *& intentio & causa impulsiva Bullæ Aureæ fuit, inter Electores Principes & eorum successores, ad Imperii & subditorum commodum concordiam conservare, lites & dissensiones submovere: Perpetuam successionis & Administrationis formam in Electoribus præscribere: Obscuritates omnes succidere: Ius cuiuslibet dilucidè declarare. Igitur indecisam hanc quæstionem non reliquit, nec iuris communis dispositioni permisit. id enim paucissimis verbis facere potuisset, si voluisset, præsertim cùm minora de liberorum institutione in linguis exteris specialiter optioni parentum non permiserit. Si hæc providere voluit nominatim in casu minus dubio, quantò magis aliquid statuisset de libero circa futuram Administrationem arbitrio, si illud legum cancellis limitatum noluisset? Et eò quidem magis, quòd Carolus & Sigismundus testentur, contentiones, sollicitudines radicitùs tollere voluisse, non improvidè, non per errorem, sed animo delibe-*

c] 9. *Sententiam sequor non verba: ea enim contraxi. sunt enim nimis diffusa.*

de liberato, tam Electorum quàm aliorum Principum, Statuum, maturè communicato consilio futuris obviare periculis, materiam omnem succidere dubiorum, de certa scientia & plenitudine potestatis volendo.

RESPONDEO. Hæc Carolus IV. animo suo gestiverit, & verbis scriptisve professus fuerit. An continuò consequens est, ut prætendunt Adversarii, Carolum IV. omnia dubia in Electoralibus causis sustulisse? Minimè sanè gentium. Eadem enim Carolo IV. quæ ejus Antecessoribus accidere potuerunt: qui licet in concipiendis legibus animo prompto fuerint non omnes tamen casus complecti, nec omnia dubia tollere potuerunt: sed obscura permulta & acutissimos etiam interpretes fugientia reliquerunt. *Cuivis* (Publius inquit Mimus) *potest accidere, quod cuiquam potest*. Quod Antonino, Alexandro, Diocletiano, Constantio, Constanti, Theodosio, Justiniano & aliis, in legibus condendis accidit, (licet Papinianos, Vlpianos, Paulos & Scævolas in comitatu suo habentibus) quidni Carolo IV. accidere quoque potuit? Nihil itaq; periculi fuerit, si dixerimus, Carolum IV. faustum & læti quidem ominis votum prætulisse, non tamen voti compotem factum, cùm Auream Bullam suam promulgaret. Hinc Poëta [a], Juris nodos & legum ænigmata nuncupat. Eadem quoque ratione, Medici artis ut suæ (id est Medicæ) difficultatem summam palàm ostenderent, Æsculapium (Medicorum Deum) bacillum nodosum habentem pinxerunt. *Secundò*. Quò propius rem quâ de agitur, urgeam, constat evidenter, Carolum IV. non omnia dubia de Tutoribus Electoralibus Bullâ suâ præcidisse. *Fratris* enim tantum Electoralis meminit, non Adgnati vel consanguinei: ut consequenter illius Bullæ ope auxilioque Illustrissimus Princeps Neoburgicus destituatur. Imò Caroli IV. Bullâ Consanguineus proximus ab Electorali Tutelâ exclusus esset, nisi ad eam senior Consanguineus, Sigismundi lege vocatus fuisset. *Tertiò*. Si Caroli IV. Bulla casus singulos ad Tutelas Electorales pertinentes definivit, quid necesse postea fuit Sigismundo Bullas suas & Declarationes edere? *Quartò*. Potest adhuc dici, Carolum IV. Bullâ suâ decidisse ea quæ [b] frequenter & facilè tum movebantur, non ea quæ raró: & reliquos casus rariores, sequentibus Imperatoribus permisisse. *Quintò*. Potest dici, Caroli IIII. Bullam hoc nostro casu perspicuam & facilem legentibus fore, si Juris Civilis ad decisiones apertas vel similes referetur: difficilem verò simul & obscuram, si præter & contra jus omne pietatis, honestatis, jus novum aut insolens sibi fingere quis voluerit. *Sextò*. Ponamus

BVLLA Caroli IV. an & quomodo lites omnes, dissensiones & dubia circa Tutelas Electorales sustulerit?

a] *Iuvenalis*.

b] *l. 4. l. 5. l. 6. ff. de legibus*.

(quod tamen non est) Carolum IIII. Bullâ sua Aureâ lites omnes & dissensiones inter Electores & eorum successores submovere cogitasse: an ideò sequitur, jus de liberorum & subditorum Tutelâ testandi Electoribus adimere voluisse? Quasi verò lites & dissensiones inter Electores & eorum successores aliter componere vel sopire non potuerit, quàm spoliatis tam inæstimabili jure Electoribus? Sanè non est verisimile, Carolum IIII. sponte sua tam duram legem Electoribus ponere, nec in eam Electores (in liberorum & posterorum suorum præjudicium) consentire, nec eandem proximiores Adgnatos Electorales stipulari, postulare, exigere, extorquere ab Electoribus voluisse. Stipulatio quippe hujusmodi contra bonos mores est: *De liberorum & subditorum tuorum Tutelâ testari non poteris: pietatem omnem erga liberos & subditos tuos ejerabis: illo te jure spoliabis ut nos vestias: in liberis tuis regendis plus arbitrio nostro tribues, quam datis vel electis à te tutoribus.* Si lis vel stipulatio hujusmodi adeo pudibunda & inverecunda inter Electores & eorum successores esse tum non potuit, nec ullo modo præsumenda est; nemo dixerit, Caroli IIII. Bulla testandi de Tutelâ facultatem Electoribus ademptam: cum tunc lis talis super Electorali Tutela non fuerit, nec esse potuerit. Necesse est itaque, ut inter Electores & eorum successores, vel inter ipsos potius ab intestato (id est deficiente testamento) Consanguineos, quod Tutelas Electorales attinet (nihil enim de successionibus dico) lites & dissensiones aliæ mitiores tum extiterint, quæ Caroli IIII. Bullâ decisæ fuerint: & proinde litem de Tutelâ testamentaria Electorali à Carolo IIII. Juris Communis dispositioni relictam esse.

XII. OBIECTIO DVODECIMA.

INVTILES aut exigui sunt effectus Bullæ Imperiales, nisi hanc Anomalam tutelam legitimam inducunt testamentarias excludentem?

NULLIUS (inquiunt [a] Adversarii) *aut sanè exigui esset effectus Caroli IIII. Bulla, si nihil novi præter jus commune introduxerit, & patris Electoris judicium de Electoratu post mortem suam administrando liberum esse voluit.*

a] *pag. 9.*

BVLLA Caroli IV. & Sigismundi Declaratio non est inutilis. Nam non modo multa præter & contra Ius Commune induxit, sed etiam hanc de Tutelis testamentariis Electoralibus quæstionem decidit.

RESPONDEO, Bullam Caroli IIII. vel etiam Sigismundi, supervacuam vel inanem non esse, licet Electoribus, liberos habentibus, jus de Tutelâ testandi non ademit. Multas enim alias controversias vel tum præsentes, vel aliquando futuras decidit. Imò & permulta præter & contra Jus Commune induxit.

Primò.

Primò. Poterat esse dubium, utrum Electore mortuo intestato, successori, ætatis defectum patienti, Tutorem Imperator ex officio dare deberet, & has partes, in re tanti momenti, & in superIllustris personæ Tutela, honoris ergò Princeps summus (id est, Imperator) sibi sumeret? An ab Electoribus reliquis Tutor (quasi Collegii Electoralis pars futurus) adsciscendus esset: ut quod Electores tangere videbatur & videtur, ab omnibus (& sic ab Electorum collegio) probaretur? An verò ab alio Magistratu aliquo dandus? An potius Consanguineus aliquis Electoratus huic Tutelæ certâ lege Imperii præferendus esset? Bulla Caroli IV. voluit ex Jure [a] Communi legitimum & quidem fratrem admitti: & sic *Dativis* præferri definivit. *Secundò*. Poterat quæri, utrum *Mater & Avia*, & sic fœmina, ad hanc ab intestato Tutelam admittenda esset? Sed Bulla Caroli IV. fratrem defuncti ad hanc Tutelam vocans, satis innuit, marem fœminæ ab intestato præferri: cùm aliàs Jure [b] Communi mater & avia cognatis præferatur. *Tertiò* poterat dubitari, utrùm *Cognatus* Electoris, defectum ætatis patientis, gradu proximior, in Tutelâ Electorali præferendus esset? Bulla Caroli IV. & Sigismundi Declaratio manifestè demonstrat, Adgnatos Cognatis præferri: cùm tamen Jure [c] Civili (& quidem novo) Cognati, si gradu proximiores impuberi fuerint, Adgnatis remotioribus præferantur. *Quarto*. Poterat esse controversum, *pluribus* Adgnatis ejusdem gradus ad Tutelam Electoralem concurrentibus, an omnes pariter ad Tutelam Communi Jure admittendi essent? an verò idonior per Magistratum eligendus? an Imperatoris potius gratificationi locus fieri deberet? an sorti (quod plerisque [d] dubiis casibus jure fit) res committenda? an verò Proximior & Senior Adgnatus cæteris præferendus? Bulla vult, Seniorem Adgnatum admitti: cùm tamen Civili [e] Jure omnes ejusdem gradus Adgnati ab intestato Adgnati sui sint Tutores legitimi. *Quinto*. Poterat & hic scrupulus moveri, Seniore Adgnato ad hanc Tutelam Legitimam vocato, an eo casu *Clericus* senior & proximior Laico juniori & remotiori præferendus esset? Lex vult, Laicum Adgnatum (licet juniorem & gradu remotiorem) Clerico (licet proximiori & seniori) præferri. *Sexto*. Poterat adhuc quæri, Ad quod usque tempus hæc Electoralis Tutela legitima duraret? Bulla definivit, ut ad XVIII. usque annum, & sic ad plenam usque pubertatem extendatur: cùm aliàs Jure Communi Tutela XIIII. [f] anno in masculis finiatur: Cura verò & Administratio anno XXV. [g] vel vicesimo, si [h] veniam ætatis à Principe quis impetraverit.

I.
Prætulit Legitimum Tutorem Dativis.

a] *l. unicâ. vers. quod tamen ibi neq; legitimis. Cod. de Tut. & Curat. Illustr.*

II.
Matri & Aviæ.

b] *Authent. Matri & Aviæ. Cod. quando mulier Tutelæ officio. Novell. 118. c. 5.*

III.
Cognato licet gradu proximiori.

c] *Novella de haredit. ab intest. 118. c. 5. Authent. sicut. & l. 1. ubi Accurs. Cod. de legit. Tut.*

IIII.
Seniorem Adgnatum cæteris licet pari gradu.

d] *§. optionis. 23. Inst. de Cognatis.*

e] *d. Auth sicut vers. quod si plures. l. si reliquero. 8. l. si plures. 9. ff. de legit. Tut. §. ult. Inst. de capite minutis. Novella. 118. c. 2.*

V.
Laicum Adgnatum juniorem, Clerico licet seniori.

VI.
Tutelam legitimam ad 18 usque annum extendit.

f] *l. ult. Cod qui Tutores esse desinant. Inst. quibus modis Tutela finitur in pr.* g] *l. 3. § minorem. ff. de minoribus. Inst. de Curatorib. in pr.* h] *l. 2. Cod. de his qui veniam ætatis.*

VII. Et quidem completum.

VIII. Vult in Collegium Electorum admitti.

IX. Vocem & suffragium in eligendo Cæsare habere.

X. Vt post fratrem Nepos & Consanguineus proximior admittatur.

XI. Vt de Iure sit Tutor.

Septimò. Poterat etiam controverti, utrum naturales liberi in bonis & dignitatibus Electoralibus succederent parentibus? Bulla Caroli IV. vult Legitimos tantùm liberos admitti. *Octavò*. Poterat rursus quæri, An hujusmodi Tutor recipiendus esset in aliorum Electorum collegium? Bulla vult recipi. *Nonò*. Poterat & illud dubium esse, utrùm etiam in electione Regis Romanorum vel Imperatorum, Tutor hic legitimus vocem & suffragium haberet vel non haberet? Bulla jus vocis & suffragii huic etiam Legitimo Tutori tribuit. *Decimò*. Poterat etiam (præter superiora quæ diximus) dubitari, utrum ex Caroli IV. Bullâ frater tantùm defuncti admittendus esset, an etiam alius ulterior Adgnatus? Sigismundus Declaratione editâ vult Nepotem etiam & proximiorem Consanguineum ad hanc Tutelam recipi. *Vndecimò*. Poterat etiam queri (quod hujus controversiç caput est & proprium.) Vtrum proximior & senior ille frater, nepos, vel consanguineus, ita Tutor futurus esset, ut Testamentarium excluderet? Huic dubitationi tollendæ, Sigismundus Bullam Caroli IV. declarans, vult proximiorem & seniorem illum consanguineum DE JVRE Tutorem & Administratorem esse debere, id est legitimum Tutorem, ut alii de Jure sunt Tutores.

Ex his tot (cæteras ut omittam) quæstionibus & dubiis, Caroli IV. & Sigismundi Declarationibus decisis, satis apparet, Bullas illas nullius aut exigui effectus non fuisse: sed vim utriusque Constitutionis non tantùm multiplicem, verùm etiam (ut in postremâ circumstantiâ luculenter ostensum est) & tacitè satis per Bullam Caroli IV. & expressè per Sigismundi Declarationes, hanc de Tutelis Electoralibus quæstionem notoriam jam, manifestam, & decisam esse. Ac præterea, quis hanc collectionem Adversariorum admittet? Inutiles Caroli IV. & Sigismundi Bullæ sunt, nisi Tutelam anomalam legitimam Testamentarias excludentem inducunt. Quasi verò non possint in aliis articulis & casibus utiles esse, licet adcò monstrosam Tutelam non inducant. Quid quòd Constitutiones novæ plerumque nihil juris novi penitus inducunt, sed jus constitutum olim desuetum vel minùs observatum, tantùm reducunt? hoc solo vel uno contentæ, veteres ut leges in memoriam revocent vel declarent. Quid multis opus est? Rex Sigismundus in Orationis sive Declarationis suæ limine id se facere velle testatur. §. *Et quod longinquitate sæpe fit temporis, quòd res clara præsentibus, redditur per oblivionem obscura futuris*.

Potuisset quidem Carolus vel Sigismundus apertiùs mentem suam nobis edere. Sed cùm uterque sciret, se non idiotis, vel ignaris Juris Romani

Romani hominibus jus scribere, sed peritissimis: satis superque utrique Imperatori fuit, paucissimis & simplicissimis verbis superioribus uti, quæ periti Juris satis intelligunt: & eò magis, ne [a] verbis obscuris & minus solemnibus Principes illi Jus Commune in Electoralibus Tutelis correxisse vel mutasse videantur. Et alioqui modum loquendi Principibus Augustis vel eorum Quæstoribus præscibere quis possit: Inde sanè fit, ut ab Interpretibus interdum seriò notentur, fallente scilicet nonnunquam scribarum [b] similiumve memoriâ [c] vel manu. In hujusmodi dubiis & angustiis ad Jus Commune semper confugiendum est: ut si de Tutelis, verbi gratia, forte quæstio nova oborta in Bullis Imperialibus fuerit, ex Communi Jure quæstionem illam definiamus. Via hæc enim regia est juris feliciter exponendi, & omnium sanè expeditissima, sicut & tutissima.

a] *l. si quando. Cod. de inoff.*

b] *l. ambiguitates. 24 Cod. de Testibus.*

c] *v. Gloss. l. ult. in verbo quærere & ibi interpretes. Cod. in quibus causis in integrum restitutio necess. non est.*

OBIECTIO DECIMA-TERTIA.

XIII.

TVTELÆ Electoralis devolutio & successio perpetua & infallibilis esse debet?

QUID (inquiunt [d]) *clarius est illis verbis in Bullâ Sigismundi comprehensis? Et talis successio & devolutio (ne in his committantur errores futuris temporibus) debet in omnibus præscriptis & singulis sine innovatione perpetuò & infallibiliter observari.*

d] *p. 9. in fin.*

IN BVLLA Sigismundi quis sit sensus horũ verborum: Talis successio, & devolutio: &. item: in omnibus præscriptis & singulis observetur?

RESPONDEO. Vox *Talis* relata (ut & referri debet. est enim relativa) vox (inquam) *Talis successio & devolutio* relata ad præcedentia verba Declarationis à Sigismundo factæ (nempe *de Iure Tutor & Administrator esse debeat.*) manifestissimam nobis hanc sententiam suggerit: Successio & Devolutio Tutelæ Electoralis ad Agnatos proximiores & seniores, Constitutione Sigismundi talis esse debet: ut senior scilicet ille & proximior de Jure Tutor esse debeat. id est (ut sæpe dictum est) Legitimus, & sic testamentariis Tutoribus deficientibus. *Talis* (inquam) simpliciter, non secundùm quid vel ex parte. Quod enim [e] secundùm quid dicitur, *Tale* propriè non dicitur. *Secundò*. Nec superflua quoque sunt hæc verba sequentia, *In omnibus præscriptis & singulis observetur.* Hâc enim clausulâ Sigismundus utique nuncupata, specialia, expressa & præscripta illa verba (*DE IVRE Tutor & Administrator esse debeat.*) respexit. *Tertiò*. Potest dici, Talem successionem & devolutionem servandam esse ab intestato, non autem testa-

e] *l. Lucius §. quæsitum & ibi Bart. ff. de legat. 2. c. 1. ubi Baldus. de feudo Marchiæ: Alciatus. 2. Resp. 9. n. 34.*

VII. Et quidem completum.

VIII. Vult in Collegium Electorum admitti.

IX. Vocem & suffragium in eligendo Cæsare habere.

X. Vt post fratrem Nepos & Consanguineus proximior admittatur.

XI. Vt de Iure sit Tutor.

Septimò. Poterat etiam controverti, utrum naturales liberi in bonis & dignitatibus Electoralibus succederent parentibus? Bulla Caroli IV. vult Legitimos tantùm liberos admitti. *Octavò*. Poterat rursus quæri, An hujusmodi Tutor recipiendus esset in aliorum Electorum collegium? Bulla vult recipi. *Nonò*. Poterat & illud dubium esse, utrùm etiam in electione Regis Romanorum vel Imperatorum, Tutor hic legitimus vocem & suffragium haberet vel non haberet? Bulla jus vocis & suffragii huic etiam Legitimo Tutori tribuit. *Decimò*. Poterat etiam (præter superiora quæ diximus) dubitari, utrum ex Caroli IV. Bullâ frater tantùm defuncti admittendus esset, an etiam alius ulterior Adgnatus? Sigismundus Declaratione editâ vult Nepotem etiam & proximiorem Consanguineum ad hanc Tutelam recipi. *Vndecimò*. Poterat etiam queri (quod hujus controversię caput est & proprium.) Vtrum proximior & senior ille frater, nepos, vel consanguineus, ita Tutor futurus esset, ut Testamentarium excluderet? Huic dubitationi tollendæ, Sigismundus Bullam Caroli IV. declarans, vult proximiorem & seniorem illum consanguineum DE JVRE Tutorem & Administratorem esse debere, id est legitimum Tutorem, ut alii de Jure sunt Tutores.

Ex his tot (cæteras ut omittam) quæstionibus & dubiis, Caroli IV. & Sigismundi Declarationibus decisis, satis apparet, Bullas illas nullius aut exigui effectus non fuisse: sed vim utriusque Constitutionis non tantùm multiplicem, verùm etiam (ut in postremâ circumstantiâ luculenter ostensum est) & tacitè satis per Bullam Caroli IV. & expressè per Sigismundi Declarationes, hanc de Tutelis Electoralibus quæstionem notoriam jam, manifestam, & decisam esse. Ac præterea, quis hanc collectionem Adversariorum admittet? Inutiles Caroli IV. & Sigismundi Bullæ sunt, nisi Tutelam anomalam legitimam Testamentarias excludentem inducunt. Quasi verò non possint in aliis articulis & casibus utiles esse, licet adeò monstrosam Tutelam non inducant. Quid quòd Constitutiones novæ plerumque nihil juris novi penitus inducunt, sed jus constitutum olim desuetum vel minùs observatum, tantùm reducunt? hoc solo vel uno contentæ, veteres ut leges in memoriam revocent vel declarent. Quid multis opus est? Rex Sigismundus in Orationis sive Declarationis suæ limine id se facere velle testatur. §. *Et quod longinquitate sæpe fit temporis, quòd res clara præsentibus, redditur per oblivionem obscura futuris.*

Potuisset quidem Carolus vel Sigismundus apertiùs mentem suam nobis edere. Sed cùm uterque sciret, se non idiotis, vel ignaris Juris Romani

Romani hominibus jus scribere, sed peritissimis: satis superque utrique Imperatori fuit, paucissimis & simplicissimis verbis superioribus uti, quæ periti Juris satis intelligunt: & eò magis, ne [a] verbis obscuris & minùs solemnibus Principes illi Jus Commune in Electoralibus Tutelis correxisse vel mutasse videantur. Et alioqui modum loquendi Principibus Augustis vel eorum Quæstoribus præscribere quis possit? Inde sanè fit, ut ab Interpretibus interdum seriò notentur, fallente scilicet nonnunquam scribarum [b] similiumve memoriâ [c] vel manu. In hujusmodi dubiis & angustiis ad Jus Commune semper confugiendum est: ut si de Tutelis, verbi gratia, forte quæstio nova oborta in Bullis Imperialibus fuerit, ex Communi Jure quæstionem illam definiamus. Via hæc enim regia est juris feliciter exponendi, & omnium sanè expeditissima, sicut & tutissima.

a] *l. si quando, Cod. de inoff.*

b] *l. ambiguitates. 24 Cod. de Testibus.*

c] *v. Gloss l. ult. in verbo quærere & ibi interpretes. Cod. in quibus causis in integrum restitutio necess. non est.*

OBIECTIO DECIMA-TERTIA.

XIII.

TVTELÆ Electoralis devolutio & successio perpetua & infallibilis esse debet?

QUID (inquiunt [d]) *clarius est illis verbis in Bullâ Sigismundi comprehensis? Et talis successio & devolutio (ne in his committantur errores futuris temporibus) debet in omnibus præscriptis & singulis sine innovatione perpetuò & infallibiliter observari.*

d] *p. 9. in fin.*

IN BVLLA Sigismundi quis sit sensus horũ verborum: Talis successio & devolutio: &c. item: in omnibus præscriptis & singulis observetur?

RESPONDEO. Vox *Talis* relata (ut & referri debet, est enim relativa) vox (inquam) *Talis successio & devolutio* relata ad præcedentia verba Declarationis à Sigismundo factæ (nempe *de Iure Tutor & Administrator esse debeat.*) manifestissimam nobis hanc sententiam suggerit: Successio & Devolutio Tutelæ Electoralis ad Adgnatos proximiores & seniores, Constitutione Sigismundi talis esse debet: ut senior scilicet ille & proximior de Jure Tutor esse debeat: id est (ut sæpe dictum est) Legitimus, & sic testamentariis Tutoribus deficientibus. *Talis* (inquam) simpliciter, non secundùm quid vel ex parte. Quod enim [e] secundùm quid dicitur, *Tale* propriè non dicitur. *Secundò*. Nec superflua quoque sunt hæc verba sequentia, *In omnibus præscriptis & singulis observetur*. Hâc enim clausulâ Sigismundus utique nuncupata, specialia, expressa & præscripta illa verba (*DE IVRE Tutor & Administrator esse debeat*) respexit. *Tertiò*. Potest dici, Talem successionem & devolutionem servandam esse ab intestato, non autem testamento

e] *l. Lucius §. quæsitum & ibi Bart. ff. de legat. 3. C. 1. ubi Baldus. de feudo Marchiæ: Alciatus. 2. Resp. 9. n. 34.*

mento facto, ac maximè quidem, si justa vel necessaria testamenti faciendi causa probata fuerit. Hanc enim clausulam (*si quamihi; justa causa*) æquitas suggerit, & eam Prætor [a] admittit, & per eam Juris lacunas & omissa legibus supplere potest, solet & debet.

a] *l. 1. in fi l. sed et si per Pratorem 26. §. item inquit 9. ibi, ut quoties aquitas: & ibi aquissimum est. π. ex quibus causis majores.*

OBIECTIO DECIMAQVARTA.

XIIII.

SIGISMVNDI Declaratio scandalis & novitatibus super jure, voce, dignitate & potestate Electionis occurrere voluit?

Sigismundus (inquiunt [b] Adversarii) *Declaratione suà testatur, se eam promulgasse, ne super jure, voce, dignitate & potestate Electionis hujusmodi, nec non Principatibus & officio Archidapiferiæ, & aliis prædictis, ullo unquam tempore contingat scandala suscitari, vel novitates attententur: & ideo vetat suam Declarationem à quoquam infringi.*

b] *pag. 10. in pr. Vers & ibi: Porrò ne super jure.*

SIGISMVNDVS Declaratione sua non eo sensu proximiori & seniori consanguineo, jus, vocem, dignitatem & officium Archidapiferiæ contulit, ut testamentarium Tutorem excluderet nec est novitas, id dici.

Respondeo. Licet concederetur, Sigismundum proximiori seniori consanguineo jus, officium, dignitatem & potestatem Electionis & Archidapiferiæ, lege suâ dedisse: non tamen ex eo sequeretur, prædicta ei concessisse vel dedisse, testamentarios ut Tutores excluderet. Imò dedisse potius præsumendus est, ut testamentario Tutori cederet: quia de Jure Tutorem esse voluit, & sic ut testamentario Tutori cederet, quoniam datus lege Tutor semper testamentario cedit. *Secundò.* Nec erit novitas, si prædicta verba Sigismundi sic accipientur, ut nos sæpè jam exposuimus, Jus Commune in Sigismundi verbis exponendis sequentes. Imò novitas Adversariis potest objici, quòd contemptis & calcatis Juris Romani regulis & definitionibus communibus, usitatis, vulgaribus & apertissimis, adeò inauditam & novam legitimæ Tutelæ speciem Orbi & Imperio invehere nituntur. Tutelas hujusmodi contra communes Juris Civilis & Naturæ regulas. & sic prodigiosas præsumere nunquam debemus vel admittere, nisi specialiter, & evidentissimis luceque clarioribus verbis inductæ probabuntur. Naturalia [c] quippe, consueta & honesta potius presumenda sunt, quàm extranaturalia, insolita & inhonesta.

c] *l. sed et si 28. in fin. π. de judiciis. l. si quis posthumos. 9. ibi natura magis & consuetudo. π. de liberis & posthumis. l. 1. §. ult. ibi agri naturam. l. 2. ibi natura. π. de aqua pluvia. l. de interdicto. 6. ibi ac ex natura. π. de aqua quotidiana.*

OBIECTIO DECIMAQVINTA.

XV.

RENVNCIARVNT juri suo Electores?

Non est (inquiunt [d] Adversarii) *quod objiciatur, Electorum hoc modo duriorem deterioremq; fore conditionem, quàm cujusvis patrisfamilias, quasi scilicet hoc modo testandi facultas adimatur: quia volentibus & ultrò renunciantibus juri suo, nulla fit injuria,* Respon-

d] *pag. 10.*

RESPONDEO & quidem *primò*, non prætereundum imò notandum esse maximè, quod Adversarii dicunt, *proximiorem & seniorem Adgnatum Electoralem* (Illustrissimum Principem scilicet Neoburgicum) *jus Tutelæ Electoralis sibi vindicare ex* RENUNCIATIONE *testandi ab Electoribus olim facta*. Renunciationem enim hujusmodi (quia facti est) nisi probaverint Adversarii, succumbere meritò debebunt: Electoribus interim in Juris Communis dispositione positis & fundatis, & in ejus quasi possessione constitutis & servandis. *Secundò*. Contraria potius præsumptio pro Electoribus facit. Nam *si personas Electorum spectabimus*, tantæ dignitatis personas jura sua Electoralia nunquam ac ne tunc quidem minuere voluisse, præsumendum fuerit. *Tertiò*. Si *jus quo de agitur spectabimus* (Tutores scilicet dandi, vel datis à lege conditiones honestas, pias, & liberis ipsis utiles imponendi, denique jus de liberorum & subditorum Tutela disponendi, quod promiscuè patet omnibus) dicendum pariter fuerit, Electores, hujusmodi juri, pacto vel conventione renunciare nunquam cogitasse; & jus [a] testandi sibi præripere, vel se in ordinem intestabilium personarum redigere cogitasse. *Quartò*. Licet quis posset pacto vel conventione Jus Commune (de Tutelâ scilicet liberorum testandi) sibi tollere: *liberis tamen & posteris suis* (qui Cives Imperii sunt, & ortu liberi, id est ingenui) *eripere non posset*. Potestas enim illa de liberorum Tutelâ testandi, Juris Gentium & naturalis existit [b] (Libertas quippe naturæ juris est) imò juris est Divini ac Civilis, omnibus permissa vel mandata potius: & quâ gentis Palatinæ Princeps etiam vel Genearcha sine dubio usus præsumendus est, vel uti potuit: ideoque Ludovici Electoris pacto à Carolo IV. vel Sigismundo Imperatoribus liberis & posteris tolli non potuit. Civilis enim [c] ratio (& sic pactio vel renunciatio patris) naturalia jura corrumpere non potuit: ac maximè quidem aliena, verbi gratia, liberorum: quia [d] dominis ignorantibus vel invitis, eorum jura remittere non possumus. *Quintò*. Licet adhuc posset aliquis sibi vel posteris jus de Tutelâ liberorum testandi adimere: non temerè tamen illa renunciatio & repudiatio statim recipienda esset. *Specialem* [e] *enim & specificam & solemnem renunciationem illam esse oporteret*, nec generalis renunciatio sufficeret. Generalis quippe renunciatio ad jus tam inæstimabile, & alienum maximè, amittendum, nullo modo posset extendi. Atqui nunquam probabitur, Electores juri de liberorum suorum Tutelâ testandi pro se & liberis & posteris specialiter renunciasse: ut nec omni legum auxilio, nec legibus, statutis & consuetudinibus, liberam de Tutelâ testandi facultatem cuivis patrifamilias

RENVNCIASSE Electores juri de Tutela liberorum testandi, nec probari potest, nec verisimile est: nec proximior & senior Consanguineus ex tali renunciatione ficta nec probata Tutelam Electoralem sibi vindicare, nec testamentarium Tutorem excludere potest.

a] v. l. si quis in princ. 22. π. de leg. 3. & Manticam. 3. de Conjectur. 19. Ias. in l. 27. à n. 4. ad 14. Cod. de Testamentis.

b] l. libertas. 4. π. de statu hom.

c] l. eas. 8. π. de capite minutis.

d] l. id quod nostrum 11. π. de R. I. c. quæ contra 60. de regulis in 6. Cod. de rebus alienis non alienandis.

e] l. 12. π. si quis in jus vocatus non ierit. l. si fidejussor. 7. π. qui satisdare cogantur.

milias

milias ingenuo, puberi,& sanæ mentis tribuentibus ac permittentibus: cùm tamen salutares illæ clausulæ in jurium renunciationibus (licet jura sint vilia) prætermitti vel à contrahentibus, vel à Notariis non soleant. His destituta clausulis renunciatio, vel ab idiotis confecta, vel vi dolove malo extorta, vel supposita, vel nulla, nullius denique momenti præsumenda est. *Quartò*. Posset etiam dici, præter specificam testandi de liberorum, subditorum & bonorum Tutelâ renunciationem, *Juramentum* [a] in hujusmodi repudiatione necessarium fuisse & interponi debuisse: quòd renunciationes (si modò paulò majoris res sint momenti) juramento firmari soleant, ut renuncianti restitutio vel negetur vel difficilior sit. Atqui nihil hujusmodi in renunciatione prætensa proferri ab Adversariis potest vel poterit. *Sextò*. Licet adhuc Adversarii probarent, renunciationem illam allegatam, specificam, clausulis solemnibus & solitis munitam & juratam: possent tamen Electorum (qui tunc temporis renunciationem hujusmodi fecissent) liberi posterique in integrum restitui: quòd [b] adversus charitatem & pietatem liberis debitam, & sic contra bonos mores Civitatis & Imperii tale juramentum interpositum de re quoque alienâ fuerit.

a] *arg. Auth. Sacramenta puberum. Cod. si adversus venditionem.*

b] *l non dubium. 5. Cod. de legib. Auth. quod est. Cod. de nuptiis. Novella. 51. Glossa in l pactum. 3. in Verbo improbatur. Cod. de Collat.*

XVI. OBIECTIO DECIMASEXTA.

c] *pag. 10.*

DETERIOR non est conditio Electorum quam privatorum, cùm possint nihilominus de his quæ proprio jure possident disponere?

LIBERA *est* (inquiunt [c] Adversarii) *facultas Electoribus disponendi de iis quæ proprio jure possident, & sic durior & deterior eorum conditio non est, quam cujusvis privati.*

DETERIOR est conditio Electorum quàm privatorum, si possunt tantùm de propriorum & Allodialium Tutela disponere, non autem de Tutela liberorum, subditorum & bonorum Electoralium.

RESPONDEO. Libertas illa testandi de bonis Allodialibus aliisve non Electoralibus & eorum Tutelâ, Electoribus ita relicta, ridicula est & nulla: nisi & de liberorum suorum Tutelâ pariter testari possint, vel Tutori lege ab intestato nuncupato conditiones liberis utiles & commodas imponere. Nam de rerum Allodialium inanimatarum Tutelâ posse disponere, de liberorum autem Tutelâ & sic de personis non posse, libertas imaginaria, nulla, vel penè nulla est, imò ut dixi, ridicula: quia liberorum quàm rerum Tutela parentibus longè carior & pretiosior est. Denique libertas lusoria prorsus esset, ac si de nucibus, de frivolis & de quisquiliis testari posses, non tamen de auro vel argento vel monilibus & cæteris hujusmodi pretiosis. *Secundò*. Maximum aliud etiam absurdum ex prædicta Adversariorum sententiâ sequeretur. Futurum enim esset, ut si Elector nulla bona præter Electoralia haberet vel possideret,

ſideret,) de nullorum bonorum Tutelâ teſtari poſſet, & ſic inteſtabilis prorſus maneret. *Tertiò*. Si licet Electoribus teſtari de his, quæ jure proprio poſſident, ſanè licebit & de liberorum Tutelâ & quorumque bonorum (etiam Electoralium) Adminiſtratione diſponere. Quia, quod liberos ipſos attinet, certum eſt, parentes liberos ſuos jure proprio habere, Dei ſcilicet ſolius munere, non majorum vel anteceſſorum pacto vel providentia quæſitos: poteſtatem omnem in eoſdem obtinere: eosq; pro ſuo arbitrio educare, regere, coercere, caſtigare [a], ut & olim ter [b] eos vendere (ut ſic majorem in eos, quàm in ſervos, illo caſu poteſtatem habuerint. ſervus enim venditus & libertatem adeptus, ſui juris fiebat: filius autem à patre venditus, & poſteà liber factus, rurſus in patris poteſtatem redigebatur, & poſt tertiam demùm venditionem patris poteſtate eximebatur.) imò jus vitæ neciſq; [c] in eos habuerunt. Et ita quoque liberos in ditione parentum eſſe Plinius Panegyrico ad Trajanum his verbis apertiſſimis adſerit, de viceſimâ hæreditatum diſſerens. *Tu quidem* (inquit) *Cæſar illam exceptionem removiſti, ſi modò filius in patris poteſtate fuiſſet: intuitus opinor vim legemq; naturæ, quæ ſemper in ditione parentum liberos eſſe juſſit*. Hinc fit, ut [d] parentes liberos in poteſtate poſitos non tantum præjudiciis, aut interdictis, aut cognitione Prætoria petere poſſint, ſed etiam vindicare adjectâ causâ, ex jure Romano vel ex lege Quiritium: ut & eos [e] exhiberi ſibi poſtulare, & eos abducere licere. *Quartò* poteſt etiam defendi, (& verum eſt etiam) Electores poſſe de bonorum ſuorum Electoralium Adminiſtratione non minus diſponere, quàm de bonorum aliorum Tutelâ. Primò, quia bonorum Electoralium Adminiſtrationem jure & nomine proprio poſſident, non procuratorio, non alieno, ut tutores, fructuarii, uſuarii vel ſimiles, ſed ut proprietarii & veri domini. Secundò, quia Electoribus major eſt adhuc ratio de bonorum Electoralium quàm de Allodialium aliorumve bonorum Tutelâ diſponendi. Sunt enim Electoralia bona cæteris aliis præſtantiora & nobiliora, & ideò liberis à parentibus diligentius & ſtudioſius ſervanda & cuſtodienda: quia liberis ipſis Electoribus à lege propter publicum & commune totius Imperii commodum & bonum deſtinata: quia majus eſt etiam periculum in illorum bonorum quàm aliorum amiſſione. Vt proinde latior, imò latiſſima poteſtas Electoribus permiſſa præſumenda ſit: ut ſcilicet in hujuſmodi bonis Electoralibus, liberis, poſteris Imperioque regendis, adminiſtrandis, ſervandis, cognitum & fidum Tutorem aliquem arbitrio ſuo eligere poſſint. *Quintò* non poteſt prædicta libertas illa, vilis, triobolaris & caſſa,

a] *l. unica ibi jure patrio. Cod. de emendat. propinquorum. l. aut facta. 16. §. cauſa 2. ibi vel parente: π. de pœnis.*
b] *Vlp. in fragm. 10. §. 1. Dionyſius lib. 2. Cicero, 1. de Oratore.*
c] *l. ult. Cod. de patria poteſt. l. in ſuis. 11. in f. π. de liberis & poſthumis: Livius: ubi de P. Horatio.*
d] *l. 1. § per hanc. 2. π. de rei vindicat.*
e] *l. 1. & ſequente. π. de liberis exhibendis & ducendis.*

de Allodialibus tantùm scilicet testandi, non autem de bonis Electoralibus, & de liberorum & subditorum Tutela, Electoribus permitti sine magno Electorum ipsorum ludibrio. Ita fit enim, ut qui pluribus provinciis regendis idoneos vicarios & defensores præficere possunt, ut qui provincias complures regere digni sunt censiti, imò ut qui Cæsares & Imperatores eligere possunt, à proximioribus & senioribus Adgnatis in ordinem intestabilium redigantur.

OBIECTIO DECIMASEPTIMA.

XVII.

SANGVINIS, non hæreditario Iure, Electores suffragium, dignitatem & officium Electuræ possident, ideoque non possunt de his testari?

a] *pag. 10. Compendiosæ demonstrationis.*

b] *pag. 6. a. b. ulterioris Informationis.*

VOCEM (inquiunt [a] Adversarii) *& suffragium, dignitatem & officium Electores non possident jure hæreditario, sed SANGUINIS jure: non proprietate, sed usu ad dies tantùm vitæ concesso, & eo quidem nonnisi ad certos in Aurea Bulla & Declaratione Sigismundi nominatos hæredes, habiles & idoneos transmissibili: ita ut tam successio, quàm Administratio in Electoralibus deferatur non ex ultimo defuncti arbitrio, sed ex Majorum pacto & providentia, consensu Imperatorum & Statuum Imperii, virtute ac beneficio legis, cui privatorum pactionibus derogari nullo modo potest. Paria quippe sunt, aliquid non fieri & malè fieri.* Vel ita [b]. *Liquet ex Aurea Caroli IIII. Bulla, fratrem Electoris aut consanguineum seniorem atque proximiorem, si ita casus ferat, qui in Aurea Bulla describitur, habere exercitium Electorale, id est jus, vocem, dignitatem, & officium eligendi Romanorum Regem in Imperatorem promovendum, cum officio Archidapiferiæ & Vicariatus Imperii, non quà TVTOR est & Administrator ex voluntate defuncti, sed quà FRATER est aut consanguineus senior atq; proximior, atque ita ex IVRE SANGVINIS, quod Testamentario arbitrio non subjacet.*

Non sanguinis tantùm, sed & hæreditario jure, Electores vocem, suffragium, dignitatem & officium Electuræ possident.

RESPONDEBO prædictis omnibus & singulis, & quidem ordine: & singulis sententiis contrarias opponam. Nihil enim prædictorum concedere Adversariis possum.

PRIMÒ. Nullo modo, vel sine distinctione saltem aliquâ concedi potest quod ajunt Adversarii: *Ius, vocem, dignitatem, officium Electuræ ab Electoribus non possideri jure hæreditario, sed sanguinis jure.* Imò ex contrario dici potest, *prædicta jure quoque hæreditario possideri.* Nam licet concedatur, vocem & dignitatem Electoralem sanguinis jure possideri: & Electores prædicta jura, sanguinis jure possidere, ut nisi sanguinis

Electo-

Electoralis fuerint, non possint ullo modo ad illam dignitatem aut vocem admitti: licet etiam concedatur Declaratione Sigismundi ad Tutelam Electoralem *Consanguineum* (id est qui sanguinis ejusdem sit) invitari, & multò magis sanguinis jure ad præmissa jura Electores ipsos vocari: non propterea sequitur, hæreditario aliquo saltem jure ad prædicta jura non admitti. *Primò*: quia hæc duo non repugnant, sanguinis jure scilicet & hæreditario, ad successionem aliquam vocari. Imò *Sanguis*, jus & nomen hæredis vel hæreditarium ab intestato secum trahit. Verbi gratia; ut filius patri, adgnatus adgnato sit hæres eo ipso quòd Consanguineus & ejusdem sanguinis sit. Si filius, igitur & hæres. Sanguinis enim appellatio, connexum [a] & per consequentias, jus hæreditatis (sanguini destinatæ) implexum & necessarium in se continet, à primo scilicet sanguinis authore per medios consanguineos ad novissimos & præsentes decurrens & descendens. Et eo sensu, *SANGVINIS ratione meritum hæreditatis præberi* Papinianus [b] scripsit: & Gajus [c], *Cognatos sanguinis ratione ad hæreditatem vocari*. *Secundò*. Vis veritatis hujus tanta est, ut ab Adversariis hanc sententiam proximo vel sequenti versu, conceptis verbis extorserit. *Ius* (inquiunt) *Electuræ nonnisi ad certos in Aureâ Bullâ & Declaratione Sigismundi nominatos hæredes transmittitur.* *Tertiò*. Caroli IIII. Bulla titulo VII. (sæpiùs ab Adversariis objecto) Principum Electorum primogenitum aut filium seniorem, *Hæredem masculum* vocat. Sigismundi quoque Declaratio, de Electoralibus successionibus ex professo statuens, adgnoscit, Ludovicum (tunc Electorem Palatinum) ad instar Antecessorum, jus, vocem, dignitatem, & potestatem eligendi Romanorum Regem, *ex successione paterna & hæreditaria*, justo titulo tum possedisse. Vult illa jura per successionem *hæreditariam* obtineri: & ad proximiorem *hæredem* & ejus *hæredes* devolvi: denique legitimis masculini sexus *hæredibus* de lumbis (& sic ex sanguine vel jure sanguinis) ejus descendentibus competere. Ex his apparet, verum non esse, quod dicunt Adversarii, jus, officium, vocem & dignitatem Electoralem jure hæreditario non possideri, sed jure tantùm sanguinis.

a] *l. 2. l. 4. π. unde cognati.*

b] *19. Respons. in l. dotem. 16. in f. π. de castrensi peculio.*

c] *l. 2. π. unde cognati.*

NEC OBSTAT, quòd Electorum liberi renunciare hæreditati paternæ, bonis Allodialibus, & aliis possunt, & tamen Electoralia bona retinere. Quia bona Electoralia & bona non Electoralia, non una censeri possunt hæreditas, sed velut hæreditates duæ, notis, conditionibus, privilegiis & qualitatibus suis distinctæ hoc modo. Elector in bonis Allodialibus & Electoralibus parenti suo successit? Vtroque jure di-

cendus est patris sui Electoris hæres esse, nempe & hæreditario & sanguinis iure. Allodialia bona repudiavit, Electoralia retinuit? Allodialium hæres non est. Electoralium tamen hæres esse negandus non est: non tantùm, quia Electoralia illa bona vel iura à Genearcha, liberis Electoratus hæredibus providentia singulari sunt quæsita: sed etiam, quia defunctus ultimus Elector ea restituere Electoratus successori, imò & hæredi fideicommissi iure cogitur, ut ei & in eum (velut in fideicommissarium [a] universalem) dignitas Electoratus, actiones, iura & privilegia transeant omnia. Dixi *successori & hæredi*. Meritò. *Successor* enim Electoratus, *hæredis loco habendus est*: quia defunctus Elector ei totam hæreditatem & successionem Electoralem restituere debet, nullâ etiam Trebellianicâ deductâ vel retentâ. Si quartam aliquam retinere vel deducere posset moriens Elector, hæres nihilominus permaneret: successor autem, legatarii partiarii loco haberetur. At enim, quoniam moriens Elector totam hæreditatem Electoralem restituere proximo tenetur, successor (cui tota hæreditas Electoralis fuit restituta) hæredis [b] loco censeri debet & habendus est. Hinc fit, ut antea dixi, ut in Bullis Imperatoriis, dignitatis Electoralis successores, *Hæredes* vocentur: & Electoratus ipsa dignitas, *Hæreditas* nuncupetur. Ex quibus constat defendi posse, Electoratus non tantum iure sanguinis sed & hæreditario deferri.

a] *l. 1. §. 2. π. ad SC. Trebell. § restituta. 3 § sed quia. 7. Inst. de fideicom. hæred.*

b] *d § restituta. 3. §. seu quia 5. & § 7. Vers. si verò totam ubi Theophilus. Vlpianus in fragmentis Tit. de fideicommissis. 25. §. 14. 15.*

OBIECTIO DECIMAOCTAVA.

XVIII.

VSV, non proprietate, officium &c. Electuræ Electores possident: & quidem ad dies tantùm vitæ concesso?

JVS (inquiunt [c] Adversarii) *officium, vocem, dignitatem Electuræ, Principes Electores*, NON PROPRIETATE, SED VSV *tantum possident, eoq; ad dies tantùm vitæ concesso*.

c] *pag. 10.*

Non usu tantum, sed & proprietate, Ius, officium, Vocem & dignitatem Electuræ ab Electoribus possideri.

Respondeo, & quidem *primò*. Hoc quoque Adversariis concedi non posse: quia hæc iura, vocis, dignitatis, officii &c. si nudum eorum exercitium spectabimus, iura sunt à dominio & proprietate distincta. Verbi gratia, Elector velut proprietarius, non potest Jurium Electoralium proprietatem in alienam familiam vel gentem transscribere: & potest tamen illorum iurium exercitium (puta calatis Imperii totius Comitiis, quibus interesse propter morbum vel sonticam aliquam causam non potest) superstes aliis mandare. Sicuti [d] Prætor mandare potest omnem Jurisdictionem suam, aut speciem eius unam, sic, ut is cui mandata iurisdictio est, fungatur vice eius qui mandavit, non suâ. Non est igitur Elector nudus usuarius, sed aliquid amplius in bonis Electoralibus, quàm

d] *l. solet Prætor. 16. π. de jurisdict.*

simplex

ſimplex uſuarius, habet, qui ſolus [a] uti poteſt. *Secundò*. Aduerſariorum ſententiâ admiſsâ abſurdiſſimum hoc ſequeretur. Enimverò ſi Princeps Elector nudus eſt uſuarius Electuræ, igitur & Tutor, igitur & Adminiſtrator. plus enim juris non habet quàm Elector. Quæro itaque, apud quem vel apud quos Electuræ proprietas tunc erit? Sanè apud nullum, cùm Adverſariorum ſententiâ, nec apud Electorem, nec apud Tutorem vel Adminiſtratorem proprietas eſſe poſſit. Et ſic (quod ſub Sole novum eſt, & miraculum vel prodigium potiùs juri noſtro fuerit) erit (Adverſariorum ſententiâ) uſus Electuræ nudus penes Electorem ſine proprietate, & per conſequens, accidens ſine ſubjecto, referens ſine relato. uſus enim & proprietas relatorum ſpeciem retinent. His itaque tot abſurdis evitandis dicendum eſt, officium Electuræ penes Electorem ætate-majorem non tantùm adminiſtratione & uſu eſſe, ſed & dominio & proprietate. Dominio inquam. Nam hac voce Caroli IV. Bulla utitur titulo XX. ibi: *Præter illum qui Principatum ipſum cum terra, vaſſallagiis, feudis & DOMINIO, ac univerſis pertinentiis dignoſcitur poſſidere*. Et Sigiſmundus Imperator Conſtitutione I. & II. vult, Ludovicum Electorem jus, vocem, dignitatem & poteſtatem eligendi, & officium Archidapiferiæ, cum omnibus & univerſis *Dominiis* [b] *& Proprietatibus* [c] & quibuſcunq; ſpecialibus poſſint vocabulis deſignari. *Tertio*. Cùm dignitas & officium Electoratus ſit Imperii feudum & quidem nobiliſſimum, ſequitur Electorem, feudi Electoralis dominum eſſe, ut ſunt alii vaſſalli feudorum ſuorum domini, aliis vaſſallis oppoſiti. Hoc intuitu, vaſalli ſunt feudorum ſuorum domini directi. Nam intuitu Domini à quo feudum habent vel recognoſcunt, ſtricto vel præfracto jure [d] poſſet dici, eos directos dominos non eſſe, ſed vel fructuarios vel quaſi; vel utiles tantùm & quaſi dominos, utile ſcilicet dominium habere: ut habent Emphyteutæ: qui tamen [e] habent in rebus Emphyteuticis vindicandis & tenendis, in rem actionem non tantum aduerſus quemvis poſſeſſorem, ſed & adverſus ipſos municipes, id eſt eos à quibus vectigalem & Emphyteuticum agrum acceperunt. *Quartò*. Ex eo rurſus apparet, Electores in juribus Electoralibus poſſidendis non eſſe ſimplices uſuarios, & jus Electuræ (quod dicunt Adverſarii) non in uſu, ſed in proprietate conſiſtere: quia uſus, jus [f] eſt perſonale, quod ad hæredem non tranſit, cùm tamen jus Electuræ tranſeat & quidem in infinitum, non tantum ad liberos, ſed ad Adgnatos & Conſanguineos. *Quintò*. Si Elector jurium Electoralium proprietatem cum uſu & uſufructu & pleniſſimâ adminiſtratione non habet, ab Electoratus

a] *l. ſed neq; locabunt. 8. l ſi habitatio. 10. π. de uſu & habitat. §. 1. Inſt. de uſu & habit.*

b] *verſ. 1. & 2. Sigiſmundi cõſtitutionem.*
c] *v. 2. Sigiſmundi conſtitutionem.*

d] *§. 2. Feudorum 23. in f.*

e] *l. 1. §. 1. π. ſi ager vectigalis.*

f] *Inſt. de uſu & habit. in pr.*

Administratore non differet. Et differt tamen, & quidem in multis. quia jus Electuræ (ut nunc diximus) ad hæredem transit: cùm tamen jus Tutelæ vel Administrationis ad hæredem non transeat. Nulla [a] namque Tutela jure hæreditario transit. Tutor & Administrator, quod nomen ipsum satis indicat, non suo sed alieno nomine gerit & administrat. Elector verò suo, non alieno. Elector in Electoratus dignitatem & officium succedit ex pacto & providentia Genearchæ, id est Authoris illius Illustrissimi, à quo sanguinem suum deducit. Administrator verò in legitimam Tutelam succedit, Caroli IIII. Bulla & Sigismundi Declarationibus. Electoris jura sunt ex contractu vel ultima voluntate primi authoris, & sic juris sunt Gentium. Administratoris verò jura sunt Civilia, prædictis scilicet Bullis inducta. Harum itaque personarum jura eum in modum distinguamus. Dignitas & officium Electuræ penes Electorem ipsum ætate Majorem, re & proprietate & administratione consistit: penes Impuberem, re & proprietate, non administratione: penes Tutorem gestione, cura, procuratione & administratione plenissima: penes Consanguineos, quiqui sint, licet proximiores & seniores, nec re, nec administratione, sed spe tantùm & voto: ut ita (quod Jurisconsulti [b] proprium & officium est) & singulis sine injuriâ cujusquam, jura sua bonâ fide tribuamus, nec alterius jura cum alterius damno minuamus, vel per contemptum aliquem, Electorum jura, ut faciunt Adversarii, deprimamus. *Sextò*. Est etiam valde ridiculum dicere, Electores jura Electoralia *usu tantùm, non proprietate* possidere. Quia hoc concesso sequeretur, Electoribus ad instar usuariorum, pomis [c] tantùm, & holeribus, & floribus, & aquâ fundorum Electoralium uti licere, non usque ad compendium, sed ad usum tantùm non abusum: & sic non uti frui, non ipsa prędia locare, non ipsos fructus donare vel etiam vendere. Horum enim nihil usuariis licet. *Septimò*. Sequeretur hoc etiam absurdum, Electoribus (jurium Electoralium tantùm usuariis) aliquem alium vel fructuarium vel dominum [d] proprietatis, plus juris in Electoratu (quàm ipse Elector habeat) obtinentem adjungi, ut usuariis accidit. Vsuarius enim omnis, rei poprietarium alium esse præsupponit: quin interdum fructuarium sibi adjunctum habet. *Nonò*. Est etiam insolens hoc quod Adversarii dicunt, Electorum jura admodum deprimentes, *Electores jura Electoralia usu possidere ad dies tantùm vitæ*, ut hoc modo jus de bonorum Electoralium Tutelâ testandi Electoribus adimant. Sed contrarium tamen, & jus, & ratio, & observantia ipsa testari potest, Electores illo jure testandi, legibus permittentibus, & Imperio universo consentiente, nullove reclamante, usos fuisse.

a] *l. Tutela. 16. § 1. π. de Tutelis. l. 4. π. de legit. Tutor. §. simili modo Inst. quibus modis finitur Tutela.*

b] *l. justitia. 10. §. Iuris præcepta. 1. π. de Institiâ.*

c] *l. plenum. 12. in pr. vers. Sabinus, π. de usu & habit.*

d] *l. inque eo. 11. l. plenum. 12 l. si sta. 16. π. de usu & habit.*

OBIE-

OBIECTIO DECIMANONA.

XIX.

TRANSMISSIBILE non est officium Electuræ, nisi ad certos in Aurea Bulla & Declaratione Sigismundi nominatos, non ad alios?

VOX (inquiunt [a]) *dignitas & officium Electura, non est transmissibile, nisi ad certos in Aureà Bullà & Declaratione Sigismundi nominatos haredes, habiles, & idoneos.*

ESTO. Sed addo, *Habiles illos & idoneos* Illustrium personarum Tutores legitimos, non tantùm ex sanguine, consanguinitate vel adgnatione, sed ex moribus [b], animo & affectu æstimandos esse. Constat autem, & sæpiùs dictum est, Illustrissimum Principem Neoburgicum solemniter testatum, liberam & nullis conditionibus limitatam Electoralem Tutelam sibi deberi, cùm rogatus & monitus à defuncto Electore fuisset, ut nihil in Statu &c. mutaret. Hac testatione seu prætensione plus juris sibi sumere voluit, quàm lex Tutori permittit. Nam licet concederetur, Administratorem usuarium jurium & bonorum Electoralium esse: ad huc tamen ei non liceret, usuariæ rei speciem mutare: cùm ne [c] id quidem proprietario liceat, quamvis in melius commutet. Nam quod contra voluntatem usuarii fit, licet aliis melius sit vel esse possit, ipsi tamen usuario melius non est. His accedat quod superiùs ostendimus ex ipsis Bullis & Constitutionibus Imperatoriis, saltem earum mente, proximiores Consanguineos ex famoso aliquo defectu ad Tutelam Electoralem admittendos non esse: quòd ex famoso tali defectu, liberi & primogeniti Electorum ab Electoratu removeantur: Et defectum famosum ibidem ostendimus esse in Administratore, si Statum Electoralem, maximè contra voluntatem defuncti Electoris, mutare velit. Ob hujusmodi sanè defectum insignem, aptus & commodus ad Tutelam dici non potest. Posset & tertio dici, locum illum Bullarum intelligendum esse de transmissione Tutelæ Electoralis ab intestato: & proinde locum illum testamentariis tutelis Electoralibus nihil detrahere.

a] *pag. 10.*

HABILES & idonei hæredes qui sint intelligendi in Caroli IIII. Bulla & Sigismundi Declaratione.

b] *l. unica. ibi vita. Cod. de Tutor. & Curat. Illustr.*

c] *l. Neratius. 23. ff. de usu & habitat.*

OBIECTIO VICESIMA.

XX.

ADDUNT [d] Adversarii, *tam successionem quàm administrationem in Electoratibus deferri, non ex ultimi defuncti arbitrio, sed ex pacto & providentià Majorum, & optione Imperatorum ac Statuum Imperii, virtute ac beneficio legis.*

d] *pag. 10.*

ADMINISTRATIO [ut & successio] in Electoralibus defertur ex pacto & providentia majorum: ex optione Imperatorum ac Statuum Imperii: ex virtute ac beneficio legis: non ex ultimi defuncti arbitrio?

RESPON-

Quomodo hæc verba intelligenda sint: Successionem & Administrationem in Electoribus deferri non ex ultimi defuncti arbitrio, sed ex pacto & providentia majorum, & optione Imperatorum ac Statuum Imperii, & virtute ac beneficio legis?

RESPONDEO. Hoc simpliciter concedi non posse, sed temperamento distinctionis æquissimo adjecto. Successionem enim proprietatis, jurium, & bonorum Electoralium, deferri sola majorum providentia concedo, ita ut non possit Elector successionem talium bonorum, pro suo arbitrio, in Consanguineorum damnum regulariter mutare. quia Consanguineorum favore, contemplatione & intuitu talis successio inducta est. In Administratione verò bonorum Electoralium, non eandem, imò diversam rationem deprehendo: quia bonorum Electoralium Administratio, non ipsorum Adgnatorum, sed ipsorum liberorum Electoralium gratiâ comparata. Et, ut adhuc Adgnatos Electorales tangeret hæc Tutela sive Administratio: non eos tamen tangit principaliter, sed per consequentias tantùm, ut successio tangit fideicommissarios, quibus die vel conditione existente restitui debet hæreditas, cùm hæredis fideicommissio gravati intersit principaliter. At enim hæc Administratio principaliter & directò personas liberorum Electoralium spectat. Causa namque finalis & præcipua Tutelæ hæc est, ut liberi pupilli adversus omnes à Tutore defendantur. Ideoque principaliter in hujusmodi Administrationibus semper spectandum est pupillorum bonum, commodum, non Adgnatorum. In duobus semper objectis id quod principalius est, vincere alterum, quod minus principale est, debet. Ac proinde cùm in Administrationibus talibus Electoralibus potior causa pupillorum quàm Adgnatorum sit & esse debeat, dicendum est, electionem Administratoris & Tutoris, patribus permittendam esse. Quia potest huic Electioni sufficere & prospicere meliùs pater quàm lex vel constitutio: Quia liberorum ipsorum interest principaliter, Adgnatorum verò secundariò tantùm. Ne [a] alioqui Administrationes & Tutelas (quæ favore pupillorum & minorum Electoralium salubriter sunt inductæ) contra legum, Bullarum & constitutionum Imperatoriarum mentem, & contra omnem juris & æquitatis rationem, duriore interpretatione ad læsionem minorum, contra [b] ipsorum commodum ad severitatem perducamus. Causis dicendi vel statuendi fideliter ita distinctis ac separatis, veram Bullarum illarum & Declarationum mentem adsequemur. *Intelligentia* quippe (ut Hilarius [c] ait) *dictorum, ex causis est adsumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei sermo est subjectus.*

a] *arg. l. quod favore. 6. Cod. de legib. fact. l. 19. Cod. de fide instr.*

b] *l. nulla juris ratio. 25. ff. de legibus.*

c] *lib. 4. de Trinitate. refertur & Gelasio- ne 1 Tit. d. V. S. c. 5. & intelligentia. 6. extra de V. S.*

OBIE-

OBIECTIO VICESIMA-PRIMA.

XXI.

CONTRA statuta, providentiam & provisionem Maiorum, Imperatorum & Statuum Imperii, nihil disponi potest?

AIVNT [a] etiam Adversarii, *Contra pacta, providentiam & provisionem Maiorum, Imperatorum & Statuum Imperii, legisque provisionem necessariam, privatorum dispositione derogari nullo modo posse.*

a] *p. 10. versiculo. sed ex pacto.*

TESTAMENTARIA Tutela Electoralis non est contra Maiorum, Imperatorum & Statuum Imperii statuta.

RESPONDEO. Nihil adversus illa pacta à defuncto Electore dispositum. Nullum quippe pactum vel statutum proferri potest, quo specialiter & nominatim, vel tacitè, Electoribus sit adempta de Tutelâ liberorum testandi potestas.

OBIECTIO VICESIMA-SECVNDA.

XXII.

IMPERATIVIS verbis, non simplicibus, Bulla vocat proximiorem & seniorem Adgnatum ad Tutelam & Administrationem Electoratus?

SIGISMVNDI *Bulla* (inquiunt [b] Adversarii) *ad Tutelam vel Administrationem in Electoratu Palatino vocat fratrem, nepotem, consanguineum seniorem & proximiorem non simpliciter, sed verbis* IMPERATIVIS. *Ait enim: de Iure Tutor esse debeat & Curator: quae verba necessitatem important inevitabilem, & omnem hominum conventionem excludunt.*

b] *p. 11. Vers. Cùm igitur Sigismundi Bulla.*

IMPERATIVIS licet verbis proximior & senior Consanguineus ad Tutelam Electoralem vocetur, non tamē Testamentarios Tutores excludit: & quae vis Imperativorum verborum sit.

RESPONDEO. Imperativis etiam verbis lex XII. Tabularum, de Curatoribus Adgnatorum loquens, utitur: *Si furiosus* [c] *est, Adgnatorum gentiliumque in eo pecuniaque eius potestas esto.* Sed hac missâ & apertiore prolata, (quia verba illa, *potestas esto*, forte possent alicui videri [d] necessitatem non imponere) lex alia Civilis XII. Tabularum verbis Imperativis in Tutelis legitimis deferendis, utitur hoc modo: *Si* [e] *plures sint Adgnati, proximus familiam nanciscitur.* (vel ut Cuiacius [f] legit, *Nancitor.* hoc enim verbum *Nancitor* ad leges XII. Tabularum Festus [g] refert.) His tamen & similibus verbis Imperativis lex utens, necessitatem inevitabilem nunquam importat, nec patrifamiliâs de Tutelis & Curationibus testamento disponendi potestatem unquam abstulit. *Secundò.* Verbum illud *Debeat* non adeò necessitatem inevitabilem importat, quin aliquando in Iure su-

c] *Cicero 2. de Inventione & ad Herenniū. Vlp. in fragm. Tit. 12. § 3.*

d] *arg. l. generaliter 9. π. de off. Praesid.*

e] *l. 9. π. de legit. Tut.*

f] *10. Obs. 11.*

g] *in verbo, Nancitor.*

M

matur [a] pro *poteſt* vel *expedit*: ut illis caſibus neceſſitatem non imponat inevitabilem, ſed liberum arbitrium permittat. *Tertiò.* Poteſt dici, hodie non adeò differre verba Imperativa [b] ab aliis: partim quia verba Imperativa, id eſt directa, à precariis & inflexis hodie nó differunt in legatis & fideicommiſſis: & hodie [c] omne verbum ſignificans legitimum teſtatoris ſenſum utile eſt & validum: & argumentum ab ultimis voluntatibus in hoc maximè articulo ſumi poteſt (quæ nihil aliud ſunt, quàm leges quædam privatæ à Teſtatoribus, hæredibus & ſimilibus latæ: quod etiam Iuſtiniani verba ſatis demonſtrant illo [d] loco, *Diſſonat teſtator, & erit lex*): partim etiam, quia in judiciis verborum formulæ ſunt ſublatæ [e]: partim quòd [f] in legibus ſufficit legiſlatori aliquid quomodocunque prohibuiſſe vel mandaſſe. *Quartò* dici poteſt, ambiguitatem maximam latere in Adverſariorum verbis. Nam ſi dixerint, his Imperativis Sigiſmundi verbis, *Tutor & Adminiſtrator eſſe debeat*, neceſſitatem præciſam & abſolutam induci, ut ſcilicet proximus Adgnatus ita Tutor eſſe debeat, ut Teſtamentarium excludat, hoc utique negari conſtanter & verè poterit. Sin verò dixerint prædictis verbis neceſſitatem cauſalem & conditionalem (ut Interpretes loquuntur), admitti poterit, hoc ſenſu: Adgnatus Electoralis proximior & ſenior ad Electoralem Tutelam & Adminiſtrationem non præciſâ vel abſolutâ neceſſitate (id eſt, ut excludat teſtamentarium Tutorem) vocatur, ſed cauſativè tantùm & conditionaliter, ſi videlicet & quotieſcunque teſtamentarius defecerit. Et ita prædicta ſententia Sigiſmundi huic Tutelæ teſtamentariæ non oberit. Nec miretur aliquis duplicem neceſſitatem me feciſſe, præciſam ſeu abſolutam, & cauſativam ſeu conditionalem. nam & noſtri [g] duplicem ita ſtatuunt.

a] *l. obſervare 4 in f. ubi Gloſſa in verbo debet. π. de officio Proconſulis. l. qui interrogatus 5. ubi Gloſſa in verbo debet. π. de Interrogat. Accurſius in l. qui bonâ fide 13. § de illa 6. in verbo poſſit. π. de damno infecto.*

b] *Ulpian. in fragm. Tit. de legat § 1.*

c] *l. omne verbum 2. C. communia de legat.*

d] *Novella 22. c. 1. verſ. Diſſonat.*

e] *C. de formulis.*

f] *l. non dubium 5. ibi licet legiſlator. C. de legibus.*

g] *Gloſſ. in l. ultima in verbis ex neceſſitate. π. de ſeparat. Bartol in Extravagant. quomodo in læſa majeſt. crim. procedatur. in verbo videbitur. Bartol in l. 1. C. quomodo & quādo judex. l. res quæ pignori 27 π. familia. l. in eadem 10. π. ex quibus cauſ. maiores. l. pecunia. π. de alimentis. Corſetus ſingulari 172. in verbo Neceſſitas. Menochius 2. de Arbitr. 182. n. 19.*

OBIECTIO VICESIMA-TERTIA.

VASALLVS

VASALLVS (inquiunt [a] Adversarii) *succedendi ordinem in feudis [b] mutare non potest. Ergo nec Elector de dignitate Electorali testari potest.* Vel ita [c]: *Feudali jure omnis testandi facultas Vasallis interdicta est. Ergo & Electoribus, qui jus, vocem, dignitatem & officium eligendi Romanorum regem, una cum Principatibus & aliis Iuribus Electoralibus non nisi Titulo Feudali possident, eaque non antea ad filios transmittunt, quàm XVIII. ætatis annum compleverint &c.*

b] *c. 1. de success. feudi ibi, nulla ordinatione defuncti in feudo manente vel valente.*

RESPONDEO, vitia quàmplurima hîc extare. *Primum* vitium est, quòd Adversarii loquuntur de jure succedendi in feudorum proprietate. Ius illud sanè vasallum mutare testamento non posse, concedimus. Adgnatis enim noceret, quibus feudum suâ die destinatum restituere debet. At nullus inde colliget, vasallum in bonis etiam feudalibus Adgnationi, genti, familiæque destinatis, devotis, Tutorem liberis suis eligere non posse: quia liberis bonum & fidum Tutorem eligendo vel dando, Adgnatis non nocere, imò prodesse potius existimandus est: ut eo casu, si velint Adgnati conqueri, sine invidia non possint. A separatis itaque & toto genere diversis categoriis vel terminis Adversariorum argumentum illud non concludit. Nam cùm dicunt, *vasallum non posse de feudo testari*, proprietatem feudi, & sic substantiam aliquam, vel corpus, vel jus aliquod denotant. Cùm verò colligunt ex eo, de Tutela & Administratione feudi disponere vasallum non posse, qualitatem & accidens ipsi substantiæ cohærens demonstrant: & sic à substantia ad qualitatem hoc est ad Curam vel Tutelam & Administrationem feudi transeunt. *Secundò*, tantum abest, ut hoc verum sit, quod Adversarii statuunt, ut ex contrario omnes omninò Feudalium consuetudinum interpretes adserant, *Patremfamiliâs non minùs de bonorum Feudalium quam Allodialium Tutela & Administratione testamento disponere posse*: denique non tantum in allodialibus (quæ proprio jure possidet) sed & in feudalibus, quorum directus non est dominus, Tutorem liberis suis eligere: partim, quòd hoc jure Feudali nominatim mutatum non sit, & propterea ex Communi Iure decidendum: partim, quòd nulla possit diversitatis ratio inter allodialia & feudalia bona, iusta vel probabilis adferri, ut Adsertione vel Ratione sexta superiùs probavimus. Et ita argumentum ducere à Vasallo, de proprietate feudi testari prohibito, &

XXIII.

VASALLVS testari non potest de successione feudi: ergo nec de Tutela bonorum Electoralium, Elector testari potest?

a] *p. 11. Compendiosæ demonstrationis.*

c] *p. 5. 6. Vlterioris Informationis.*

SED VITIOSA est hæc collectio.

adgnatis nocere volente, ad eundem liberis Tutorem in feudalibus bonis utiliter & necessariò eligentem, à receptis feudorum sententiis recedere est.

XXIIII.

Coniunx de lucris statutariis vel pactitiis alii adplicandis testari non potest; ergo nec de Tutela bonorum Electoralium, Elector disponere?

OBIECTIO VICESIMAQUARTA.

Maritus (inquiunt [a] Adversarii) *vel uxor de lucris statutariis, vel si ex pacto vel consuetudine aliis applicantur, eodem argumento testari nequeunt* [b].

a] *p 11.* b] *Franciscus Vivius decis. 145. Radens. consilio 1. n 29. & consil. 2. n. 528.*

Sed vitiosa quoq; est hæc collectio.

Respondeo, & quidem *primò*: diversa jura rursus hîc comparari nô rectè. Loquuntur enim Adversarii de lucris coniugi lege quæsitis. At cùm de Tutelâ vel Administratione aliquâ loquimur, non de lucris sed de oneribus loquimur: quia Tutela lucrum non est, nec esse debet, (nisi forte parenti, quibusdam statutis, Tutela defertur) sed onus & quidem maximum: unde & Tutelæ *onera* [c] jure nostro dicuntur. Lucra nuptialia, de quibus loquuntur Adversarii, libenter adfectant illi, quibus talia lucra quæsita sunt & destinata. Tutelam autem, Deum [d] etiam timentes, aversantur & refugiunt, & ab illis se, modis omnibus, excusant, nec ad Tutelas veniunt, sicuti sponsi vel conjuges ad epulas, vel mercatores ad nundinas. Imò, cùm Bullæ Imperatorum proximũ & seniorem Adgnatum de jure Tutorem, Curatorem & Administratorem esse volunt, rem ipsam pupillorum minorum, non suam, non propriam eum gerere, & sic non ad lucrum venire, sed onus subire jubent. *Secundo*. Esto: & coniunx (verbi gratia, maritus), de pprietate lucrorum nuptialium testari non possit; de lucrorum tamen talium custodiâ, Curâ, Tutelâ & Administratione eum testari non posse pernegamus. Finge, cIɔ. solidos per mortem uxoris statuto civitatis tuæ, vel pacto, (id est, quia ita convenit) lucratus es? Non potes [e] regulariter de proprietate illius lucri (nempe de solidis illis cIɔ.) testari vel disponere: & tamen de Custodiâ, Curâ, Tutelâ, & Administratione illius lucri testari potes, si liberi tui communes, adhuc impuberes vel minores fuerint. Quia, quemadmodum lex loquens de lucris huiusmodi, vetat patrem talia lucra nuptialia alienare vel obligare suo nomine: ita patri concedit [f], *negotia* liberorum utiliter administrare: ut exinde constet, patri permitti, Tutorem & Curatorem lucris illis administrandis eligere. Quinimò, si (ut notat Accursius ad illam legem [g]) pater potest etiam inu-

c] *l tria onera 3. l. tria onera. 5. ff. de excusat. tut. § item tria. 5. Inst. de excusat*
d] *Novella. 72 c. 6.*

e] *l generaliter 5. l hac edictali. 6. Auth. hæres. Auth. uxore. Auth. si tamen. Cod. de secund. nuptiis. Novell. 22. & 98. & 127. c. 5. Auth. præterea. Cod. unde Vir & uxor.*
f] *l. generaliter. 5 in pr verf. alienandi: verf negotia verò liberorum. Cod. de secund. Nupt.*

f] *in Verbo utiliter.*

iam inutiliter talia lucra administrare (quòd [a] lex erubescat liberos genitoribus castigatores statuere): quantò magis patri permittendum fuerit, de lucrorum illorum custodiâ, & quidem ut inter vivos, ita testamento disponere?

a] *Novella 22.*

OBIECTIO VICESIMA-QVINTA.

XXV.

REX NON POTEST de Regno testari: Ergo nec Elector de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium Tutela?

REX (inquiunt [b] Adversarii) *non [c] potest testari de regno, quod ex provisione legis restitui debet sanguini regiæ Coronæ. Multò minus inferiori concedendum est, ut in perniciem Adgnatorum (quibus ius est quæsitum) testamento quid moliatur, ne quidem permissu Imperatoris.*

b] *p. 11.*
c] *Randus Consil. 1. 2. & 2. n. 128.*

RESPONDEBO singulis, ordine suo, & paralogismos complures hîc esse demonstrabo. *Primò.* Cùm dicunt Adversarii, *Regem non posse de regno, quod provisione legis restitui debet, testari*, concedi, si de Regni proprietate loquantur, poterit: negari verò, si de liberorum Regiorum Tutela, vel etiam Regni Regentia vel Administratione tractabitur. Quia, quemadmodum antea probavimus, proprietatem Regni alicuius ab eius Administratione toto genere differre: ita quoque de Tutela Regia, multis in Regnis Europæ, testamento disponere Regibus licere, ostendimus. *Secundò.* Non sequitur: *Reges non possunt de liberorum & Regni sui Tutela disponere: Ergo nec Electores, qui* (ut innuunt Adversarij) *Regibus inferiores sunt.* Primò, quia licet Principes Electores, nomine & appellatione non sint Reges, in suis tamen Electoratibus, Regalia iura habent, & iuribus Regiis utuntur. Secundò. Electorum celsitudine & dignitate, post Imperatoriam & Regiam majestatem (ut loquuntur [d] Adversarij) nulla maior est: & sic immediatè post Imperatores & Reges collocantur: ut ita Adversariorum tacitâ confessione non multum differant. Nam quod immediatum est, parum distat: & quod [e] parum distat, nihil distare intelligitur. *Tertiò.* Licet concedatur, *Reges non posse de liberorum suorum & Regni sui Tutela disponere*: non tamen consequens est, Electores ne id quidem posse. Periculum enim majus in Regnorum Tutelis subesse videtur, quòd de pluribus ibi salute agatur. *Quartò.* Non sequitur quòd Adversarij dicunt: *Elector de liberorum suorum Tutela disponit: igitur & in perniciem Adgnatorum quibus ius est, disponit*: partim, quia disponens Elector de liberorum suorum tantùm Tutela, ius succedendi suis Adgnatis non

SED hæc quoque vitio sa collectio est.

ARGVMENTVM hoc an valeat: Rex hoc non potest: Ergo nec Elector.

ELECTORES Regiis iuribus utuntur.

d] *p. 12.*

e] *Inst. de lege Falcidia in pr. & licet causam. §. quanquam in verbo nullo vel modico. Extra de probat.*

ELECTOR de Tutela liberorum disponens, non præsumitur in perniciem Adgnatorum testari.

adimit vel detrahit, & Adgnatis ita non nocet: partim, quia principaliter id non facit, ut proximioribus & senioribus Adgnatis noceat, sed ut liberis suis principaliter prosit, quos Adgnatis præponere lex Imperii nulla prohibet. Imò si non expresse, saltem tacitè lex omnis id parenti permittit & indulget. Et in [a] omni actu spectandum est, quod principaliter agitur, non quod incidenter. Et rursus, possum in meo aliquid facere quod mihi utile est, licet alij nocere possit: quia [b] non per injuriam hoc feci: sed tueri me volui, cùm alias non possem: si modo id iure meo fecero. Et postremò, publico [c] iure utens, non videtur hoc iniuriæ faciendæ animo facere. Nam (ut vulgo dicitur) Iuris exercitium non habet iniuriam. *Quintò*. Concedi etiam non potest quod dicunt Adversarij, *Electorem de liberorum suorum Tutela disponentem, ius quæsitum proximis Adgnatis tollere*. Quia, velut antea diximus, proximioribus & senioribus Adgnatis ius Tutelę sacris Imperij legibus non est quæsitum, nisi testamentariis Tutoribus deficientibus: nec spem illam proximiores licet & seniores Adgnati pro re vel pecunia præsenti ducere debent, sed spei, diei, & conditionis eventum patienter sufferre. Contendo itaque, Electorem de liberorum suorum Tutela disponentem, non de jure alieno, sed de suo & proprio disponere, nec ius aliquod proximis quæsitum tollere.

a] *l. si quis nec causam 4. l. rogasti 11. π. si certum petetur.*
b] *l. 49. in fin. π. ad l. Aquil. l. 7 § 4. π. quod vi aut clam. l. 3. §. penult. π. de iureiur. Menochius 6. præsumpt. 29.*
c] *l. iniuriarum actio 13. §. 1. π. de iniuriis.*

ELECTOR disponens de liberorum Tutela, ius nullum Adgnatis quæsitum adimit.

d] *p. 11.*
e] *Crauetta Consil. 671.*

XXVI.

OBIECTIO VICESIMA SEXTA.

ELECTOR permissu etiam Imperatoris de liberorum suorum Tutela testari in proximiorum Adgnatorum præiudicium non potest?

SED hoc negatur vel explicatur.

ELECTOR (inquiunt [d] Adversarij) *non potest de liberorum suorum Tutela testari in proximiorum Adgnatorum praiudicium, ne quidem* [e] *permissu Imperatoris*.

RESPONDEO. Eadem igitur opera non potest nec potuit vel Caroli IIII. Bulla vel Sigismundi Declaratio in Electorum & Electoralium liberorum præiudicium, pro Adgnatis Electoralibus Tutelam Electoralem petentib. aliquid statuere, nec iuri liberis Electoralibus ab initio quæsito derogare. Nam si lex Imperij tueri Adgnatos in suis iuribus debet, non minus sanè, imò multò magis liberos Electorum & Electores ipsos: ut nec testamento prospiciendi liberis facultatem patribus adimat, nec innocentes & favorabiles liberi in eam potestatem veniant, quæ ipsis metuenda sit. *Secundò* potest dici, permissu Imperatoris Electores de liberorum Tutela &c. rectè testari posse, si publica & speciali Bulla eam potestatem eis Imperatores non ademerunt, & mul-

& multo magis, si consentientientibus proximioribus Adgnatis Imperator Bullas & Declarationes aliquas ediderit, quæ proximiorem Adgnatum de Iure Tutorem esse disposuerint, & sic legitimum tantùm Tutorem, & consequenter post testamentarium admitti voluerint. Hoc enim casu Elector de liberorum Tutela disponens, nullam proximiori & seniori Consanguineo iniuriam facit. Quia nec ipse quondam Elector nec Imperator plus concedere proximiori Adgnato voluit: nec plus etiam proximior Adgnatus sibi stipulatus est: ut in dubio contra eum facienda sit interpretatio, qui legem apertius non dixerit contractui. *Tertiò*. Quorsum prædicta proferantur ab Adversariis, nondum intelligo: nisi fortè metuunt, ne Imperator Testamentariam hanc Tutelam (totius rei æquitate meliùs cognitâ) Rescripto suo vel Decreto confirmet: ut quod hactenus pro testamentaria Ludovici Electoris Tutela adversus Principem Casimirum decrevit, hoc & hodie in hac causa vel controversia faciat & decernat.

OBJECTJO VJCESJMA SEPTIMA.

XXVII. HABENTI Tutorem ex Bullis Caroli IIII. & Sigismundi, Tutor dari non potest etiam patris Testamento?

HABENTI *Tutorem* (inquiunt Adversarij) *Tutor dandus non* [a] *est: & si datus fuerit, datio inutilis fuerit, etiamsi Decretum Magistratus accedat &c. Atqui primogenitus Electoris defuncti Ill. Neoburgicum Bullis Caroli IIII. & Sigismundi Tutorem legitimum habet. Igitur defunctus Elector primogenito suo Tutorem testamento dare (etiam Rescripto Imperiali accedente) non potuit.*

a] *l. cùm habenti 9. Cod. qui petant Tut, l. unic. vers. quod tamen Cod. de Tutor. & Curat. Ill. l. 9. Cod. qui dare Tutores. l. 4. Cod. in quibus causis tutorem habenti. l. 27. π. de Administr. Tutor. l. 13. § 5. π. de excusat. tut. § 5. Inst. de Curatoribus.*

SED hoc negatur & exponitur.

RESPONDEO, & argumentum Adversariorum ita converto: *Habenti Tutorem Tutor dandus non est*. Sed Bullis Imperatoriis permittentibus, ex defuncti Electoris dispositione, eius liberi Tutorem testamentarium habent. Igitur Adgnatus, licet proximior & senior, legitimam Tutelam prætendere vel adserere sibi non [b] potest. *Secundò*. Vulgatum & Brocardicum illud, *Habenti Tutorem Tutor dari non potest*, tutum interdum non est, sed admodum lubricum & fragile. Nam licet Tutorem habenti Tutor dari non possit, dari tamen Curator potest, si [c] Legitimus non sit idoneus: verbi gratia, si statum pupilli mutare velit. *Tertiò*. Cùm Tutor (qua-

b] *l. intestato 8. π. de legitim.*

c] *l. soles. 13. π. de Tutel § interdum. 5. Inst. de Curatoribus.*

a] § suspectus 5. vers. sed & ante. Inst. de suspectis Tutor.

(qualiscunque sit, & legitimus licet) possit etiam, antequam [a] incipiat gerere, quasi suspectus removeri: & id Iulianus scripserit, & secundùm eum constitutum fuerit: meritò sanè & hoc casu, in locum eius, quem parùm aptum & commodum liberis pater viderit, alium Curatorem vel Tutorem vel Administratorē eligere poterit: ne liberi minores ætate, vel subditi (fauore dignissimi) sine Curatore vel Administratore agant vel morentur. *Quartò*. Si quoties suspectus aliquis postulatur, & quoad cognitio suspecti finiatur, suspecto interdicitur & interdicenda est administratio, ut Papiniano visum [b] est: sanè dicendum est, Electori defuncto licuisse hanc cognitionem testamento suo prævertere, & vel ipsis principiis & initiis occurrere. *Quintò*. Licet [c] Tutorem habenti Tutor dari non possit: certis tamen ex causis idoneus alius substitui sententia competentis Iudicis solet in locum suspecti. Igitur defunctus Elector reprehendendus non est, quòd Iurisdictionem & merum Imperium habens, suspecti cognitioni occurrerit. Huic itaque causæ Regula (*Tutorem habenti, Tutor dandus non est, etiamsi decretum Imperatoris accedat*) ab Adversariis huic Testamentariæ Tutelæ obiecta non nocet. Quia, quoties periculum minoribus à legitimo Tutore imminet, Magistratuum partes sunt providere, ne minores in periculo versentur.

b] § *si quis autem 7. Inst. de suspectis: l. 7. Cod. eod.*

c] *l. licet 4. Cod. in quibus causis Tutorem habenti. adde l. ult. § 10. Cod. de curat. furios. & passim Cod. de susp. tutorib.*

OBJECTIO VICESIMA-OCTAVA.

XXVIII.

SI potest Elector pro suo arbitrio Tutorem liberis dare: ergo poterit PLVRES dare?

SI (inquiunt [d] Adversarij) *in potestate Electorum esset positum, pro suo arbitrio (vocatis per Auream Bullam neglectis) constituere Administratorem, sequeretur in illorum potestate futurum etiam, ut pluribus vocem, dignitatem & officium Electura conferre possent. At his manifestè repugnat Bulla Aurea, quæ uni soli ex familiâ Electorali, jus illud Electorale &c. deferendum statuit.*

d] *p. 11.*

SED vitiosa est hæc collectio. Et quomodo sit illud intelligendum: Vni & soli ex familia Electorali ius Tutelæ deferendum esse.

RESPONDEO. Primùm omnium concedo, Bullis illis Imperatoriis (Caroli IIII. & Sigismundi) fratri, nepoti, consanguineo uni, & soli, & proximo, & Laico, prædicta jura Adminstrationis Electoratus deferri. Sed temperamentum hoc addo: Ab intestato tantùm Tutelam illam Electoralem deferri. Quia Principes illi duo, Testamenti factionem Electoribus (quos velut Creatores [e] suos semper venerati sunt) adimere nunquam voluerunt, sed eorum tantùm mentem, voluntatem & dispositionem ab intestato supplevere. Nec supplementum illud (unius scilicet

e] *Vide Bullam Sigismundi in principio: & quæ diximus superius obiectione decima.*

ſcilicet atque alterius vocis) præter, extra, vel contra leges ipſas & Bullas Imperatorias eſt: ſed potiùs Bullis prædictis comprehenditur & continetur: quòd ex Sigiſmundi Bullâ proximior & ſenior Conſanguineus, *Iure* & ſic lege, id eſt Legitimus vel ab inteſtato Tutor eſſe jubeatur. Imò, licet illa duo verba in Sigiſmundi Declaratione prætermiſſa per negligentiam aliquam fuiſſ[illegible] ſuplenda tamen ex æquo & bono eſſent: quia proximior omnis & ſenior Adgnatus ad Tutelam Adgnati jure aliquo vel lege aliqua vocatus, legitimus Tutor nuncupandus eſt: quia nullum aliud in jure nomen obtinet vel habet. *Secundò*. Abſurdum non fuerit dici, plures Tutores ab Electore teſtamento dari poſſe: cùm & alii Palatini Electores olim vel etiam nuper (quod ex Ludovici Electoris teſtamento notiſſimum eſt) plures etiam Tutores liberis ſuis teſtamento dederint, ſic tamen ut unus ſemper præcipuus ſit.

OBIECTIO VICESIMANONA.

XXIX.

a] *pag. 11.*

SI permiſſa eſt Electori poteſtas libera de liberorum Tutela diſponendi, igitur & EXTRANEVM Tutorem liberis dare poterit?

SED vitioſa quoq; hæc collectio eſt: & an hoc ſit Electoribus prohibitum? adde & huic objectioni, objectionem 35. infra.

AT (inquiunt [a] Adverſarii) *Si patris Electoris eſſet pro ſuo arbitrio (vocatis ex Aureâ Bullâ neglectis) Tutorem conſtituere, ſequeretur in illorum poteſtate eſſe etiam EXTRANEIS vocem & dignitatem & officium Electuræ conferre. Atqui Bulla vult, Fratri, Nepoti, Conſanguineo Tutelam Electoralem deferri. Igitur non extraneo.*

RESPONDEO. Nihil ad præſentem controverſiam facit hæc objectio. Non enim ſequitur: Electoribus eſt integrum pro ſuo arbitrio Adminiſtratores Electoratus conſtituere: Igitur & extraneos Adminiſtratores eligere. Quia defunctus Elector Fridericus IIII. hunc ſcopulum defugiens, Adminiſtratorem unicum elegit: & quidem non extraneum, ſed Gentilem & Adgnatum, modis omnibus, fide, probitate & integritate cognitum & perſpectum. Nec obſtat, quòd alios quoſdam Contutores dictus Fridericus IIII. Elector ei adjunxerit. Quia Contutores illi ſunt tantùm honorarii & ſubadjuvæ illius Principalis & unici Adminiſtratoris: qui nihil juri principalis Adminiſtratoris detrahunt, ſed ſplendorem potius & fulgorem addunt aliquem vel majorem: qui conſiliis & re plurimùm ei proſunt, & prodeſſe poſſunt. Poteſt & hoc adjici, quòd non ita pridem LUDOVICUS Elector (pater FRIDERICI IIII. nuper defuncti) Duci

N Johanni

Johanni Casimiro fratri, Tutores extraneos adjunxit: quos & Cæsar ipse & suprema Spirensis Curia non rejecit, non removit, sed juri rem permisit.

XXX. OBIECTIO TRICESIMA.

a] *pag. 11.*

SI permittitur Electori libera facultas liberis Tutorem dandi: Igitur & Ecclesiasticam personam huic rei Elector præficere poterit?

PERMISSA (inquiunt [a] Adversarii) *Electoribus de Tutelâ testandi potestate, futurum est etiam, ut* ECCLESIASTICIS *Tutelam Electoralem deferre possint Electores. quod tamen Bullis repugnat.*

SED vitiosa est Collectio Adversariorum: & an hoc sit prorsus prohibitum?

RESPONDEO. Consequentia prædicta non est admittenda. Quia (ut in Scholis loquuntur) in omni dipositione vel sermone generali, personæ capaces & habiles [b] semper præsupponendæ sunt. Ac proinde licet patrifamiliâs permittatur, pro suo arbitrio Tutorem liberis suis eligere: non ex eo tamen sequitur, ut possit incapacem, vel inhabilem, vel non idoneum, vel legibus remotum dare. Quia tales sententiæ cum prædicto temperamento semper intelligendæ sunt; ut scilicet [c] paterfamiliâs eum det Tutorem, quem lex dari non vetuit. *Secundò*. Quia in Palatina familiâ quædam sunt exempla, ex quibus apparet, etiam personis Ecclesiasticis Tutelas Electorales commissas fuisse, ut antea probavimus: ut ita Adversariorum Objectio in Tutelis ab intestato concedi possit: in testamentariis, si ita videbitur, negari.

b] *l. Tutor pupilli. 35. §. 1. in fin. ibi quam qui ad hac habiles sunt. π. de jurejur. l. ut gradatim 11. §. 1 ibi si idonei sunt, π. de muneribus. §. ult. in fin. π. de suspectis Tutor. Gloss. in l. promittendo. 41. in verbo conditionib. ibi, dùm tamen legitima ætatis, π. de jure dotium. & in l. 1. in verbo transgressus. Cod. de sacros. in l ult. verbo omnes. Cod. sine censu vel reliquis. Tutel.*

c] *Inst. qui Testam. Tutores dari. l. certarum. 12. l. Tutor 20. l seq. π. de Testam.*

XXXI. OBJECTIO TRICESIMA-PRIMA.

d] *pag. 12.*

LEX fundamentalis Imperii est, ut proximior & senior Electoralis Adgnatus, Electoratus sit Tutor, & quidem unicus & solus?

LEX (inquiunt [d] Adversarii) *Imperii FVNDAMENTALIS est, ut uni, soli, ex familiâ Electorali, seniori & proximiori, Laico, jus, vox, dignitas & officium Electuræ perpetuò & inviolabiliter deferatur: quæ citra Statuum eversionem mutari pactis vel dispositione privatorum non potest.*

MALE: & quomodo hoc intelligendum sit: & an sit lex hujusmodi FVNDAMENTALIS Imperii?

RESPONSIO. Lex illa, ut uni soli ex familiâ Electorali, Tutela Electoratus committatur, concedi ab intestato potest: testamento verò facto, negari sine cujusquam injuriâ. Quia paterfamiliâs etiam plures Tutores liberis dare potest. Ideoque quòd unus & solus proximior Adgnatus

Adgnatus, Electoratus Tutor & Administrator Caroli IIII. Bullâ vel Sigismundi Declaratione sit vocatus, præter jus commune, constitutum est. Nam, nisi lex illa specialis extaret, plures Adgnati gradus ejusdem pariter ad eandem Tutelam Civili Jure [a] pervenirent & admittendi essent. *Secundò*. Esto: nec possint testamento plures Tutores, Electores potestate pares dari: Negatur tamen, legem illam (*ut scilicet proximior & senior Adgnatus Electoralis, testamentario Tutori præferatur*) Imperii fundamentum esse. Quia sine illa lege Imperium æquè stare potest, ut & hodie stat, reliquis Imperii civibus & Principibus de liberorum & subditorum Tutelâ testandi potestate & facultate permissâ. Et quidni stare Imperium sine tali lege posset, cùm & ante hujusmodi legem firmiter ac rectè steterit? Cùm hæc ita sint, fundamentum Imperii lex dici non potest: quia fundamentum vel substantia dici non debet, quod adesse vel abesse sine subjecti sui corruptione potest. *Tertiò*. Quod addunt Adversarii, *Legem Imperii fundamentalem privatorum pactis vel dispositionibus mutari non posse privatorum pacto*, Friderici IIII. piæ memoriæ Electoris personam his verbis utrùm intelligant, viderint ipsi Adversarii: & pactum aliquod ejus proferant, quo probetur, eum legem Imperii fundamentalem mutasse. *Quartò*. Nocet etiam ad aliquid Adversariis prædicta sententia. Nam si *privatorum* (id est Electorum: hoc enim verbo Principes Electores intelligere videntur) pactis vel dispositione lex Imperii fundamentalis (de Tutelis scilicet Electoralibus) mutari non potest: sequitur ex eo, nec Caroli IIII. Bulla nec Sigismundi Declaratione liberam & antiquissimam de liberorum &c. Tutelâ testandi potestatem adimi ullo modo potuisse: ut ejusdem potestatis replicatio, adversariorum exceptioni, possit per Electores & Administratores ab eis testamento datos, opponi. ac præterea res quæque facile [b] ad naturam suam revertitur.

a] *l. 9. π. de legitim. Tut: §. ult. Inst. de capit. diminut.*

b] *l. si unus. 27. in f. π. de pactis.*

OBIECTIO TRICESIMA-SECVNDA.

XXXII.

ALIA (inquiunt [c] Adversarii) *privatorum patrumfamiliâs quàm Electorum causa est. Nam, ut verba Aureæ Bullæ habent* [d], *ubi majus incumbit periculum, ibi majus remedium debet adhiberi: ne columnis ruentibus, basis totius ædificii collidatur.*

c] *pag. 12.*
d] *Tit. 12.*

Magnum vel maximum periculum est in Electorum liberis & bonis regendis: Igitur Elector de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium tutela disponere non potest, & lex Imperii jus testandi eis ademit, & Adgnatis Tutelam commisit?

N 2 RESPON-

SED vitiosa est hæc quoque Adversariorum argumentatio.

Respondeo. Agnosco Bullæ verba, & quidem ex Civili Jure nostro [a] in Canonicum [b] à Pontificibus translata, hæc scilicet: *ubi periculum majus, &c.* Sed *primùm* addo, paradoxon & petitionem principii esse, putare *Electoribus hanc potestatem de Tutelâ testandi ademptam esse, ut status Electoralis vel Imperii periculis rectiùs occurratur*: Vel, *majus esse periculum, liberorum Electoralium impuberum Tutelam Tutoribus testamentariis quàm Legitimis concedi*: Vel, *majus esse periculum hanc de Tutelâ testandi facultatem Electoribus ipsis, & quidem parentibus concedi, quàm Adgnatis vel Consanguineis proximioribus & senioribus deferri*: cùm plures aliæ rationes, longè benigniores, & mitiores, & quidem contrariæ, in medium proferri possint. *Secundò*. Tantum abest, ut concedam majus esse periculum, parentibus jus illud, de liberorum suorum Tutelâ testandi, concedi, quàm Consanguineis ab intestato permitti: ut ne quidem ullum periculum vel minimum, potestate illâ testandi Principibus Electoribus permissâ, videam vel deprehendam. Imò nec ullum apparens vel probabile periculum ab Adversariis ipsis demonstrari potest vel poterit: nisi hoc uno *periculi* prætextu testamentarias omnes etiam privatorum hominum dispungant Tutelas: vel tot prudentum & Principum consiliis testantem Electorem, liberos & subditos in periculum conjicere censeant. *Tertiò*. Si res ita esset, prout Adversarii ponunt, nunquam sanè Romani jus de Tutelâ liberorum suorum testandi parentibus permisissent: sed periculum illud à Republicâ suâ longiùs avertissent, & legitimas solas admisissent Tutelas: magnum denique illud remedium, non testandi de Tutela, periculis Reipublicæ vitandis opposuissent. *Quartò*. Tantum abest, ut ullum periculum Romani in hoc permittendo parentibus jure censuerint: ut ex contrario testamentarias Tutelas omnium Tutelarum præcipuas, & primas, & legitimis potiores fecerint: ut præsentius in his quàm in illis periculum, in illis verò majus & certius quàm in aliis remedium deprehendisse videantur. *Quintò*. Si periculum est, jus Tutelæ legitimæ vel Agnatitiæ Agnatis auferre: quantò magis, patrifamiliâs jus illud providentię vel pietatis erga liberos exercendæ adimere? *Sextò*. Vtriusque Tutelæ comparatio (Testamentariæ scilicet & Gentilitiæ seu Legitimæ) manifestimum hoc ipsum nobis faciet. Legis enim providentia in Tutelis Adgnato deferendis, circa species, id est, circa ipsos Adgnatos & Consanguineos tantùm versatur: Patrum verò providentia circa individua, id est, personas ipsorum Tutorum, quas liberis eligunt & relinquunt. Lex, Adgnato-

a] *l. 1. §. sed si quis, 5. ibi, magis consulendum est his quibus majus periculum intendatur. ff. de Carboniano.*

b] *distinct. 42. cap. quiescamus. 2. ibi, circa majora periculum vertitur: & c. ubi periculum majus intenditur, de Electione & Electi potestate in 6. & 7. qu. 1. cap. ult. ubi Glossa ibi quia de re tanta non segnius agendum est: distinct. 61. c. miramur ubi Glossa ibi quantò magis.*

gnatorum ipſorum nec perſonas, nec conditionem, nec mores novit, ſed de Adgnatis tantùm opinatur, præſumit, confidit, quòd ſcilicet Conſanguinei ſint: Pater verò perſonas Tutorum quos eligit, cognitas & perſpectas habet, & in illis eligendis curioſior, exactior & ſcrupuloſior eſt. Legis providentia eâ parte magis eſt Theoretica: Parentis, Practica & in experientiâ poſita. Eligit enim illos quos probavit: deniq; parentes ipſi, ut Juriſconſultus [a] loquitur, amiciſſimos & fideliſſimos liberis Tutores eligere ſolent, & ad ſuſcipiendum onus tutelæ etiam honore legati eos perſequi, ut libentiùs onus Tutelæ ſuſcipiant. Et ſic legis providentia remota eſt: patris, proxima: legis, incerta: patris, certa vel certior: Legis, eſt in intellectu: patris, in ſenſu, ideoque legis in tutelis deferendis providentia, fallere eâ parte magis poteſt, quàm paterna. Vnde colligo, majus periculum verſari in ab inteſtato legitimis Tutelis, quàm in paternis ſeu Teſtamentariis. Cùm itaque conſtet evidenter, Tutelis Teſtamentariis parentibus permiſſis, liberorum ipſorum perſonis & conſequenter publico ſtatui meliùs proſpici quàm Legitimis: certiſſimum eſt ex Bullarum toties ab Adverſariis allegatarum mente, jus de Tutelâ teſtandi Electoribus permiſſum relictumque eſſe, ut eò magis Status Electoralis periculis præſentius & certius remedium adferatur. Hæc, majoris ſcilicet periculi & remedii circumſtantia, ab Adverſariis in hac controverſiâ allegata, licet unica in Bullis Imperatoriis extaret, ſufficiens & idonea utique eſſet ad Tutelas teſtamentarias Electoribus vindicandas & adſerendas, Adgnatorum Tutelis legitimis per Teſtamentarias excluſis. *Septimo*. Poſſet quæri, unde vel à quibus periculum liberis Electoralibus vel Imperii Statui imminere poſſit, non conceſſa Conſanguineis Electoralibus Tutelâ Electoratus legitimâ? Et ſanè non ab aliis, quàm ab ipſis Conſanguineis ipſam Tutelam flagitantibus & ambientibus. Atqui propter illum ambitum componendum vel tollendum, ſummam poteſtatem (patriam ſcilicet) parentibus adimere periniquum fuerit. Jus enim Commune, (quo Tutelæ arbitrium parentibus primo loco permittitur) ſi [b] propter populi tumultum violandum non eſt, nec propter Conſanguineorum etiam ambitum calcandùm eſt: nec ob eam cauſam à Jure Communi recedendum, quamdiu ſcilicet alia remedia juris apertiora occurrent. Et breviter, æquum non fuerit, Jus Commune & quidem ſanctiſſimum (de Tutelis ſcilicet Teſtamentariis conſtitutum) propter tumultum & periculum imminens ab

a] *l. amiciſſimos. 36. ff. de excuſat. tut.*

b] *diſtinct. 61. cap. miramur ubi Gloſſ. in verbis aut Tumultum allegamus. diſtinct. 62. cap. idoneus: 18. q. 2. cap. ſi Abbas: & 8. q. 1. c. licet, l. decurionum. ff. de pœnis. & cap: conſtitutum de appellat,*

a] *arg. l. si privatus coactus. 17 π qui & à quibus manumissi liberi non fiant. l. 3. Cod. qui manumittere non possunt: adde l. decurionum. 12 § 1. Cod. de pœnis.*
b] *l. Nemo externus. 9. Cod. de Iudæis.*
c] *l. Nam & hoc natura. 14. π. de condict. indebiti.*

Agnatis vel eorum acclamationem [a], parentibus & Electoribus innocentibus & nihil tale meritis adimere, & eos juris communis beneficio vel usu spoliare, & periculi minoris in locum longè gravius & majus substituere. Minus est enim periculum, potestatem illam de liberorum Tutelâ testandi parentibus & quidem Principibus, & Electoribus Cæsarum Jure Communi permittere, quàm contra jus fasque eis eripere, & Consanguineis tribuere. Justum [b] est enim sua cuique committi, nec [c] cum alterius injuriâ aliquem locupletari.

XXXIII.

OBJECTIO TRICESIMA-TERTIA.

d] *pag. 12.*

EXPRESSE (inquiunt [d] Adversarii) *statuitur in Aureâ Bullâ Caroli IIII. Non posse alium possidere Principatum Electoralem, & alium jure, voce, dignitate & officio Electoris uti: sed is cui jura Electoralia competit. (qualis est Adgnatus senior & proximior) debet liberâ & quietâ possessione gaudere, &c. ac Princeps Elector ab omnibus reputari, & nemo alius. ut videre est cap. X X. Aurea Bulla de Unione Principum & omnium eis connexorum.*

CAPITE XX. Aureæ Caroli IIII. Bullæ non potest alius possidere principatum Electoralem, & alius jure, voce, dignitate, & officio Electoris uti: sed is cui jura Electoralia competunt [qualis est Adgnatus senior & proximior] debet libera & quieta possessione gaudere, & Princeps Elector ab omnibus reputa, & nemo alius? Sed hoc perperam ab Adversariis allegatur & intelligitur.

Caput X X. Aureæ Bullæ ab Adversariis verbis immutatum & contortum esse: & quę sit illius capitis vera sententia, ab Adversariis non intellecta vel dissimulata.

RESPONDEO. Verba Aureæ Bullæ formalia ab Adversariis hîc non recitantur, sed mutata, aliter longè quàm concepta sunt vel edita. Caput illud, benigne Lector, perlege: et hæc verba, quæ pars Adversa profert: *Is cui jura Electoralia competunt, qualis est senior & proximior, &c.* non reperies. Quæ igitur? Hæc. *Possessor Principatus cujuslibet, etiam juris, vocis, officii, dignitatis & praeeminentiarum omnium ad illum spectantium quietâ debeat & liberâ possessione gaudere, ac Princeps Elector ab omnibus reputari, ipseq; & nemo alius, &c.* Vides, Lector, illo cap. XX. de Principatus possessore, & sic de Electoribus ipsis planè, non de aliis agi. Primùm ex inscriptione Tituli vel Rubricâ id evinco, quæ est *De Vnione Principatuum Electorum*. Mox in Textu sequitur: *Principes Electores*. Et post: *Qui Principatum ipsum possidet*. Et mox: *Possessor principatus*. Et post pauca: *Princeps Elector*. Postremò: *per cæteros Principes Electores*.

Secundò, id ex illius capitis XX. sententiâ poterit evinci facilè: quæ meo judicio talis est. Quilibet Elector Principatum suum cum terrâ, vasallagiis, feudis, & dominio, & ejus pertinentiis possidens, idem & jus,

jus, vocem Electionis, & officium, cæterasque omnes dignitates, jura & pertinentias ad ipsum spectantes, possidere debet. Adeò namque Principatus Electorales singuli cum juribus suis sunt conjuncti, ut apud unum Principatus cum terra, vassallagiis, feudis, & dominio, ejusque pertinentiis esse non possit: apud alium verò, jus, vox, officium & dignitas Electoratus. Vnus enim non potest possidere terras & latifundia Principatus ipsius Electoratus. Sed necesse est, ut qui possidet terram Electoralem, idem jus quoque & officium Electuræ, & vocem in Electoralibus possideat. Hæc duo, possessio scilicet terræ Electoralis & possessio dignitatis vel officii Electoralis, ita sunt vel esse debent inseparabilia, ut non possint illa duo dividi vel ullo tempore separari in judicio vel extra judicium: & rursus: ut unum præmissorum non posit divisim repeti vel evinci, vel etiam per sententiam separari: denique unum sine alio impetens (opinor legendum *petens*) audiendus non est. Et ita terræ Electoralis justa possessio officium ipsum Electorale ad se trahit: & retro: justa officii Electoralis possessio terram Electoralem ad se elicit. Verbi gratia: Primogenitus Electoralis non potest nudam terram Electoralem ita posidere, ut secundogenitus jus & officium Electoris sustineat: Et retrò: Non potest primogenitus nudum officium Electoris (in voce Electorali & dignitate consistens) possidere, & secundogenito, Principatum, id est, terrarum Electoralium possessionem tenendam permittere. Necesse est enim utrumque simul haberi, teneri, posideri. Et cur quæso hæc unio tam abscisè Caroli IIII. Bullâ præscripta est vel mandata? ut officium Electorale habens, reditus quoque tantæ dignitati suppares obtineat, & onera Imperii maxima faciliùs sustineat: Et retrò: ut terram Electoralem posidens, dignitatem quoque Electoralem habeat: nec officium Electorale sit sine reditu, neve reditus Electoralis sit sine dignitate: vel ut Cato [a] de patrisfamiliâs in re Rusticâ officio disserens ait: *Ita ædifices, ne villa fundum quærat, neve fundus villam: Alterius sic altera poscit opem res & conjurat amicè.*

a] *cap. 3. de re Rustica.*

Ex his liquidò constat, caput illud XX. & quidem integrum ad Electores ipsos pertinere, non ad alios Tutelam Electoralem ambientes: & consequenter Adversarios illo capite niti nullo modo posse. Alioqui colligeret aliquis ex præcedentibus, Administratore aliquo statum Electoralem regente, unà cum jure vocis Electoralis, eundem quoque terras & dominia Electoralia posidere: & nullum jus interim re consistens penes primogenitum defuncti, ætate minorem, residere. quod absur-

absurdissimum est dici vel putari. Certum est enim, jus vocis & suffragij Electoralis penes Tutorem & Administratorem ipsum esse, pupilli Electoralis nomine, non tamen jus Principatus Electoralis in terris & dominiis & reditibus consistens. Hoc enim jus Nobilissimi [a] Primogeniti Electoralis est, cujus Tutelam, Curam & Administrationem Tutor, Curator & Administrator gerit. Vel posset dici, penes Primogenitum Electoratus omnia jura Electoralia esse, jus tamen suffragii & vocis in eligendo rerum domino, hoc est Cæsare, ut & jus terras omnes, & urbes, & provincias Electorales tuendi, curandi, penes Administratorem interim esse, quòd Electoris primogenitus ea nondum per ætatem possit regere.

a] *Nobilissimus Cæsar in jure & aliis locis ita dicitur.*

XXXIV.

OBJECTIO TRICESIMA-QVARTA.

b] *pag. 12.*

SI licet Electori de Administratione Tutelæ Electoralis liberè disponere, poterit & Administrationem ipsam DIVIDERE?

SI (inquiunt [b] Adversarii) *libera Electori facultas est, de Administratione Tutelæ Electoralis disponendi, tantæ Celsitudinis & dignitatis (quâ post Imperatores vel Reges non est major) Administratio dividetur.*

SED vitiosa est Adversariorum collectio hæc.

RESPONDEO. Libera Principibus Electoribus (de liberorum &c. tutelâ Testandi) facultate permissâ, non sequi ut Electoratus Administratio dividatur: cùm possit accidere, ut unus tantùm Administrator ab Electore detur. Imò naturâ suâ sequitur hoc, Administrationem non magis quàm proprietatem dividi. Casuum tamen novorum incursus & quibus resisti non potest, semper excipio. Horum enim decisionem lex Magistratibus competentibus permittit.

Nec obstat, quòd defunctus Elector Serenissimo Administratori Contutores adjunxit. Quia sunt illi Contutores honorarii tantæ dignitatis administrandæ, velut Adsessores: cùm jus vocis, & suffragii in eligendo Cæsare, ut & cætera etiam alia, penes unum illum sint posita: cùm in Edictis, literis, mandatis, jussionibus, velis Principalibus & similibus, unius illius Principalis & propriè sumpti Administratoris nomen, vultus & insigne prætendatur, suspendatur, pingatur, sculpatur.

OBJE-

OBIECTIO TRICESIMA QVINTA.

XXXV.

a] *d.p. 12.*

SI POTEST Elector de Tutela liberorum disponere: Igitur & EXTRANEVM Tutorem eligere?

SED VITIOSA est hæc illatio. Adde huic obiectioni, XXIX. supra, quæ eiusdem est argument.

PERMISSA (inquiunt [a] Adversarii) *Electoribus testandi de Electoratus Administratione facultate, Administratio Extraneo commendari poterit.*

RESPONDEO, inculcari hîc ab Adversariis, quod Obiectione XXIX. supra iam dissolvimus. Et tamen ne hæc Adversariorum allegatio sine responso abeat: dico, extra rem & controversiam præsentem talia ab Adversariis spargi. Nam quod ipsi satis norunt, Serenissimus Administrator Testamentarius, patria Germanus est: nec Germanus tantùm, sed Electoralis quoque Palatinæ familiæ Gentilis, & Adgnatus: & Consanguineus, & quod addendum est, is cuius solertiam, peritiam, fidem, pietatem, integritatem & amicitiam, multis rerum argumentis defunctus Elector est expertus.

NEC OBSTAT, quòd alii Principes ei testamento sunt adiuncti. Nam Serenissimus ille Princeps de quo superiùs dictum est, Germanus est & Adgnatus, & ipsâ re vel effectu solus & unicus semper totius Principatus Electoralis Tutor & Administrator est: cæteri velut Adsessores consiliis eum juvantes, quoties aliquid arduum occurrit. Quin unus ex adjunctis purus putusque est Germanus, & Serenissimo Principi Friderico V. Avunculus: alter etiam adfinitate, & officiis Palatinæ domui Electorali coniunctissimus: ut se quisque suspectum pariter habere debeat, si tantorum Principum fidem in dubium revocare voluerit. Sciunt omnes, quot insidiis SuperIllustris Domus Palatina sit exposita: ut hinc inde Amicos & Adiunctos plures habere expediat. Quod itaq; bono, commodo, & emolumento domus Electoralis Palatinæ factum ab Electore defuncto, id in invidiam à nullo pertrahendum, qui Palatinam familiam adamaverit, vel salvam esse cupiverit.

O

XXXVI.

a] *p. 12.*

SI PERMISSA est Electori facultas testādi de liberorum Tutela: Igitur & pluribus & Extraneis secreta Electoratus & Imperii innotescere poterunt?

SED VITIOSA quoque hæc Adversariorum argumentatio est.

b] *l. quicunq. 16 C. de operibus publicis. l. 4. C. Theod. eod. l. 4. C. de commerciis. l. Vnica. C. Langobardico. de his qui Secreta Regis fraudul. inqu.*

c] *l. ult. C. de alimentis pupillo præst. adde l. 2. C quando & quibus quarta pars. lib. decimo.*

d] *Gloss. in l cum ad optionis 10. in verbo reverti. C. de adoptionibus.*

e] *Alciatus 1. Præsumpt. 32.*

OBJECTIO TRICESIMA SEXTA.

Addvnt [a] Adversarii, *permissa Electoribus testandi de Tutela libertate, ut scilicet quem velit Administratorem Status eligat, futurum, ut SECRETA Electoralia, imò totius Imperii, pluribus & extraneis innotescant: qua non vulgari, Reip. commodum urget.*

Respondeo. Fateor, Secreta [b] magna Imperio deberi, cùm & privatis debeantur: Verbi gratia Minoribus [c], ne res eorum (facultates scilicet) cum invidiâ aliquâ vel contumeliâ pandantur publicè. Sed in hac Tutela quâ de agitur, Electorali scilicet, nihil simile, quod metuendum sit, occurrit. Primùm enim, in Serenissimum Administratorem Electoralem Testamentarium (qui non minus quàm Illustrissimus Princeps Neoburgicus ex eadem domo, familiâ, ex eodem nomine & stemmate est) nulla huiusmodi vel minima suspicio vel præsumptio cadere potest: ut nec potest in Illustrissimum Nassovium, Serenissimi Friderici V. (ut diximus) Avunculum: cuius opem & auxilium Neoburgici bello Iuliacensi adeò opportunum sunt experti, ut nisi præsens adfuisset vel supervenisset, vix glebam terræ hodie in agro Iuliacensi possiderent. Coniunctas [d] inter adeò personas & à multis annis cognitas, fraus præsumi sine magna iniuriâ non potest. Cùm enim Cognati sint vel Adfines, præsumendum [e] non est, Cognatorum vel Adfinium defensionem omissuros. Nec potest hæc sinistra de tantis Principibus suspicio palàm vel occultè scriptis publicè vulgari, quin Generosi præsertim & Bellicosi & innocentissimi Principes illi summa vel iniuriâ vel contumeliâ sint adfecti.

XXXVII.

f] *p. 12.*

QVÆSITVM [illegible] Electione [illegible] Neoburgico [illegible] to & sine [illegible], auferre de[illegible] nctus Elector non potuit?

OBIECTIO TRICESIMA SEPTIMA.

Ivs (inquiunt [f] Adversarii) *Serenissimi Neoburgici ex Bulla verbis potest colligi, quibus statuit, quòd jus, vox & dignitas Electoralis tum demum competat successori filio, si habilis sit & perfecta ætatis: interim juribus illis manentibus penes seniorem & proximum Adgnatum Administratorem, qui jubetur demùm completo anno XVIII. Electorali hæredi jus, ut*

jus, vocem & supradicta omnia ab ipsis dependentia restituere & adsignare. Unde liquet, ipsi Administratori interim (usque ad completum XVIII. annum) hoc jus competere ex providentiâ legis quæsitum, quod ipsi SINE FACTO SVO *(atque ita per testamentariam defuncti dispositionem) auferri nequit.*

RESPONDEO. Ius Administrationis providentiâ legis proximioribus & senioribus Adgnatis quæsitum defunctus Elector non ademit: quia proximiori & seniori Consanguineo jus nullum in Tutela Electorali quæsitum fuit, nec est, nec erit, nisi (quod sæpius nos iterare cogunt Adversarii) Testamentario Administratore deficiente. Atqui non deficit. Plus itaque tempore petunt Adversarii, cùm [a] ante conditionis eventum & diei agant & Tutelam petant. *Secundò*. Potest etiam dici, non sine facto Illustrissimi Neoburgici, Tutorem testamento datum esse. Hæres enim facta pactaque maiorum suorum rata habere cogitur. Atqui maiores Illustrissimi Neoburgici in id olim consenserunt (ut ex Bullis Caroli IIII. & Sigismundi apparet) ut senior & proximior Consanguineus DE IVRE Tutor & Administrator esse debeat: igitur, ut legitimus tantùm sit, & sic testamentario cedat. Et utique cùm pacta sibi servari quis postulat, æquum est quoque, ut ipse ultro pacta sua primus vel prior [b] custodiat & impleat. *Tertiò*. Potest etiam alia ratione dici, *non sine facto Illustrissimi Neoburgici, testamentarium Administratorem datum*. Quia rogatus ab Electore piæ memoriæ defuncto promittere nunquam voluit, se nihil in Statu &c. mutaturum: ut ob eam caussam non possit conqueri. Dammum [c] enim quod quis suâ culpâ sentit, sibi debet non aliis imputare.

Quarto. Potest adhuc ex verbis formalibus ipsius Bullæ ab Adversario hîc editis probari, *Tutorem testamentarium jure datum fuisse, non sine facto ipsius Illustrissimi Neoburgici*. Vult enim & jubet Bulla, ut senior & proximior Consanguineus Administrator, completo XVIII. anno, Electoratus hæredi jus, vocem & potestatem, supradicta deniq; omnia ab his dependentia, *Totaliter* cum officio restituat & adsignet. Atqui prædictus Illustrissimus Neoburgicus voluntatem mutandi Status &c. se habere palàm professus est, & consequenter Electorali hæredi *Totaliter* (quod Bulla [d] jubet & mandat) officium suum non restituendi & adsignandi. Nam illud verbum *Totaliter* [e] in Bullâ positum, Administratori potestatem & facultatem mutandi Status &c. non permittit. Quin Caroli IIII. Bulla non vult tantùm, ut Administrator Electorali hæredi prædicta *Totaliter* adsignet: sed ut etiam *Pro-*

IUS Administrationis Electoralis, Illustrissimo Principi Neoburgico nullum in præsenti quæsitum est: & proinde, nullum ius ei per defunctum Electorem ablatum: & si ablatum aliquod esset, non sine eius facto id ademptû dici posset.

a] *§ si quis agens 33. Inst. de action. l. 1. & passim. C. de plus petit. l. unica. π. quando dies legat. cedat. l. 1. C. de edendo. l. 35. §. ult. l. 41. l. 137. §. 1. π. de V.O.*

b] *l. Iulianus 13. §. offerri 8. π. de actionib. empti.*

c] *l. quæ quis ex culpa. 203. π. de R. I. c. damnum 86. de regulis in 6. l. si quis negotia 23. in f. π. de negotiis. l. cum de duobus. 52. §. ult. π. pro socio.*

d] *Titul. 7.*

e] *de hac dictione generali vide Alciatum 5. Responsorum. 141. in f. ubi plures allegat.*

tinus, quod est sine morâ vel dilatione. Atqui si liceret Administratori (quod volunt Adversarii) Statum &c. mutare, quomodo posset *protinus* Statum &c. Electorali hæredi restituere? quòd mutatio Status &c. per eum facta & in habitum versa, non possit protinus alicui restitui. Habitus enim sunt δυσκίνητοι, id est tenaciter hærent, & non facilè vel protinus mutari possunt. Nec minoris sunt ponderis verba, quibus Sigismundus in utraque Bulla sua legitur usus. *Cui Inveni* (inquit) QVAM CITO *ad debitam pertinget ætatem, jus, vocem, dignitatem & potestatem* (Electoralem) *prædictæ Electionis ac omnia & singula ab eis dependentia idem Tutor* sine difficultate & retinétia (in quibusdam legitur, *renitentia) qualibet tenebitur & debebit* PROTINVS *assignare*. Si liberam & nullis conditionibus (nisi quas ipse proximior & senior Adgnatus admittere velit) limitatam potestatem Administratori permiseris (qualem Illustrissimus Neoburgicus sibi deberi vel vindicare & adserere voluit): & is Statum aut quod ad Statum pertineat, mutaverit: constat sanè evidentissimè eum, Electorali Iuveni Statum Electoralem, nec totaliter, nec sine difficultate, nec protinus, nec sine retinentia vel renitentia restituere & adsignare posse: cùm tamen Bulla velit, Statum Electoralem Totaliter, & protinus, & quàm cito, & sine difficultate, & sine renitentia restitui. Nam si quid ex toto Statu dempseris, totaliter eum restituere non poteris, nec citò, nec protinus. Vis enim hæc est verbi *Totaliter* [a]. Mitto reliqua diligentiùs expendere, velut cuiq; notoria. *Quintò*. Sed ponamus prædicta verba, *Totaliter*, *Quamcitò*, *Protinus*, &c. Bullis inserta non esse: adhuc tamen hoc satis ex communi jure subintelligi potest & debet: quia Tutores vel Curatores nihil quod pupillare sit, culpa etiam levi *amittere* [b] debent: & fructuarii cavere debent, se viri boni arbitrio usuros esse, nec *deteriorem* [c] *causam* ususfructus facturos: ergo nec mutaturos.

a] *v. Accursium in l. sed si meis. 26. §. Proculus in verbo tota. π. de adquir. rer. dom.*

b] *l. quidquid. 7. π. arbitrium Tutelæ.*

c] *l. 1. §. cavere. 3. π. usufructuarius quemad. caveat.*

XXXVIII.

OBIECTIO TRICESIMA-OCTAVA.

d] *p. 12. in f.*

SOLET Imperator Administratorem investire, Non obstante testamento: & ita Dux Ioh. Casimirus investitus fuit?

IMPERATOR (inquiunt [d] Adversarii) *legitimo Administratori investituram tribuit, non quæsito an Testamentum adsit, quod tamen quærere necesse foret, si Testamenti factio in Administratione deferenda locum haberet. Quinimò, quod plus est, Imperator non obstante testamento legitimum*

legitimum Administratorem investire solet. Idque Iohannis Casimiri Comitis Palatini ad Rhenum, Tutoris quondam & Administratoris, exemplum testatum facit: cui tanquam vnico & vero ex Aurea Bulla vocato Tutori Administratio confirmata fuit ab Imperatore, quamvis & idem Ludovici Electoris Testamentum (salvo scilicet iure tertij) confirmarit.

RESPONDEO, & quidem *Primò*. Cùm aiunt, Imperatorem *solere* Administratorem legitimum investire non obstante Testamento, & eam in rem unicum Ioh. Casimiri exemplum trahunt, potest dici, ex illa unica Investitura (nisi & aliam edant) *solitam* & consuetam Administratores investiendi formam non probari. Nam ex unico [a] tantùm actu consuetudo non probatur, sed ex varijs & pluribus. Sicut una hirundo non facit ver: ita nec unus actus consuetudinem facit. *Secundò*. Certum est, Ducis Ioh. Casimiri investituram illam simplicem (ut ex Objectionibus Adversariorum apparet) non fuisse, sed conditionalem, vel limitatam, *salvo* [b] *scilicet iure tertij*. quæ clausula fine dubio specialiter adjecta fuit ad instantiam Contutorum Casimiri Testamentariorum. Et ita prædicta investitura nihil certi juris Adversariis tribuit, ut ex illa investitura, tanquam ex certo aliquo iure, legitimam Tutelam Electoralem Testamentarias excludentem, alicui adscribant. *Tertiò*. Potest etiam dici, Ducem Ioh. Casimirum non simpliciter investitum, quasi Tutorem legitimum, sed & quasi testamentarium. Patris enim & fratris testamento Tutorem datum fuisse, & illa iura testamentaria in ius deduxisse, superiùs ostensum est. *Quartò*, Dux Ioh Casimirus tunc temporis in possessione Tutelæ & Administrationis extitit, nec facile tum fuit, eum possidentem, Martium quippe & bellicosum Principem, possessione sine periculo status vel discrimine deiicere: ut Cæsar eam ob causam singularem potuerit eum unum & solum investire, nequid detrimenti Palatinatus ipse vel Imperium ipsum pateretur. Atqui jura [c] singularia contra tenorem rationis, propter utilitatem aliquam authoritate constituentium introducta, extendi ad alias personas vel ad alios casus non oportet.

Ad [f] exemplum non trahuntur, nec personam egrediuntur, quæ Princeps alicui ob merita indulsit, vel si ei sine exemplo subvenit.

AN VERUM sit, quod Adversarij dicunt, Imperatorem solere Administratorem legitimum investire non obstante testamento? & an Dux Ioh. Casimirus ita fuerit investitus?

a] *l. 32. l. 33. 34. l. 35. ibi ac per annos plurimos observata ff. de legibus.*

b] *l. si debitor. 6. §. ibi nisi salva ff. quib. modis pignus vel hypotheca solvitur.*

c] *l. quod vero 14. l. 15. l. 16. ff. de legibus.*

f] *l. 1. in fin. ff. de constit. princ.*

OBJECTIO TRICESIMA-NONA.

XXXIX.

ALIQVI Principes Germaniæ non possunt de liberorum suorum Tutela testari. Ergo nec Electores?

a] p. 13.

SED vitiosa est hæc Adversariorum ratiocinatio.

IN MVLTIS (inquiunt[a] Adversarij) *Germaniæ Principum familiis infer[illegible]um & usu obtinuit, & pactis introductum est, ut nonnisi Adgnati (ad quos successionis spes pertinet) ad Tutelam & Administrationem admittantur.*

RESPONDEO. Vsus ille gentilitius & familiaris Principum quorundam Germaniæ (qui Electoribus inferiores sunt) per Adversarios primùm probandus est. *Secundò*. Licet usus ille probaretur: nihil tamen familiæ Palatinæ Electorali, quæ altiore gradu collocata, noceret vel nocere posset. Quò namque Principes altiores sunt, & in sublimioris dignitatis culmen evecti, eò minûs testandi libertatem eripi sibi patiuntur. *Tertiò*. Semper illæ consuetudines & conventiones gentilitiæ intelligendæ sunt cum clausula *rebus sic stantibus*: id est dummodo proximior & senior Adgnatus nomini & muneri Tutorio satisfacere & cavenda cavere sit paratus.

OBIECTIO QVADRA-GESIMA.

XXXX.

EXEMPLA Familiæ Palatinæ huic Tutelæ Testamentariæ repugnant?

b] p. 13.

IN FAMILIA *Electorali* (inquiunt[b] Adversarij) *Palatina & usu obtinuit & pactis, ut nonnisi Adgnati, ad quos successionis spes pertineret, ad Tutelam & Administrationem admittantur.* Item *nullum exemplum poterit probari, quòd invito habili seniori & proximiori Adgnato in familia Electorali Palatina remotior aut junior unquam fuerit in administrando Electoratu prælatus.* Et rursus: *Si in contrarium, unum aut alterum possit proferri exemplum, constabit ex veritate actorum, tum aut seniores non fuisse idoneos, aut in dignitate Ecclesiastica constitutos, aut suo iuri sponte renunciasse, quibus casibus tertio præiudicari non potest.* Et postremò: *Trita est & vulgaris illa Iurisconsultorum regula, Non exemplis sed legibus judicandum.*

ELECTOREM piæ memoriæ adversus pacta vel EXEMPLA familiæ Palatinæ de Tutela non testatum: imò Exempla familiæ secutum.

RESPONDEBO ad capita singula. AC PRIMVM, quòd pacta familiæ Palatinæ attinet ad hanc controversiam pertinentia, de iis objectione vel responsione proximâ dicam pleniùs.

SECVN-

SECVNDÒ, quod Exempla eiusdem familiæ spectat, testamentariis Tutelis Electoralibus contraria, & legitimas adjuvantia, deprehendo permulta hîc ab Adversariis dici, quæ probationibus & rationibus egeant.

Primò, quia dicunt Adversarij, Exemplis non esse judicandum sed legibus: & tamen exempla contraria edi sibi postulant: si nullius momenti familiarica sunt exempla: cur itaque exempla proferri in hac controversia petunt? *Secundò*. Si exempla Palatina jus in familia Palatina non faciunt, igitur & frustrà lineis aut versibus aliquot præcedentibus Ducis Ioh. Casimiri exemplum allegarunt. *Tertio*. Potest ex contrario dici & rectè probari, ab Adversariis nullum vel minimum contrarium exemplum proferri posse. *Quartò*. Contraria potiùs Adversariis exempla commemorari & recenseri poterunt, quibus facilè probabitur, testamentarios Tutores in Electoralibus Tutelis legitimis semper potiores habitos & antepositos fuisse. *Quintò*. Potest adhuc specialius urgeri vel dici, annorum CCC. & quod excurrit spatio, tres vix Electores nominari, qui de liberorum & bonorum suorum Administratione non fuerint testati. *Sextò*. Recentissimum & nuperum Ludovici Electoris testamentum satis indicat, Electoribus ius integrum de liberorum Tutela testandi semper fuisse: & eò magis, quòd Imperator Investituræ Ioh. Casimiri clausulam *salvo* [a] *iure tertij*, id est Contutorum aliorum (qui pariter Testamentarij Tutores erant) adjecerit, ne Testamentariorum Tutorum juri aliquid detraheret. *Septimò*. Probatum est alibi, [b] in Palatina Electorali familia, iampridem & à seculis aliquot, Ludovici testamento, Ottonem minimum natu, duobus fratribus antepositum: quamvis à duobus illis, ætate & opibus florentibus, vinceretur: qui illo rerum ita florentium statu, Ottoni fratri juniori & natu minimo inviti cessisse præsumendi non sunt, sed ultrò, jure scilicet Testamentariæ Tutelæ in Electorali familia Palatina meliùs & pleniùs cognito. *Octavò*. Probari adhuc ex actis Palatinæ familiæ Electoralis poterit, non tantùm Ottonem illum (fratrum Electoralium minimum) sed & eum *sequentem* proximè, prædicto Duci Bavariæ testamento Ludovici prælatum & antepositum in Electorali Tutela fuisse. *Nonò*. Tantum abest, ut seniores junioribus Tutela Electorali cesserint, quòd seniores Clerici vel Ecclesiastici essent, juniores verò Laici: ut ex contrario probari possit, Ludovicum Electorem prædicto Ottoni (fratrum minimo) Contutores

a] *de qua paulo ante diximus.*

b] *lib. 2. Adsertione 10. & 11.*

res Ecclesiasticos & quidem extraneos adiunxisse. Adeò vel tùm de Tutela Electorali disponendi libera potestas fuit. *Decimò*. Figmentum est dici, Seniores ætate consanguineos sponte iuri suo tum renunciasse. Illud enim *sponte* pernegatur, nisi probetur. Potentia namque & opibus Dux Bavariæ (fratrum natu maior) Ottonem longè antecelluit: nec minus honoris & gloriæ cupidus vel ambitiosus quàm Otto, ut sponte ei Tutela cessisse non sit verisimile. Quid igitur? Honestiorem longè causam in dubio præsumere in tantis Principibus debemus: seniores scilicet illos, quos diximus, fratres & Adgnatos Ludovici Electoris, à petenda vel ambienda Tutela Legitima Electorali destitisse, quòd Testamentariis Tutelis in familia etiam Electorali Palatina locum esse, Archivis suis inspectis tum didicerint, & à Iurisperitis moniti fuerint. Iure itaque seniores iunioribus eo casu cesserunt: & sic vel sponte, vel Iuris Civilis obligatione. Legibus enim quod facimus, obligati [a] & velut ex sponsu [b] facimus. *Vndecimò*. Nullum exemplum ab Adversariis commemorari poterit (Ioh. Casimiri namque exemplum nostris contrarium non esse superiùs ostendimus) quo demonstrare vel probare possint, casu vel rerum euentu aliquo, Cæsares, Imperatores, Reges Romanorum, Electores, Principes, Cameras & Curias Imperij supremas, legitimos Administratores Testamentariis prætulisse.

a] *l. obligationū 52. §. lege 5 §. iure honorario. 6. π. de obligat.*
b] *l. 1. in fin. ibi communis Respublicæ sponsio. l. 2. ibi πόλεως ἡ συνθήκη κοινή. π. de legibus.*

Ex his omnibus patet, Adversarios, Palatinæ gentis exemplis frustrà niti.

OBJECTIO QVADRAGESIMA-PRIMA.

c] *p. 13.*

XXXXI.

PACTA Familiæ Palatinæ huic Testamentariæ Tutelæ contraria sunt: quibus nullo COLORE vel modo contraveniri potest? SED hoc pernegatur.

Ex ipsis (inquiunt [c] Adversarij) *Familiæ Palatinæ pactis, præsertim iis quæ anno* cIↃIↃxxxxv. cIↃIↃLI. cIↃIↃLIII. cIↃIↃLVII. *inter Electorem & Principes Palatinos omnes, qui tot quot tum in vivis erant, & ex linea Ruperti descendunt, facta sunt, constat: eos pro se & hæredibus suis iuratò, & in modum contractus perpetuò & inviolabiliter observandi, convenisse ac promisisse, sub pœna privationis & jacturæ omnium eorum iurium, quæ cuiquam eorum ex Aurea Bulla deferuntur, se prædictæ Aureæ Bullæ & desuper factis Declarationibus & aliis Decretis, nullo unquam modo aut tempore contraventuros, nec passuros, ut Electoratus Palatinus (vel eius ditiones, iura, dignitates) vel eorum quidquam ad alium devolvatur, quàm cui hæc Aurea Bulla, & alia prædictæ sanctiones atque Decreta*

creta tribuunt. Aut si quis omninò ullo unquam tempore contra facere ausit, Quocunque etiam modo & COLORE hoc fieri queat, quòd is privationis & aliis in Aureâ Bullâ expressis pœnis subjacere, & nihilominus omnes illi Tractatus, Actiones & Conventiones, ipso jure nullius ponderis, valoris, & momenti esse, nec legitimorum successorum juri per Auream Bullam quæsito derogare quidquam possint.

RESPONDEO *primùm*, negari illa pacta interposita fuisse vel talia, nisi probentur. *Secundò*. Licet adhuc talia pacta in familiâ Palatinâ intervenissent, non tamen adhuc Testamentariæ Tutelæ quidquam derogarent. Quia Principes Palatini promisisse inter se proponuntur vel dicuntur, *se servaturos ea quæ in Aureâ Bullâ & aliis prædictis sanctionibus continentur*. Hæc promissio non est pura vel simplex, sed secundùm quid tantùm, & ad Bullas Aureas & Sanctiones prædictas relata. Ac propterea jus ex prædictis illis Palatinæ familiæ pactionibus certum non potest (ut [a] ex Authentico vel Originali solet & debet) sed ex Bullis illis & Sanctionibus Imperatoriis, ad quas sunt relata. Atqui multis argumentis superiùs probatum est, Bullarum & Sanctionum illarum verbis & mente, proximiores & seniores Adgnatos DE JVRE Tutores esse debere: & consequenter, Tutelam tantùm legitimam eis deferri: & proinde Testamentarias Electoribus tacitè permitti. Quia nusquam auditum vel relatum est, DE JVRE Tutelas proximis & senioribus lege delatas Testamentariis præferri. Nova denique prorsus & inaudita hæc sententia est, & à condito Jure Romano Jurisconsultis nostris incognita: & quia [b] nec usquam relata nec recepta, minimè recipienda. *Tertiò*. Esto: & Principes illi omnes Electorales Palatini promiserint, tunc se nihil contra Bullam Auream facturos, *quocunque etiam modo vel COLORE*: hujusmodi tamen verba sic accipienda sunt: Principes illos promisisse, nihil adversus illas Sanctiones factum iri, malis scilicet artibus, dolo vel fraude, vel adversus leges, vel modis injustis, illicitis, illegitimis & jure prohibitis. *COLORIS* enim verbum illic additum, dolum abesse absfuturumq; subsumit. Quia *Color* similibus [c] in locis nihil aliud est, quàm colorata, picta vel fucata ratio: quæ vera non est, vel non justa, non legitima, non solemnis, sed adversus legum prohibitiones excogitata callidè. Denique color nihil est ibi quàm imago [d] vel adumbratio veritatis, non veritas: uno verbo, commentum [e] quoddam adversus leges. Atqui Legibus illis (id est Bullis & Sanctionibus) Testamentarias Tutelas Electoribus permitti, centies & centies jam dictum & probatum

ELECTOREM defunctum, de Tutela liberorum adversus PACTA FAMILIÆ non testatum, sed potius pacta familiæ secutum.

a] *Auth. si quis in aliquo documento. Cod. de edendo, Novella. 119. c. 3.*

b] *l. 1. §. 1. ff. de Senator.*

CLAVSVLA QVOCVMQVE COLORE, quam vim habet.

c] *l. item si filius familias. 7. §. sed Iulianus adjicit. ff. de SCto. Macedoniano. l legem 7. in f. ibi id altero legis colore præsumat. Cod. de Naturalibus liberis.*

d] *l filio 23. ff. de liberis & posthumis.*

e] *l. fideicommissa. m. 76. ff. de condit. & demonstrat.*

batum est, ut iterùm repetere pudeat. Et sic Fridericus IV. Elector defunctus, in sanctiones illas non commisit, & consequenter nullam pœnam amissionis jurium Electoralium liberi ejus vel Testamentarii Tutores merentur, vel mereri possunt. *Quartò*. Esto rursus: & Principes omnes Palatini tum promiserint inter se, nihil contra Bullam Auream facturos *Quocunque modo*: hæc tamen Clausula, *Quocunque modo*, generalis, ita semper intelligenda est, *Quocunque scilicet modo illicito* [a]. His enim verbis, modos jure vel legibus sibi permissos nemo repudiat, vel ejurasse præsumitur, sed sibi semper retinere vel servasse. Atqui probatum est, Fridericum IIII. Electorem licitis & legitimis modis de liberorum suorum Tutelâ testatum. Apparet igitur, non Administratorem Testamentarium, sed partem Adversam in hanc & superiorem Clausulam, *Quocunque modo vel colore*, commisisse, quæ novum prorsus modum & colorem novum Tutelæ inducit. *Quintò*. Rursus esto: vel ponatur (quod tamen verum non est), pactionibus illis inter Principes Palatinos olim tum habitis, Principes Electores Palatinos jus de liberorum suorum Tutelâ testandi repudiasse, & tum etiam promisisse, *se nihil adversus illam Renunciationem* (quam aliâ Refutatione ab Adversariis poni, non tamen demonstrari probavimus) facturos: adhuc tamen illa Clausula quantumvis generalis & universalis, sub hac conditione nihilominus semper intelligenda est [b], nempe *Rebus sic stantibus*. Verbi gratia: Pacta mea servabo, si & quamdiu quoque pacta tua mihi meisque & liberis & posteris fideliter servaveris, nec quidquam adversus ea facies vel feceris. Nec nova vel insolens est hujus conditionis vel exceptionis, *Rebus sic* [c] *stantibus*, tacita subauditio: cùm (ut legibus & authoritatibus pluribus probabitur, si negatum ab Adversariis hoc fuerit) & in Constitutionibus, privilegiis, contractibus, renunciationibus jurium, ultimis voluntatibus, imò & juramentis [d], hujusmodi conditio semper subintelligi soleat: adeò vt illo casu, quorundam sententiâ gratiam jurisiurandi ab alio petere opus non sit. Quin, qui gratiam jurisjurandi petendam esse putant, gratiam illam summariâ Inquisitione ei qui juramento læsus & deceptus sit, concedi notant. Et ita, licet Jure Civili tolli juramentum non possit, generaliter tamen præstitum civilem Interpretationem admittit, ne quis immoderatè juramento lædatur. Hinc Seneca de huiusmodi conditionibus tacitis tractans [e], *Subest* (inquit) *tacita exceptio, Si potero, Si debebo, Si hac ita erunt, Effice ut idem status sit, cùm exigitur, qui fuit*

CLAVSVLA: QVOCVNQVE MODO.

a] *arg. l. Iubemus 6. paulò post principium ibi, sub qualibet astutia subtilique legum vel constitutionum occasione. Cod. de Naturalibus liberis.*

CLAVSVLA: NIHIL adversus Renunciationem habitam factum iri.

b] *l. cùm proponas inter vos 21. in fin. Cod. de pactis. l. pollicitatione. 3. Cod. de donat. ante nupt. l. si voluntate 4. Cod. de dotis prom. l. qui fidem. 16. π. de transact. l. eum qui 21. π. de inofficioso. c. 2. c. sicut. & in pr. & §. parentum, ubi Glossa. de jurejur.*

c] *l. cùm quis sibi aut Titio. 38. in pr. ibi Tacitè enim hæc conventio inesse stipulationi videtur, si in eadem causa maneat. π. de solut.*

d] *Doctores in l. si quis maior 41. Cod. de Transact. l. ult. Cod. de non numerata pecunia. l. si libertus juraverit ita se dare oportere. 30. π. de operis libert.*

e] *4. de Beneficiis. 32.*

cium

tùm promitterem. Et pòst: *Eadem mihi omnia præsta, & idem sum*. Et solent alioqui conditiones aliæ hujusmodi tacitæ (sed æquissimæ) in pactis, conventionibus, contractibus & similibus, ex æquo & bono necessariò subintelligi. Verbi gratiâ: Si mihi meisve injuriosus [a] vel damnosus non fueris: Si necessitatem [b] mihi non suggesseris aliter faciendi, & me vi non adegeris (Vadimonium [c] ita deferentem vis major excusat): Si & quamdiu per leges [d] mihi licebit: Si jus alienum [e] vel tertii à me non extorseris: Si jus iniquum vel novum [f] non postulaveris: Si jure tuo te non [g] excluseris: Si habilis, si capax, si dignus, si aptus, si idoneus fueris vel manseris. Lex enim generaliter loquens, ad capaces & idoneos semper [h] in dubio restringitur. Ac nominatim quidem quod Tutelas [i] ipsas (de quibus nunc tractamus) attinet, tacitæ conditiones in Tutelis interdum supplendæ sunt. *Sextò*. Certissimum est [k], Generalia verba (verbi gratia: *juro me non contraventurum aliquo jure, aliqua ratione vel causa*) ad casus improvisos non extendi. Atqui casus hujus præsentis Tutelæ testamentariæ, casus est improvisus admodum Bullis Aureis Imperatoriis. Nunquam enim præviderunt fore, ut Illustrissimus Princeps Neoburgicus petitionem defuncti Principis Electoris æquissimam rejiceret vel abnueret.

a] *l. si convenerit. 14. in fin. π. pro socio.*
b] *V. Doctores in l. quæ propter necessitatem, 162. π. de R. I. c. querelam. 10. ibi non necessit. c. breVi 17. ibi si necessitate. extra de jurejur.*
c] *Seneca. 4. de Benefic. 39. in f.*
d] *l. non dubium. 5. Cod. de legibus. l. is cui bonis. 6. π. de V. O. l. ult. π. qui satisdare. l. ult. π. ad municipalem.*
e] *l. 2. §. meritò ait Prætor. § si quis à Principe. π. ne quid in loco publico. l. nec avus. 4. Cod. de emancipat. liberis.*
f] *l. 1. l. seq π. quod quisque juris.*
g] *arg. l. quod si forte. §. 1. π. de solut. l. post mortem §. 1. π. quod falsò Tutore. arg. l. si repetendi 7. Cod. de condict. ob turpem causam.*
h] *l. ut gradatim. 11. §. 1. π. de muneribus: Gloss. in l. permittendo. 41. in fin. π. de jure dotium. & in l. ult. in Verbo omnes. Cod sine censu vel reliquis: Bald. l. ult. Cod. de fide Instrumentor.*
i] *Inst. de fiduciariâ Tutel. i Vers. ita tamen.*
k] *Bald. in l. 1. in fin. Cod. de Inofficios. donat. arg. l fistulas 78. §. ult. π. de contr. empt. l. ult. § idem π. de condict. indeb.*

OBIECTIO QVADRAGESIMA-SECVNDA.

XLII.

CONCLVDVNT [l] ex prædictis Adversarii: *Dubium nullum esse, neminem fore ex omnibus Imperii Statibus, qui non ultrò fateatur, Serenissimo Principi D. Philippo Ludovico, Comiti Palatino Rheni, tanquam seniori & proximiori, soli jus, vocem & dignitatem unà cum aliis prærogativis & officio Electoratus Palatini competere: neque in iis omnibus sub quovis testamenti vel ultimæ voluntatis prætextu ullo modo turbandum: sed*

l] *pag. 13. in fin.*

LIBELLVS & Conclusio Adversariorum adversus leges omnes est.

P 2 potiùs

potius ab omnibus omnium Ordinum & Dignitatum hominibus in hoc jure ad se devoluto ipsorum patricinio defendendum : Refractarios & turbatores coercendos, & sic fundamentalem S. Romani Imperii legem, unà cum pace publicâ, ab omni violatione tutam conservandam ac defendendam esse.

RESPONDEO, Nihil tale ex prædictâ Adversariorum Demonstratione sequi necessariò vel concludi: ut ex Objectionum prædictarum refutationibus apertè potest colligi. Ac proinde tantum abest, ut Adversarii in prætensionibus suis à Statibus Imperii vel aliis tuendi veniant: item ut Electorales sive Bipontini velut refractarii & turbatores cohercendi sint: & rursus, ut lex illa, quam ponunt, Electoralis (nempe Electori non licere de liberorum Tutela testari) Imperii sit fundamentum: ut præmissis omnibus accusationibus, pœnis vel mulctis Neoburgicos potiùs onerent & gravent: & ut Electorales vel Bipontini potiùs, adversus prædictas positiones & prætensiones, ne quid dicam gravius, defendendi tuendique sint ab omnibus.

SED PRIUSQUAM manum de tabulâ tollam, Mantissæ loco tres alias Objectiones dissolvam, quas fortè possent Adversarii deinceps movere.

XLIII.

VITIOSA est collectio: ALIENARE in præjudicium Adgnatorum Electoralia bona vel jura Elector non potest: ergo nec de liberorum, subditorum, & bonorum Electoralium Tutelâ disponere.

OBIECTIO QVADRAGESIMATERTIA.

ALIENARE *in prajudicium Adgnatorum Electores non possunt bona Electoralia. Ergo nec de bonorum Electoralium Tutela testari.*

RESPONDEO. Licet jam subinde dixi de hac Objectione aliquid: specialiter tamen hoc loco pleniùs (& breviter nihilominus) de hac nonnihil dici, abs re non fuerit. *Nunquam enim* (ut Seneca scribit) *satis dicitur, quod nunquam satis discitur.*

Primum dico, vitiosam collectionem esse; quòd hæc duo, *Alienare Electoralia jura posse*, &, *De Electoratuum Tutelâ disponere*, separata sint & diversa. Pluribus exemplis id probabo.

Pater jus proprietatis & sic alienandi in bonis adventitiis[a] filii non habet, ut nec fructuarius vel usuarius in rei fructuariæ proprietate: & tamen ea rectè administrat: imò & Tutorem bonis illis regendis dat. Et quidni dare Tutorem possit, qui bonis filii propriis (si filius

a] *l. cum oporter. 6. passim: l. ult. §. ipsum. 5. Cod. de bonis qua liberis.*

(si filius impubes & in potestate positus sit) substituendi pupillariter jus habeat? Maritus quoque rerum (præsertim immobilium) dotalium non est dominus, & ideò nec [a] eas alienat: & eas tamen rectè curat & administrat. Gestor voluntarius, non est negotiorum absentis dominus: & ea tamen jure permittente gerit. quia geri, & ea curari, & gestorum nomine actionem dari, publicè interest [b], ne absentium negotia pereant. Tutor & Curator (etiam Reipublicæ) non est immobilium ad impuberem vel minorem, vel Civitatem pertinentium dominus, unde nec [c] ea alienare potest: & tamen ea rectè administrat. Hæres, fideicommissi sub conditione vel post diem restituendi dominus non est, ut [d] id possit alienare: & interim tamen res fideicommisso gravatas rectè administrat. Electores, eodem modo, Electoralia jura alienare non possunt: & ea tamen rectè superstites administrant ipsi, vel aliis administranda committunt, mandant, delegant. Ex quibus conficitur, separata admodum & diversa esse, rem alienare aliquam non posse, & eam administrare: ut à priore ad alterum non sit permissa nec licita extensio.

Secundo. Prædicta differentia Alienationis & Tutelæ non tantum in Contractibus & Dispositionibus inter vivos, sed & in Testamentariis obtinet. Vt ecce: *Conventio* interposita est ut bona vendita donata permutata, cessa in accipientem transeant eâ lege, ne ea alienet extra familiam? Ea in alienam gentem transferre non [e] poterit: & tamen, moriens licet, testamento suo bonis hujusmodi familiæ conventione vel pacto destinatis (permissum [f] est enim pactum hujusmodi maximè inter Nobiles & Illustres) Tutorem dare rectè poterit. In bonis *fideicommisso Testamentario obnoxiis* idem dixeris: si alicui bona eâ lege Testamento relicta fuerint, ut ea suo illo nomini, genti, Agnationi conservet. Hujusmodi enim bona substitutioni vel fideicommisso Testamentario obnoxia, licet fideicommisso gravatus alienare non [g] possit, poterit tamen nihilominus Tutorem bonis illis regendis & liberis suis conservandis relinquere. *Feudalibus* etiam in bonis idem dixeris. Nam licet vasallus feudalia bona alienare non possit, ne quidem pro [h] animâ suâ vel salute: poterit tamen moriens bonis illis regendis, curandis, administrandis, moriendo Tutorem liberis suis dare, ut multis antea probavimus. *Obligatis, nexis, suppositis & hypothecæ subjectis in bonis* idem rectè quoque statueris. Nam licet non possis ea [i] in fraudem creditorum alienare: moriens tamen poteris rectè Tutorem bonis illis regendis eligere, qui creditores tuos dimittat & eis satisfaciat. Et in eo quoque

a] *l. 1. l. 2. Cod. de fundo dotali: Inst. quibus alienare licet vel non.*

b] *l. 1. ff. de negotiis. l. 5. ff. de obligat. §. 1. Inst. de obligat. ex quasi contractu.*

c] *l. lex quæ Tutores, 22. Cod. de administrat. Tut.*

d] *l. 3 § sed quia. 2. Cod. comm. de legatis & fideicommissis.*

e] *l. ult. ibi sive pactio Cod. de rebus alienis non alienandis.*

f] *l. licet. 17. ubi interpretes. Cod. de pactis. Cynus in l. 1. Cod. de donat. causâ mortis. Bald. l. ut heredibus, 50. ff. de legatis 2. l. si quis decedens eod.*

g] *l. voluntas. 4. Cod. de fideic. l. 3. § 2. Cod. comm. de legatis.*

h] *2. Feudor. 9. §. donare. & 2. Feudor 55.*

i] *l. 1. l. ait Prætor. 10 ff. de his quæ in fraudem creditor. § item si quis, 6. §. item Serviana. 7. Inst. de action.*

Tutoris officium versatur maximè, ut creditoribus pupilli satisfaciat, quin & ipse [a] sibi, si creditor fortassis fuerit.

a] *l. quoties. 9. §. sicut autem solvere. 5. §. non tantum. 7. π. de administr. Tutor.*

Tertiò. Superior etiam differentia Alienationis & Tutelæ in eo quoque cernitur: quòd rem alienare prohibitus, ejus dominium transferre in alium non possit, & non [b] prohibeatur tamen locare ad modicum tempus, vel jura pensionum cedere: ut eadem ratione Electoralia bona alienare prohibitus, non prohibeatur de modici temporis Tutelâ (rerum scilicet alienari regulariter prohibitarum) testamento suo disponere. Quia locatio [c] dominium non mutat, nec alienatio rei est, sed nuda tantùm Administratio, & quidem temporaria. Imò putat Accursius [d], *alienare prohibitum, posse ad c. vel clɔ. annos & ad longissimum etiam tempus locare*: quòd locator rem alienare non intelligatur. Et ita quoq; Jurisconsulti [e], longissimi temporis locationem à modicis temporis locatione distinguere non videntur. Baldus etiam [f] notat, alienare fundum prohibitum, posse ad mille annos usque locare, si hanc legem expressam locationi adjecerit, ut per hujusmodi locationem nullum dominium transferatur vel adquiratur. Hoc enim locationis vel conductionis genere, nullum jus in re, sed adversus locatoris tantùm personam adquiri. denique hujusmodi contractum alienationis speciem non esse. Vnde colligo, Electores alienare quidem Electoralia jura sua regulariter non posse, & Electoralibus tamen bonis regendis Tutorem, Curatorem & Administratorem eligere: quòd hâc via & liberis Electoralibus prospiciatur optimè, & Consanguineis nulla injuria inferatur: dummodo proprietas eis legibus conservetur.

b] *l. Lucius Titius. 88. §. instituto filio, 15. ubi Bald. π. de legat. 2.*

c] *l. non solet. 39. π. locati.*

d] *argumento. d. l. Lucius 88. §. instituto filio. 15. π. de legat. 2.*

e] *ut d. § 15.*

f] *in d. § 15.*

XLIIII.

OBJECTIO QVADRAGESIMA-QVARTA.

ANOMALA, nova, & præter jus Romanum & Latinum est hæc Tutela, & proinde per eam Testamentaria tollitur?

Fortassis & hoc objicient Adversarii velut extremum quodammodo præsidium: *Novam & ANOMALAM* scilicet *Tutelam & Administrationem esse, quæ Caroli IIII. Bullâ & Sigismundi Declarationibus proximis & senioribus Consanguineis est delata: non autem regularem, civilem, Romanam, vel communem aut vulgarem. Anomalam (inquam) ut etiam Testamentarius præferatur: licet Civili Iure legitimæ Tutelæ testamentarias non excludant. Denique libertatem testandi de tutela locum non habere, si lege vel consuetudine aliud sit inductum. Hanc autem Tutelam (Aurea Caroli IIII. Bulla, & Sigismundi Declaratione confirmatam)* [g] *Ius novum, singulare, & ab antiquo Iure Communi & Latino*

g] *Verba sunt ulterioris & plenioris informationis. pag. 5. a. & b.*

tino planè diversum continere, & sic unam & solam tantum speciem Tutelæ legitimæ Electoralis esse, quæ nullam aliam speciem Tutelæ admittat. Hujus inclusionem, aliarum exclusionem esse: & per hanc specialem, aliis derogari. Novo jure specialiter inductas Tutelas, veterum legum constitutionumque regulis non esse relictas. Multa hujusmodi alia statuta Imperium Romanum agnoscere, quæ Iuri Communi sunt incognita, & testamentariæ dispositioni nequaquam subjecta.

SED facilis est ad hanc Objectionem responsio.

Primùm hoc quidem dici posse, sed non eodem modo probari. *Secundò*, ne quidem præsumendam esse hujusmodi Tutelam Electoralem anomalam, quòd adversus Juris Communis regulas sit, & absurda alia permulta contineat, ut superioribus Adsertionibus est probatum. *Tertiò*: quia, licet concedatur anomalas quasdam Tutelas etiam in Jure Civili esse, non tamen hoc confestim vel necessariò sequitur, eas Testamentariis præferri: quia potest in uno Tutela anomala esse, in alio verò vulgaris & communis existere. Vno saltem exemplo id manifestum faciamus. Tutela, quæ Constitutionibus Romanis matri & aviæ defertur, quibusdam [a] *Legitima* quidem dicitur, quia legibus inducta: ab aliis verò *Anomala* esse traditur. Hæc tamen ultima sententia (ut scilicet Anomala sit Tutela) non abscisè vel indistinctè vera est: sed sequentibus verbi gratia casibus. Primò, quòd matri & aviæ Tutela liberorum legibus defertur: cùm tamen fœminis [b] aliâs deferri non soleat: & olim Tutrix liberorum mater non fieret, nisi [c] jus illud à Principe nominatim impetrasset: Imò cùm [d] fœminæ regulariter à Tutelis etiam testamentariis sint exclusæ. Secundò, quòd mater & avia sit liberorum suorum legitima Tutrix, *volens* [e] tamen, *non invita*: cùm tamen legitimæ Tutelæ sint onera, quæ invitis etiam injunguntur. Tertiò, quòd matri & aviæ liberorum legitima Tutela defertur, licet [f] eorum sit debitrix vel creditrix: tametsi legitimi Tutores Adgnatorum, si creditores vel debitores eorum existunt, ab eorum Tutelâ removeantur. Et nemo tamen ex prædictis tot anomaliis Tutelæ matri & aviæ legibus delatæ colliget, hujusmodi Tutelam anomalam Testamentarias excludere. Contrarium enim verum est, & ipsis legibus decisum [g], ut ex illâ exceptione legibus insertâ colligamus, quid in aliis Anomalis Tutelis statuendum sit, denique ut ex illa Anomala Tutela naturam aliarum omnium discamus.

MALE.

a] *l. 2 § si mater. ff. ad Tertul. l. omnem. 6. ff. ad Tertull*
b] *l. ult. ff. de Tutelis. §. ult. Inst. de legit. patr. tut.*
c] *l. 2. Cod. quando mulier Tutelæ officio.*
d] *l. Tutela. 16. l. ult. ff. de Tutelis. l. jure nostro, 26. ff. de Test. Tut.*
e] *Authent. Matri & Aviæ ibi permittimus. Cod. quando mulier Tutelæ officio.*
f] *Auth. ut matri & aviæ. Cod. quando mulier Tutelæ. Bald. l. si quis sub conditione. 11. ff. de Test. Tutel.*
g] *l. Matres. 2. ibi cùm Tutor Testamentarius defuerit: & Authent. matri & aviæ ibi. solis testamentariis eas præcedentibus, legitimis & dativis postpositis. Cod. quando mulier Tutelæ officio fungi. Novell. de hæred. ab intest. 118. c. 4. 5.*

P 4 OBIE-

XLV.

OBIECTIO QUADRAGESIMA-QUINTA.

TUTELAS Electoratus [illegible] Imperatoris [illegible], PLUSQUAM ANOMALAS esse?

Rursus etiam fortassis opponent Adversarii, *hanc Tutelam proximiori & seniori Consanguineo Bulus Imperatoris delatam PLUSQUAM ANOMALAM esse: Quasdam enim hodie Tutelas hujusmodi extare, quæ Testamentarias prorsus excludant.*

SED hoc negatur.

Respondeo. Fateor quasdam hujusmodi Tutelas reperiri. Non obstabit tamen *primum*, quòd legimus [a] Dionysium Siciliæ tyrannum hujusmodi Tutelam adfectasse, ut Tutor legitimus omnium pupillorum in Regno Siciliæ fieret, donec pupilli in suam Tutelam venirent vel adulti fierent. Nam jus illud (ne quid amplius dicatur) à Dionysio (cujus mores qui fuerint, norunt ex Historicis omnes) usurpatum fuit: ideoque nec in exemplum trahendum est.

Nec *secundò* obstabit, quòd à temporibus Henrici III. [b] Regis Britanniæ, hujusmodi Tutelam Britanniæ reges obtineant: & à Malcolmo [c] Rege Scotię: ita ut Nobilium pupillorum immobilia possidentium, ad annum usque XXI. Rex legitimus Tutor sit, & eorum reditus & vectigalia in fiscum Regium cogere possit. Quæ lex, cùm & [d] in Normanniæ Ducatu vigeat, præsumi potest eam à Normanniæ Ducibus cœpisse. Non (inquam) obstant leges & Constitutiones illæ de Tutelis Anomalis apud Anglos, Scotos & Normannos receptæ. *Primò*, quia (quod de Regibus Angliæ constat) jus illud specialiter concessum regibus Angliæ fuit, & quidem à Regni totius Ordinibus. Causæ quoque juris illius, regibus Angliæ concedendi, nominatim sunt apud Historicos expressæ: nempe, quòd Henricus III. (cui jus illud in Anglia primitùs est concessum) avitum regnum, civili bello & dissentionibus vastatum, opibus spoliatum ac propè confectum reperisset: quòd rei domesticæ inopiâ pressus, non posset sine subditorum auxilio Asiaticum adversus Saracenos bellum promovere: postremò, quòd vitam Regalem exercere decenter aliter non posset. Scoti, iisdem rationibus permoti, jus hujusmodi Tutelæ (*Vuardiam*, id est usumfructum illum, Scoti vocant) Malcolmo Regi concesserunt. Scoti (inquam) & quidem Barones omnes (sic enim temporibus illis scriptores, Equites appellabant) ne regi Malcolmo, facultates ad Regiam dignitatem tuendam non suppeterent. Normanniæ Ducibus jus idem iisdem de causis vel occasionibus à subditis concessum suspicio est.

a] *apud Aristotelem 2. Oeconomicôn.*

b] *Polydorus Virgilius Historia Anglica 16. in Henrico III. anno 1219. Coterus de re militari. cap. de tutelis militum.*

c] *Hector Boetius lib. XI. Historiæ Scoticæ. p. 245. Cotereus. d. l.*

d] *Consuetudines Normanniæ lib. 5. c. de la guarde des orphelins.*


At enim

At enim Tutelæ Electorales, Consanguineis Electoralibus, Bullis Imperatoriis delatæ, ab illa Tutelarum externarum specie differunt plurimùm. *Primò*. Quia Tutelæ Electorales liberorum Electoralium intuitu, non Adgnatorum gratiâ sunt inductæ: cùm Regiæ illæ, sint Regum & Ducum ipsorum contemplatione receptæ. Et ideò nec aliquid tale in Bullis Imperatoriis expressum legitur; scilicet, ut Consanguineus proximior & senior, reditus Electorales in fiscum suum cogat vel in rem suam vertat. *Secundo*. Cùm non sit in Tutelis ipsis Electoralibus specialiter expressum, ut senior & proximior Adgnatus Tutor factus, reditus Electorales in suum commodum transferat: præsumendum est, Juris Communis dispositioni relictum hoc esse: ut scilicet reditus Electorales pupillis Electoralibus serventur. *Tertiò*. Nec ea quoque sumere Consanguineus proximior & senior Electoratus debet, quæ Reges illi sumpserunt: quia dignitas proximioris & senioris Consanguinei Electoralis, dignitas est temporaria, quæ ad pubertatem tantùm Electoris extenditur: Regia [a] verò perpetua est, nec moritur. *Quartò*. Quia prædictæ Tutelæ Regiæ odiosæ sunt, ut pote graves admodum pupillis: ut meritò eas ad alios extendi non oporteat.

a] *l. quod Principi relictum est. 56. l. si Augustæ, 87. π. de legat. 2.*

CON-

CONCLVSIO.



ONCLVDENDVM EST ITAQVE: CVM SVPERIORES pro Tutelâ Electorali Testamentariâ Adsertiones, tot adeò numero, re ipsa piæ, sanctæ sint & æquissimæ: Principibus Electoribus solatio & honestæ: pupillis, subditis & bonis Electoralibus utiles & tutæ: nec tantùm in Jure Communi, sed & in Bullis Imperatoriis benè ac solidè fundatæ: Ex contrario verò, Adversariorum allegationes, re iniquæ: Electoribus tristes, amaræ, inhonestæ, probrosæ: pupillis, subditis & bonis Electoralibus non adeò utiles & tutæ: nec Jure Communi nixæ: sed præter & contra Jus Commune, omne denique, prætensæ: nec in Bullis etiam Aureis fundatæ: sed ab earum mente, quin & verbis alienæ: Concludendum est (inquam), Serenissimo Electori Friderico IIII. piæ memoriæ nuper defuncto, de liberorum, subditorum & bonorum suorum Electoralium Tutelâ testari licuisse: quin jure testatum esse. Adhæc Serenissimum Principem Joannem Palatinum, Ducem Bipontinum, ob Tutelam testamentariam Electoralem in se receptam nihil adversus leges vel Bullas Imperii fecisse: multò minùs (quod tamen prætendunt Adversarii) refractarium vel pacis turbatorem esse: nec in pœnam ullam famæ, bonorum, vel pecuniariam incidisse: sed ab hujusmodi prætensionibus & diffamationibus liberum & immunem, pronunciandum esse. Postremò, proximiorem & seniorem Adgnatum, legitimam Tutelam Electoralem Palatinam sibi vindicantem, per eundem Serenissimum Testamentarium Administratorem legibus Romanis, Imperii, & consuetudine testandi immemoriali in Palatina familiâ Electorali receptâ, exclusum esse. Et consequenter, prædictum Serenissimum Administratorem Testamentarium, ab omnibus & singulis Imperii Ordinibus, pro vero, justo, ac legitimo Tutore & Administratore Palatinatus adgnoscendum, & in illo jure secundùm leges Imperii, & Caroli IV. Bullam, & Sigismundi Declarationes, adversus quoscunque, ac specialiter prædictum proximiorem Adgnatum, tuendum defendendum ac protegendum esse.

FINIS LIBRI TERTII.



DE TVTELIS ELECTORALIBVS TESTAMENTARIIS

LIBER IIII.

quo continetur

RESPONSIO sive REPLICATIO AD VLTERIOREM ET PLENIOREM INFORMATIONEM NEOBVRGICAM XV. REFVTATIONES COMPLECTENTEM[a].

[a] Dusseldorpii editam hoc anno 1611.



HACTENVS OBIECTIONES DEMONSTRATIONI Neoburgicorum COMPENDIOSÆ & BREVI insertas, singulas, ut potui, selegi, & singulis respondi, numeris & paginis fideliter adscriptis, nullis vel omissis, vel dissimulatis, vel loco suo demutatis.

INFORMATIONEM ad ulteriorem & pleniorem eorundem Neoburgicorum nunc veniam, XV. Refutationes continentem: & Refutationibus illis sigillatim discussis, ad RESOLVTIONEM Ducis Iohannis Casimiri anno cIↃ IↃ LXXXIIII. editam, & ab iisdem Neoburgicis nuper Dusseldorpii ex officina Bernardi Busii vulgatam, XIV. Obiectionum refutationes complectentem descendam: & singulis Neoburgicorum Refutationibus Replicationes necessarias opponam, vel ad Adsertiones & Refutationes superius à me propositas, Lectorem æquissimum remittam, ne bis idem cum fastidio vel molestia Lectoris repetam. Lectorem tantùm præmoneo, ut prædictæ Neoburgicorum Informationi fin-

gulis foliis in quarto, singulos numeros (qui typographi negligentia sunt omissi) addat & suppleat, & idem quoque in Ducis Iohan. Casimiri Resolutione per dictos Neoburgicos edita, faciat; ut numeros Responsionibus & Refutationibus meis adscriptos facilius inveniat, & bonæ fidei me lectorem fuisse, nihilque dissimulasse deprehendat.

¶ *Refutationis Prima Refutatio seu Replicatio.*

a] *p. 2. vers. liberum.*

I.

LIBERTAS testandi de Tutela an statuto vel pacto possit alicui auferri?

SCRIPSERVNT [a] Electorales (id est Electoralis Testamenti patroni) *Liberum cuilibet patrifamiliâs esse, de liberorum & bonorum suorum tutela testari.* Adversarii, id est, Neoburgici quid? Aiunt, *Ad hanc primam Electoralium Obiectionem, in Demonstratione Iuris Serenissimi Principis D. Philippi Ludovici, typis edita, iam satis responsum esse: nempe libertatem disponendi de Tutela locum non habere, si lege vel consuetudine aliud sit inductum*: Cæterùm *Bullis Caroli IIII & Sigismundi,* IVS *Novum & singulare, & ab antiquo Iure Communi diversum, in quo una & sola tantum species Tutelæ legitima est, constitutum & inductum esse.*

SED FACILIS est & multiplex ad hanc refutationem responsio sive replicatio. *Primum omnium* dico, Neoburgicos ad hanc Electoralium obiectionem nunquam satis respondisse: quod ex Refutatione XXXXIIII. superius [b] à nobis proposita potest plenius colligi. Dicemus & infra, cum [c] res ita tulerit, neminem pacto jus de liberorum tutela testandi, sibi tollere vel auferre posse. *Secundò.* Negatur, Bullis Aureis jus de Tutelis novum & singulare, & ab antiquo Iure Communi & Latino planè diversum, contineri. Quis enim portentosam adeò Tutelam Bullis Imperatoriis inductam, & jus omne commune tutelarum testamentariarum sine clausulis derogatoriis destruentem credit? In huiusmodi monstrosis & alienis à Iure Communi differentibus Tutelis admittendis, verbis, clausulis, probationibus & indiciis luce meridianâ clarioribus opus est. Palpari denique huiusmodi Tutelæ Iuri Communi contrariæ & anomalæ volunt, non præsumi. *Tertio.* Negatum à nobis est, unam tantum speciem Tutelæ (legitimam scilicet) dictis Bullis contineri. Imò probatum est, Bullis illis Tutelam tantum DE IVRE (id est legitimam) Proximis & Senioribus Agnatis delatam: ut inde colligas, ex Iure Communi Testamentariam, imò &

b] *lib. 3.*

c] *lib. 5. in f.*

imè & Dativam Bullis Aureis permissum esse. Quis [a] enim putet, Principes Romanos qui jura tuentur, tam paucissimis adeo verbis, nullis clausulis legum derogatoriis additis, totam observationem Testamentariarum Tutelarum, multis legibus excogitatam atque inveteratam, evertere voluisse? Sed Lector benigne Refutationem XXXXIIII. superius positam, si vacat & lubet, adi, & huic Refutationi plenius à nobis satisfactum & responsum esse deprehendes.

a] *si quando 35. C. de inoffic.*

¶ *Secundæ Refutationis Refutatio.*

Scripservnt [b] Electorales, *Liberam testandi facultatem solis intestabilibus & infamibus interdictam, & intestabilibus vel infamibus Electores adnumerari nefas esse.* Adversarii quæso quid? Aiunt, [c] *Testamenti facultatem Electoribus ademptam, ut est Vasallis, jure feudali. Iura quippe Electoralia non nisi titulo feudali possideri, nec ad filios antea transmitti, quàm* XVIII. *annum compleverint.*

b] *p. 2. Vers. liberum esse.*

II.

Intestabiles de Tutela, an sint in intestabilibus & infamibus censendi?

c] *p. 5. b. & seq.*

Male. Fallacia quippe est manifestissima, à prohibita feudorum alienatione ad prohibitam de liberorum & bonorum Tutela testandi facultatem argumentum ducere. Sunt enim admodum separata hæc duo: de bonorum proprietate disponere non posse, & non posse de liberorum & bonorum Tutela testamento statuere. Legantur itaque cum in finem, quæ Refutatione XXIII. superius posita retulimus.

Primvm interim concedendum Adversariis [d] non est, *Electores jura Electoralia ad filios non transmittere, priusquam* XVIII. *annum filii ipsi compleverint.* Transmittunt [e] enim jura ipsa Electoralia, ut patresfamilias jura sua ad liberos, licet infantes. Sed ut illud, ita & hoc verum putandum est, potestatem & facultatem jurium illorum exercendorum in filios non transmitti, nisi XVIII. annum compleverint, uti scilicet jure Romano annus completus intelligitur. Peccat itaq; in eo Adversarii, quòd perperã negẽt, Electores jura sua Electoralia ad impuberes filios transmittere: cùm tamen certissimũ sit, ea ad impuberes trãsmitti: exercitium tamen illorũ jurium Tutori de jure & Administratori à lege permissum esse. Ac proinde hoc adversariorum axioma æquè paradoxon & insolens est, ac si diceret aliquis: Patresfamilias Iure Communi jura sua ad filios impuberes non transmittere: quòd ipsis filiis impuberibus Adgnati proximiores legibus & constitutionibus Tutores dati sint: Quod dici absurdissimum est. Et quidni patresfa-

Transmissio Iurium Electoralium ad liberos, licet impuberes, fit, non eorum tamen exercitium.

d] *p. 6. linea 1. ibi eaque non ante ad filios transmittunt.*

e] *l. unica C. de his qui ante apertas tabulas hereditatem transmittunt.*

milias ad impuberes filios jura sua transmittant? cùm continuetur rerum paternarum ad eos dominium: cùm liberi sui hæredes [a] sint: & vivo patre quodam modo bonorum paternorum domini? et rursus, cùm [b] ante tabulas apertas defuncti jura parentis ad liberos suos transmittant? Confundunt itaque pessimè Adversarii jurium Electoralium proprietatem cum jurium Electoralium exercitio. Nam ut fatemur exercitium jurium Electoralium non transmitti ad filios, nisi puberes facti sint: ita vicissim Adversarii bona fide agnoscere debent, jura ipsa Electoralia ad filios licet impuberes transmitti: quia jura Electoralia penes ipsos liberos sunt, exercitium verò penes Tutorem: ut ab uno ad aliud argumentum duci sine fallacia non possit.

a] *l. in suis 11. π. de liberis & posthum.*
b] *l. unica C. de his qui ante apertas tabulas transmittant.*

SECVNDÒ nec spectandum est, quod [c] aiunt Adversarii, *Consanguineum seniorem atque proximiorem (cùm ita casus fert, qui in Aurea Bulla describitur) exercitium Electorale (vocis &c.) habere non qua Tutor est & Administrator, ex voluntate defuncti: sed qua frater est aut consanguineus, & quidem senior atque proximior, atque ita* IVRE SANGVINIS, *quod testamentario arbitrio minimè subiaceat.* Nam huic Adsertioni satis prolixè Refutatione XVII. respondi. Addam tamen aliquid insuper in præsenti, & quoad potero rem apertissimè (vitandis ambiguis) sequentem in modum distinguam. Proximus & senior Adgnatus (cùm ita casus fert, qui in Aurea Bulla describitur) exercitium Electorale (Vocis &c.) habet? Vtique habet: sed QVOTIES SCILICET DE IVRE TVTOR EST (id est ab intestato), non autem quâ Tutor est, & Administrator aliquis alius est, ex voluntate defuncti. Nam ab intestato Tutela nunquam locum obtinet, ubi vel quoties defunctus de Tutela sua testatus est. Primo casu, proximior & senior adgnatus, Tutor dici quodammodo potest, quâ frater & proximior & consanguineus [d] est. deniq; illo casu potest tutor dici IVRE SANGVINIS Tutor. At non idem pariter dixeris, si defunctus Elector de Tutela liberorum & bonorum suorum testatus fuerit. Hoc enim casu secundo, proximior & senior adgnatus Tutor & Administrator esse vel dici non potest, quia voluntatem defuncti non habet. *Secundò* negari potest, Tutelam fratribus, consanguineis & adgnatis Bullis Imperatoriis delatam, IVRE SANGVINIS, vel quòd fratres, consanguinei, vel adgnati sint, deferri: sed quòd ita visum Bullarum autoribus fuerit: quia [e] legitimos Tutores nemo dat, sed lex XII. Tabularum, & sic legislator Tutores facit.

c] *p. 6. a Vers. Ex quibus verbis.*

EXERCITIVM Electorale proximus Adgnatus an habeat quâ Tutor est & administrator, an vero iure sanguinis?

d] *l. 1. ibi, & consanguineus. & §. 1. ibi, consanguineus. π. de legitimis Tutoribus.*

e] *l. legitimos 5. π. de legit. Tutor.*

TERTIÒ

TERTIO non officit, quod aiunt [a] Adversarii, *Pro intestabilibus & famosis non habendos esse continuò, qui testari non possunt. Certis enim personis, & honestis, constitutione, lege municipali, vel consuetudine, testandi facultatem adimi: verbi gratia Vasallis, qui de feudo testari non possunt (quos tamen famosos & intestabiles nemo dixerit): et consequenter Electoribus, quod Electoratus suos non nisi* [b] *Titulo feudali possideant.* *Primum* enim omnium dico, fallaciam maximam in Adsertione illa Neoburgica vel ab ipso initio latere. Quæstio enim non est generaliter ita concipienda: Vtrum pro intestabilibus & famosis habendi sint illi continuò, quibus lege aliqua testandi facultas adempta est: Sed hunc prorsus in modum specialiter: An pro intestabilibus & famosis habendi sint, qui sui juris, & ætatis iustæ, & sani iudicii, & dignitate prædιti, de liberorum suorum Tutela & suis bonis nulli fideicommisso obnoxiis, testari non possunt? Primo casu possum fateri, intestabiles non esse, quia variis & iustis de causis potest vel ad tempus vel certis in rebus adimi testandi facultas. At enim postremo casu non possis nisi intestabiles & famosos dicere. Adeò interest, quibus verbis quæstio vel thesis sit concepta. Est & iniqua admodum hæc collatio Vasallorum & Electorum, uti ab Aduersariis prolata & allegata est. Nam (ut antea dictum est) à rebus toto genere diversis argumentantur: à prohibita scilicet feudi alienatione, ad interdicendam de liberorum & bonorum Tutela patribusfamilias testandi facultatem. Verbi gratia: Vasallus cur non potest de feudi proprietate testari? nempe quia feudum illa lege, ne id alienaret, accepit. At non idem de parente dixeris, de Tutela liberorum suorum testari volente. Non enim à Deo ea lege liberos accepit, ut [c] Tutorem illis nunquam relinqueret: imò accepit, ut illis consuleret, & consequenter ut testamento Tutores eis daret, ut Adsertionibus pluribus demonstravimus. Nec liberi comparandi sunt feudis. Feuda namque fideicommisso sunt obnoxia, & Adgnatis à Genearcha destinata: ac propterea Vasallus de feudalibus bonis disponere non potest. At enim liberi Electorales sunt cuiusque Electoris ita proprii, ut nullius adgnati sint. Sunt enim parentis à quo sunt suscepti, ut de liberorum Tutela testandi potestatem patri adimere ius sit impium vel barbarum. Quin ut ne à Vasallorum exemplo ab Adversariis prolato recedamus temerè, Vasallos de feudi proprietate testari non posse concedimus, qui tamen de liberorum & (quod ad causam præsentem facit) de bonorum suorum feudalium Tutela & Administratione rectè iureque disponunt, ut Adsertione VII.

a] p. 6. b. vers. sit sp per specialem & 7. a.

INTESTABILES & famosi an sint continuò habendi, qui testari non possunt?

b] p. 5. b. lin. ultima. ibi non nisi Titulo feudali.

COLLATIO VASALLORUM & Electorum, uti ab Adversariis allegata, inepta est.

c] arg. l. 1. § 3. ibi, hinc liberorum educatio ff. de iustitia.
l. 1. ff. de testam. tut.
l. Amicissimos 36. ff. de excusat.

probavimus. Imò ut in exæquatione Vasalli & Electoris ab Adversariis proposita adhuc maneamus, rem totam ita paucis colligimus. Quemadmodum Vasallus feudum suum alienare non potest, & rectè tamen de liberorum & bonorum feudalium Tutela testari (communi Doctorum sentētia) ei licet, ut superius est ostensum: Eodem igitur modo Princeps & Elector: quòd simplici Vasallo tantus Princeps (scilicet Imperatoris Elector) cedere in eo non debeat: nec alia quoque diversitatis ratio in Electoris persona quàm in plebeio Vasallo proferri possit. Imò maior in Electoribus ratio est, ut de Tutela testentur, quàm in aliis inferioribus & minoribus Vasallis, aut Valuasinis, quibus (ut fatentur ipsimet Adversarii [a]) de liberorum & bonorum suorum feudalium Tutela testari permittitur.

a] *p. 9. b. Vlterioris & plenioris informationis. Vers. Ita enim & pater Vasallus.*

QVARTO non obstat, quod aiunt [b] Adversarii, *Hanc rem totam* (id est facultatem testandi) *ab ipsius legis præscripto pendére videri, quæ benigne testandi facultatem hominibus concessit.* *Hoc enim* Adversariorum axioma pugnat evidenter cum lege [c] Constantini Magni, in qua traditur: *Nihil esse, quod magis hominibus* DEBEATVR, *quam ut supremæ voluntatis liber sit stylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium.* Nam si testandi facultas (ut Constantinus ait) hominibus DEBETVR, & quidem nihil est quod MAGIS HOMINIBVS DEBEATVR, dicendum est sanè, omnes homines jus testandi habere ex DEBITO: opinor ex æquitate Naturali, vel Gentium iure; ut prima Adsertione Tractatus huius probavimus: denique ex æquitate Naturali mentibus omnium bonorum virorum insita. quæ leges omnes scriptas tempore præcessit, quæ dictat omnibus hominibus libertatem illam deberi. Et sic ius testandi (quod tamen dicunt Adversarii) ex benignitate legis alicuius scriptæ non erit, sed ex obligatione aliqua antiquissima & æquissima, vel quod tantundem est, ex DEBITO. Et sanè si ex [d] DEBITO, utique non ex benignitate vel gratia est, nec esse potest. Vox itaque legis XII. Tabularum: *Disponat testator, & erit lex:* vox est non ex nudo Iure Civili, sed ex Naturalib. præceptis, ex naturali libertate, ex iure Gentium & Civili deprompta: quæ ad omnes (verba namq; legis hæc sunt: *Disponat testator, & erit lex*) generaliter pertinet: nisi [e] certis, iustis, specialibus & maximis de causis sit aliquis testari prohibitus.

b] *pag. 6. b. vers. certè res hæc tota.*

TESTANDI POTESTAS non est ex benignitate & præscripto legis, sed ex debito & iure naturali.

c] *l. 1. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.*

d] *Paul ad Romanos 11. Vers. 6. l. donari videtur 29. π. de donat.*

e] *l. 4. l. 19. π. de Testament. Instit. quibus permissum non est facere testamentum.*

QVINTO non obstabit, quod Adversarii [f] dicunt, *Legem certis formulis testandi facultatem interdum concludere, ut extra eam nemini testari*

f] *pag 6. b. inf. ibi et certis formulis.*

testari liceat. Nec enim necessarium vel consequens est, limitationem illam testandi legalem, ad Tutelas liberorum limitandas & restringendas pertinere, vel extendendam esse. Sanè nisi conceptis id verbis nominatim fuerit à legislatore cautum vel dispositum, ut ne quis testamentum facere possit: præsumendum nunquam fuerit, interdictam alicui testamenti factionem. Imò contrarium potius præsumendum est: legem scilicet nunquam parentibus (ætatis iustæ & sanę mentis, & præcipuis omnium dignitatibus fungentibus) hanc de Tutela testandi libertatem auferre voluisse. Iuris enim præceptum est, ***Suum*** [a] ***cuique***, & maximè parentibus, ***reddere***.

CERTIS FORMVLIS testandi facultes interdum concluditur: non ex eo tamen sequitur, parentibus de tutela liberorum testari interdici posse.

a] *l. Iustitia 10. §. π. de Iustitia.*

SEXTÒ non obstabit, quod ab Adversariis dicitur [b], ***Legem Falcidiam, Voconiam, Furiam, generalem XII. Tabularum legem, de libera scilicet cuiusque testandi potestate, minuisse.*** Dispar enim admodum legum illarum ratio est ab illo iure, quod Neoburgici conantur inducere. Enimverò leges illæ, res tantum testatoris vel patris familias ipsius spectant: cùm Neoburgici personas ipsorum Electorum & liberorum Electoralium petant, & in ordinem plebeiis inferiorem redigant: ut nec Electores ipsi, patres licet, de liberorum & bonorum Electoralium tutela testari, nec Electorum liberi, Tutorem patris voluntate habere possint. Legibus illis legandi nimia tantum facilitas restricta est: cùm lex Neoburgensium ius & substantiam etiam ipsam testandi, & quidem totam patrisfamilias auferat. Legibus illis paterfamilias saltem intra certum modum testatur: At hîc ne testatur quidem. Et sic leges illæ quantitatem testandi coercent: Lex verò Neoburgensis substantiam etiam ipsam testandi penitus tollit. Leges illæ patrisfamilias dedecori non sunt: cùm Neoburgensium commentitia lex Electores probro magno afficiat. Leges illæ hæredi extraneo quoque per testatorem consuli in aliquo volunt: At lex Neoburgica ne quidem in minimo liberis Electoralibus patrem consulere permittit. non enim patitur, Electorales liberos Tutorem & Administratorem ultimo judicio patris obtinere. Denique nusquam probari poterit, legibus illis, (id est lege Falcidia, Voconia, Furia, vel ulla alia simili) parentibus interdictum, liberis suis tutorem eligere: ut hinc appareat, leges illas ab Aduersariis extra rem & causam præsentem perperam allegatas esse.

b] *p. 7. a. in pr. ibi Lege Falcidia.*

POTESTAS testandi per legem Falcidiam, Voconiam & Furiam minuta quidē est sed ex eo non sequitur, potestatem de Tutela liberorum testandi parenti posse constitutione adimi.

SEPTI-

a] p. 9. a. circa pr. vers. *Et fuit tempus.*

TEMPVS fueritne aliquod, quo testamenti factio prohibita fuerit?

b] *Assert. 1.*

SEPTIMO non obstat, quod aiunt [a] Adversarii, *fuisse tempus, cum prohibita etiam testamenti factione, non essent nisi legitimi hæredes.* Quæro namque ab Adversariis, Quando scilicet tempus illud fuerit, quo inter homines de tutela liberorum testandi facultas prohibita fuerit? Edant illud tempus, si poterunt. Imò nunquam poterunt. Ius enim testandi Naturalis & Gentium iuris esse, superius [b] longè lateque probavimus. Consequentiam etiam illam Adversariorum pernegamus. *Fuit tempus cum prohibitum esset res suas alteri legare. igitur potest lege parentibus interdici, ne tutores liberis suis relinquant.* Desinant itaque toties illo rebus à separatis & penitus diversis argumento Neoburgenses uti.

c] p. 7. a. 6. *& gentium plurimarum.*

GENTIVM plurimarũ ius ut prædia vel immobilia legare non liceat, ad prohibendam de Tutela liberorum testandi facultatem extendi nec potest nec debet.

OCTAVÒ non obstat, quod addunt [c] adversarii, *Gentium plurimarum legibus prædia cuiquam legare prohibitum fuisse.* Nihil enim plurimarum illarum Gentium leges ad nos pertinent, nec iuris necessitatem nobis imponunt. Quin etiam pernego, Gentium plurimarum ius illud fuisse, sed paucissimarum ad summum: quæ nondum legibus humanioribus cicuratæ fuerunt. Est præterea alia prædiorum, alia filiorum, liberorum & personarum ratio.

d] pag. 7. a. v. *Et de Germanis.*

GERMANI VETERES an testamenti factione necessariò abstinuerint?

NONÒ non obstabit, quod de Germanis Adversarii proferunt [d] ex Tacito: *Apud Germanos hæredes successoresque cuique suos liberos, & nullum testamentum, liberisque deficientibus proximo gradu, in possessione fuisse fratres, patruos, avunculos.* Non enim illo veteri iure, Germani moderni patresfamilias hodie utuntur. Iove (ut ita loquar) nondum barbato, apud simplicissimos homines ita ius fuit: quo Gentes humaniores, & maximè Principes, (imò ne quidem Neoburgenses cives, aut Neoburgensis causæ patroni) teneri vellent hodie. Est & præterea Taciti locus ille de rerum successionibus tantùm scriptus, non de liberorum Tutelis, ut nihil ad rem præsentem pertineat. Et sanè priscos illos Germanos liberos suos adamasse, & sibi caros non minus habuisse, quàm ipsi tunc Romani, aut qui vivunt hodie Germani, mihi persuadeo. ut ex eo certissimum sit, veteres etiam illos Germanos liberis suis tutores elegisse, quoties cognatos vel nullos vel minus commodos liberis habuerunt. Potest & illud tentari, Germanos illos veteres etiam de rebus suis, licet liberos & Adgnatos haberent, interdum in aliquo saltem testatos, sed rariùs: adeò liberis suis consultum veteres illi voluerunt

fuerunt, ut amicis aliisve nihil, vel rariùs aliquid, testamento relinquerent, si liberos habebant. Et ita locum illum Taciti cum temperamento aliquo sumendum esse censeo. Nam ut [a] non soli Atridæ suas uxores amarunt: ita putandum est, Germanos illos veteres erga liberos suos & amicos non minus affectos, quàm fuerunt vel Graii & Quirites, vel erga nostros sumus hodiè. Et breviter, usus ille Germanorum fuit, nullum passim testamentum condere, sed infrequentiùs: & ut apertius loquar, usus & consuetudo non testandi nudus fuit, nullam testandi (de Tutela præsertim liberorum) prohibitionem continens expressam, neque tacitam.

a] *l. si uxor. 13. §. 1. ff. ad l. Iul. de adult.*

DECIMO non obstat, quod ex Bodino proferunt [b] Adversarii, *Probro dignos videri, qui morem illum Germanis quasi probrum obiiciant.* Nihil enim ad rem præsentem facit hæc Adversariorum allegatio. Usus enim totius gentis tum fuit. Non [c] est autem Æthiopis inter suos insignitus color, nec russus crinis & coactus in nodum apud Germanos olim. Nihil in uno iudicabis notabile aut fœdum, quod genti suæ publicum est. ac propterea nisi cum prædicto tutelæ testamentariæ temperamento locum illum Taciti quis admiserit, probro dignus ipsemet potius videri poterit.

b] *p. 7. a. vers. Quem morem.*

GERMANORUM veterum in non testando mos an sit reprehẽsione dignus?

c] *Seneca. 3. de Benefic. 27.*

VNDECIMO non obstat, quod aiunt [d] Adversarii, *In præsenti casu quæstionem non esse, An Elector liberam testandi facultatem habeat, quod scilicet nemo sanus de eo dubitet.* Puto namque contrarium liquidò probari posse. Quid enim quæso fiet, si Elector nulla prædia vel iura vel bona præter Electoralia habuerit? Et utique Adversariorum sententia ne quidem de liberorum & bonorum suorum tutela custodiave testari poterit, & sic Neoburgensium sententia intestabilis fuerit: vel inanem tantum testandi facultatem potentia sola, non actu habuerit. Et qualis quæso, & quàm miser & quàm ridiculus paterfamilias erit, qui liberis suis eligere saltem tutorem non poterit? Ex ipsorum itaque Adversariorum axiomate rectè colligam: Cùm nemo sanus dubitet, quin Elector Laicus facultatem testandi aliquam habeat: dicendum est, Electoribus Laicis testandi jus saltem de tutela liberum etiam hodie esse.

d] *p. 7. a. vers. ut taceam in præsenti.*

STATUS causæ in hac controversia an sit in eo positus: Utrum Elector liberam testandi facultatem habeat?

DVODECIMO non obstat, quod addunt [a] Adversarii, *In præsenti casu hoc adfirmari, Electorem iuri publico derogare non posse.*

a] *p. 7. a. in fin. ibi sed hoc duntaxat. & b.*

STATVS huius controversiæ num in eo consistat: An Elector iuri publico derogare possit?

Nam ut admitto, nemini licere iuri publico derogare, vel adversus leges testari: ita defunctum Electorem contra ius publicum aut adversus leges testatum fuisse, inficior.

b] *p. 7. b. linea 4. ibi. Cùm legibus obtemperare.*

LEGIBVS obtemperare, an sit servitus? & an servitutis indicium sit in Electoribus, de Tutela liberorum testari non posse?

c] *de vita beata c. 15.*

DECIMOTERTIO non obstat, quod aiunt [b] Adversarii, *Ingenuitatis, non servitutis argumentum esse, aliquem iuri publico derogare non posse, quòd legibus obtemperare sit libertas.* Hoc enim vel non monitus admitto, sicuti Deo parere libertatẽ esse scripsit Seneca [c]. Sed addo servitutis, & quidem intolerabilis argumentum & indicium esse, Principem, & quidem Electorem, de liberorum, subditorum & bonorum suorum Electoralium tutela, cura, administratione & custodia testari non posse: cùm alii nõ modò vasalli, sed & plebeii, imò & ipsi adversariæ partis patroni, de liberorum & bonorũ suorum tutela testari cupiant: nec puto, liberos & ingenuos se putarent vel crederent Adversarii, si ius illud testandi amisissent. Sumunt præterea Adversarii pro confesso & explorato, quod neque confessum neque notorium est, *testandi* scilicet *de liberorum Tutela ius, legibus ademptum Electoribus esse.* Quin videntur Adversarii, Principes ipsos Electores superioris illius sententiæ aculeo satis duriter pungere, & illis illudere tacitè, cùm eos liberos & ingenuos adserant, & intestabiles tamen (quales ipsimet esse nolunt) faciant. Quis enim dicet vel putabit ingenuum & liberum esse, cui liberis suis Tutorem eligere ius non sit? et ut expressius loquar, qui linguam ad nuncupandum, manum ad adscribendum liberis Tutorem non habeat? Doceat qui poterit, nisi festivus aliquis per risum vel iocum, hoc ingenuitatis & libertatis in Electore argumentum esse.

SED PERGAMVS ad tertiam et sequentem Adversariorum Refutationem.

¶ *Tertiæ Refutationis Refutatio.*

d] *p. 2. a. vers. Eiusmodi dispositionem.*

III.

TESTAMENTARIÆ Tutelæ an possint legitimæ statuto postponi?

e] *p. 7. b. vers. Ad tertiam. ibi locum quidem esse & p. 8.*

SCRIPSERVNT [d] Electoralium testamentorum patroni, *Dispositionem de tutela testamentaria adeo favorabilem esse, ut legitimæ preferatur: quòd parens liberis optimè prospexisse credatur.* Aduersarii quid? *Fatentur* [e] *verum quidem esse, quòd Iure Communi legitimo testamentarius præferatur, & legitima tutela locum non habeat, quandiu testamentariæ locus sit.* Sed addunt, *Auream Bullam hoc amplius habere & sancire, ut præter & contra Ius Commune in casu nominato solus senior & pro-*

& proximior adgnatus Tutor de Iure sit & Administrator: ac propterea *hinc sequi, Testamentarium Tutorem vel Curatorem ei qui per Auream Bullam designatus & vocatus est, praeferri minime posse*: (*Vt latius patet* (inquiunt) *ex praedicta eorum Demonstratione & Resolutione Ducis Ioan. Casimiri anno* CIↃ IↃLXXXIIII. *edita, cuius exemplum ad calcem huius Refutationis videre licet*.) *Ius enim publicum pactis privatorum tolli non posse, & qua de re lex certam iuris formam praescribit, de ea disponendi facultatem hominibus adimi: denique Formae*[a] *nihil debere vel posse addi vel detrahi*.

a] *p. 8. a. vers. Formae enim*.

IVS TESTANDI de Tutela Electoribus per Bullas Aureas non est ademptum.

RESPONDEO negari posse, per Bullam Auream ius commune de Tutela testandi parentibus ademptum esse. Imò cùm dicant Adversarii, *in casu nominato solum seniorem & proximiorem adgnatum de Iure Tutorem & Administratorem esse*, fateri pariter coguntur, seniorem illum adgnatum, DE IVRE tantùm Tutorem Bullis Aureis constitutum esse: hoc est (ut saepius diximus) legitimum tantum & ab intestato Tutorem: ut sunt scilicet, & solent, & esse possunt alii de Iure Communi Tutores: & consequenter, ut Testamentarius Tutor ei praeferatur. Tantum itaque abest, ut haec Tutela Electoralis seniori & proximiori adgnato Bullis Imperatoriis delata, sit (quod tamen fingunt adversarii) *praeter & contra Ius Commune, & Testamentariam excludat*: ut Tutela Adgnatitia Electoralis potius secundùm ipsum Ius Commune sit intelligenda: Testamentariam scilicet non excludens, sed permittens: sicuti alii de IVRE Tutores legibus vocati Testamentarios Tutores legibus dari posse agnoscunt, & Testamentariis tamen cedunt, nec pertinaciter resistunt.

b] *p. 8. a. vers. Certi enim iuris est*.

DEFVNCTVS Elector testamento suo ius publicum an mutaverit?

NEC PRIMVM obstabit, quod aiunt[b] Adversarii, *Defunctum Electorem testamento suo ius publicum mutasse*. Hoc enim pernegatur: imò ius publicum servasse & secutum esse potius appatet: & nihil adversus certam Iuris Imperatorii formam disposuisse, sed ex Bullarum Imperatoriarum mente & sententia apertissima, iustissima, aequissima, Adgnatis,(qui nullum aliud ius ex Bullis Imperatoriis praetendere possunt, quàm ut sint nudi simplicesque vel de Iure & in casu intestati Tutores) Testamentarium Tutorem praetulisse. Quaero namque, in quo Testator peccaverit, qui legitimis & de Iure Tutoribus eum, quem ipse idoneum vidit & ex animi sententia iudicavit, praetulit? Hoc enim legibus permittentibus fecit. Hanc omni Iure permissam

testandi de Tutela facultatem, Electoribus ademptam esse, nec Bullarum verbis, nec earum sententiis Neoburgenses ullo unquam tempore probare poterunt.*.

c] p. 8. a. vers. Et sane maior est habenda ratio.

FAVORIS publici quàm privati an maior ratio habenda: & utrum ad favorem publicum magis pertineat, Electores de Tutela non testari quàm testari?

SECVNDO non obstat quod aiunt, a *Maiorem esse habendam rationem favoris publici quàm privati.* Quia (ut superius probatum est) defunctus Elector testando de liberorum tutela, iuri publico nihil detraxit. Imo ius publicum (id est, Ius Commune) secutus est: cùm ex adverso Neoburgici ius quoddam tutelæ privatum, insolens, inusitatum, præter & contra Ius Commune (ut ipsimet etiam loquuntur & fatentur) invehant: quod non publicum Electorum ipsorum & liberorum Electoralium commodum spectat, sed unius tantùm adgnati proximi & senioris utilitatem veluti data opera respicit. quod probrosum Electoribus ipsis est, Adgnatis verò fastuosum, invidiosum ac superbum, & cum ipsorum Electorum contumelia manifestissima coniunctum. Et sanè cùm de Iure Tutelarum Electoralium agitur, ius publicum & commune potius est dicendum, quod Electoribus & eorum liberis, subditis & bonis utile est, quàm quod uni & soli seniori & proximiori Adgnato ad optatum suum compendium proficit. Ac proinde Adversarii ius illud publicum tutelæ testamentariæ Electoribus & eorum liberis utile denegantes, ipsimet ius publicum mutare velle, ut & præscriptæ Iuris formæ detrahere sunt dicendi.

b] p. 8. a. vers. Nec patitur.

CONSILIVM universæ Germaniæ defunctus Elector in testando non contemsit.

c] Novel. 15.

TERTIO non obstat, quod aiunt, b *Favorem Consilii universalis non pati, ut Imperatoris & tot Procerum sanctio & leges fundamentales* (quas Parentes Reipub. appellat Leo) c *cedant privatorum dispositioni affectibus non carenti: cùm de Imperatore (tamquam de* PATRE PATRIÆ) *leges præsumant: Imperatorem scilicet quamoptimè liberis suis,* (id est Imperii Proceribus & subditis) *perpetuo & inviolabili statuto prospexisse.* Hoc (inquam) non obstat: quia defunctus Elector nihil adversus Consilium universale & publicum admisit. Petitio hæc principii est, non probati nec confessi.

d] pag 8. a. in vers. & leges fundamentales.

e] Refutatio 31.

LEEGS fundamentales Imperii defunctus Elector in testando non omisit.

NEGATVR etiam, *Electorem quicquam adversus leges fundamentales Imperii* d *disposuisse.* Imò probatum superius fuit, leges fundamentales Imperii in eo, quod Adversarii putant, non consistere: ut scilicet Electoribus de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium tutela testandi adempta facultas esse debeat, iure omni Tutelæ in personam unius & solius proximioris & senioris Adgnati translato: sed in eo potius, ut Electores ipsi liberis suis pio sanoque consilio Tuto-

Tutorem, omni jure permittente, eligant. Leges fundamentales Imperii in eo potius consistunt, quàm in anomalis & probrosis illis Tutelis Testamentariis, quas fingunt & inducunt Adversarii.

DISPOSITIO defuncti Electoris, an privati hominis fuerit?

NEGATVR etiam, *Electoris defuncti dispositionem privati hominis esse*, ut Adversarii videntur [a] nuncupasse. Est enim Principis & quidem magni, merum Imperium & omnimodã jurisdictionem cum omni genere regaliorum maximè eximiorum habentis: & rursus Electoris: & quidem Electoris non postremi; & (quod minimè prætereundum est,) jus Bullas istas Aureas interpretandi cum cæteris Electoribus habentis.

a] *p. 8. a. ibi: quàm privati & b. linea prima ibi: cedant privatorum dispositioni.*

NEGATVR etiam quod Adversarii innuunt [b], *dispositionem defuncti Electoris affectibus non caruisse*. Quo enim jure vel merito vel colore dispositio Electoris Tutorem liberis &c. relinquentis, vocari debeat, vel possit *dispositio Affectibus non carens*, non video. Quasi verò affectio & στοργὴ illa paterna, liberis: domini, subditis; patrisfamilias optimi, bonis suis Electoralibus prospiciendi; affectus sit notandus, id est vitiosus vel impius vel iniustus appellandus. Et quasi verò Adgnatus proximior & senior, & sperator successionis (ut Vlpianus [c] ait) maiore erga prædictos affectu esse possit, quàm ipsemet Elector? Imò affectus ille parentum Tutores liberis eligentium [d] *amicissimus* & *fidelissimus* à Paulo nuncupatur.

b] *p. 8. b. linea 2. ibi; affectibus nõ carenti.*

DISPOSITIO Electoris defuncti, an dici possit Dispositio affectibus non carens?

c] *l. 1. De legit. tut.*
d] *l. amicissimos 36. ff. de excusat. Tut.*

NEGATVR etiam, quod [e] tamen Adversarii subiiciunt, *Electoralium testamentorum patronos ac defensores aliud unquam de Cæsare, quàm de patre patriæ præsumpsisse, quàm quod optimè liberis suis, (verbi gratia, Electoribus) semper consultum esse cupiverit.* Hoc enim utique constanter dictum & confessum fuit, Cæsares scilicet, Electores ipsos (velut filios & quidem primogenitos: imò ut propria corporis membra, ut Carolus Imp ait [f], & proximos artus) & in omnibus & ante omnes dilexisse: ac propterea præsumendos esse, plus juris in Tutelis Electoralibus ipsis Electoribus, quàm eorum proximis & senioribus Adgnatis tribuisse: nec minus Electores in testando, quàm prædictos seniores & proximiores, liberos reliquisse: nec minùs, imò magis liberis Electorum quàm prædictis Adgnatis senioribus consulère voluisse. Ac prætereà si tantum tribuunt Imperatoribus Adversarii, ut dicant eos velut Patres Patriæ Proceribus Imperii prospexisse; Cur igitur in compendiosa Demonstratione scripserunt [g] Adversarii, Electores permissu etiam Imperatoris testari de liberorum suorum Tutela non posse? Estne hoc Imperatorem pro Parente agnoscere, an potius potestatem negare vel eius affectus suspectos habere? Fatemur quidem cum Adversariis

e] *p. 8. b. linea. 3. & seq ibi, tanquam de patre patriæ.*

ELECTORALES numquam aliud de Imperatore senserũt quàm de patre patriæ: & an pariter Adversarii?

f] *in Aurea Bulla.*

g] *Vide Refutationem 25 supra lib. 3.*

Carolum IIII. Bulla sua Aurea, sollicitè summoque studio, cum Proceribus maturè communicato consilio, cupivisse futuris obviare periculis, & materiam omnium succidere dubiorum conatum fuisse. Sed alibi [a] ostendimus, Carolum IIII. voti sui compotem factum non fuisse, & ob eam rem Sigismundi Declarationibus opus fuisse: & postremò, Caroli IIII. & Sigismundi Bullas dubias adhuc & obscuras ab Adversariis novis & alienis à Iure Cõmuni invectis interpretationibus reddi. Et ita sane est, ut verbis Edictorum multa interdum desint, Vlpiano [b] teste, quæ à jurisprudentibus postea supplentur vel judicibus: Ita verbis Bullarum Aurearum multa adhuc hodie deesse possunt.

a] *Refutat. 12. 5.*

b] *l. 5. §. verbis edicti multa desunt. 2. ff. quod falso tutore.*

c] *p. 8. b. vers. id egerit ut certam.*

NEC OBSTAT etiam quod aiunt [c] Adversarii, Carolum IIII. id Bulla sua egisse, ***ut certam & immutabilem formam, tam in successione quàm in Administratione Electoratuum præscriberet.*** Ostendimus enim alibi [d] satis luculenter & prolixè, formam illam Administrationi Electorali à Carolo IIII. præstitutam, generalem satis & simplicem fuisse, & nullum jus nisi fratri Electoris tribuisse, & sic Adgnatos reliquos proximiores scilicet & seniores omisisse: Sigismundi tamen Declaratione prædictam Bullam Caroli IIII. expositam & evidentiorem redditam fuisse, & ad normam, formam & legem DE IVRE ***Tutelarum*** (id est aliarum Tutelarum legitimarum, quæ Iure sunt proditæ) prædictis verbis specialibus & formalibus reductam & revocatam, ut illos limites, (Tutelarum scilicet de Iure vel legitimarum) deinceps egredi nullo modo possit vel debeat: & consequenter, ut hæc legitima Tutela testamentariæ cedat: quòd hæc verba, ***de Iure Tutor & Curator esse debeat***, verba sint Iuri notissima: verba denique his æquipollentia: ***Tutor & Curator esse debet, ut alii Iure vel de Iure Communi sunt Tutores.*** Et mens alioqui prædictarum Bullarum talis est, nec alia, ut alibi [e] diximus: ne monstra vel portenta nobis fingamus.

d] *Refutatione 9.*

CAROLVS IIII. quam formam in successione & Administratione Electorali Bulla sua præscripserit.

e] *Refutatione 12.*

f] *p. 8. b. vers. ne inter secularium Electorum filios.*

NON OBSTAT etiam quod aiunt [f] Adversarii, ***Carolum IIII. id egisse, ne inter secularium Electorum filios & Adgnatos super jus voce ac potestate eligendi Romanum Regem, futuris temporibus scandalorum & dissensionum posset materia suscitari, & sic bono publico periculum creari.*** Addimus enim, nullam de Tutela litem inter Electorum filios & adgnatos nisi intestato Electore mortuo esse posse. Pii namque & parentum observantes liberi, Testamentariis Tutoribus suis vel nullam penitus controversiam sunt moturi: vel si moturi sunt, non tanquam Adgnatis, sed tanquam minus idoneis vel commodis id facturi. Vnde colligo, Carolum IIII. scandalorum ac dissensionum materiam succidisse

CAROLVS IIII. quæ & inter quos scandala, Bulla sua avertere voluerit?

cidisse inter Electorum Adgnatos ab intestato tutelam Electoralem sibi vindicantes, appetentes, affectantes: & Tutelas testamentarias, vel tutores liberis eligendi potestatem, interim Iuris Communis dispositioni reliquisse, nec eam facultatem Electoribus ademisse.

NEC ETIAM obstat, quod aiunt [a] Neoburgici, *Si in potestate sit Electoris, tutorem & administratorem pro arbitrio eligendi, nullum turbarum & litium finem fore: neminem enim dubitare, posse fieri, ut dum testator sperat se liberis suis optime prospecturum, eos in extremas difficultates (quas Imperatores & Proceres Imperii per istas sanctiones praecavere voluerunt) coniiciat, & simul Imperium in maximum discrimen adducat.* Antea [b] namque satis ostendi, liberis Electorum, sanctiùs, melius & tutiùs caveri à pio patre quàm lege: & rursum, spem & providentiam Electoris in Tutoribus deligendis certiorem & specialem magis quàm legis vel constitutionis cuiuscunque esse: adhæc, malus periculum in Imperio nasci, legitimis tutelis Adgnato proximiori & seniori permissis, quàm testamentariis tutoribus admissis. Nec etiam video, quam ob causam proximior & senior adgnatus, Electoris filiis litem pro tutela testamentaria movere possit vel debeat. Cur enim jus de Tutela liberorum & bonorum Electoralium testandi proximior & senior Adgnatus Electoribus adimere velit, quod sibi nolit auferri? Et cur non æquum in Electorum personis putabit, quod & in aliorum passim, quin & in sua persona justum æquumque censeat?

NEC RVRSVS obstat quod aiunt [c] Adversarii, *Serenissimum Principem Philippum Ludovicum iis naturæ bonis, cum summa prudentia & experientia coniunctis, instructum, ut iniquus videatur censor, & publico omnium, tum Imperii ordinum, tum etiam exterorum testimonio detrahere velle, qui suam Celsitudinem tutelari illo honore simul & onere* INDIGNAM IVDICET. Hæc enim & alia complura de Illustrissimo illo & laudatissimo Principe sentimus, & non moniti à quoquam dicimus, & grato animo prædicamus. Nemo sanè dixit sanus unquam, eum indignum esse. Absit. Sed juris Electoralis tuendi & dispositionis testamentaria tantum protegendæ gratia dici potuit, vel etiam hodie poterit, tutelam Electoralem legitimam (id est legibus Imperii proximiori & seniori Adgnato delatam) testamentariæ cedere. Licet enim intra fines Imperii (ut & alibi) etiam plebeio contra Principem, imò & adversus ipsum Imperatorem, jus suum legibus tueri, & eum in finem jus publicum & omnium commune invocare. Licet advocato causæ, Imperatori, quamvis præsenti & in auditorio suo Proceres inter suos sedenti, liberè dicere: *Rogo* [d], *Domine Imperator, audias me patienter.*

a] *p. 9. a. linea 7. Vers. Iam verò, si in potestate.*

TESTAMENTARIA Tutela Electorali an melius consulatur liberis Electoralibus quàm legitima tutela? & uter Tutor pupillis utilior sit?

b] *Refutatione 32.*

c] *p. 9. a. vers. Et est sanè Serenissimus.*

INDIGNVM Administratione Tutorem non dicit, qui ius suum tantum defendit.

d] *l. 3. paulo ante finem ff. de his quæ in Testamento delentur.*

a] *l. vlt. π. de postulando.*
b] *l. non puto. 10. π. de jure fisci.*
c] *Plutarchus. in Apophtegm.*
d] Sidonius 2.
e] *arg. l. 18. §. 1. π. de minorib. Novell. 113. c. 1.*
f] *l. scire oportet 21. § 2. π. de Tut. & Curat dat. Alciat. 2. parerg. cap. 29.*

patienter. Licet [a] patronis contra fiscum postulare: ut & judicibus in dubiis quæstionibus etiam [b] contra fiscum respondere. Quinimò fiscalibus in causis Traianus Imperator aliquando superatus, tantum abest, ut injuria se adfectum putaverit, ut ipse contra riserit. Boni principis indicium est, æquo animo ferre, moneri se ab aliquo & informari melius. Machetas [c] à Philippo rege Macedoniæ dormiente ad eundem vigilantem appellavit. Tantum abest, ut contumelia se adfectum Philippus Rex existimaverit, ut illa appellatione liberâ tactus, Machetæ causam rursus audiverit, & judicatum pro eo solverit. Theodoricum Ostrogottorum regem legimus [d] calculis vel alea ludentem in bonis jactibus ita tacuisse, in malis risisse, in neutris iratum fuisse. Quid multis opus est? suas [e] interdum mutari sententias æquissimi Principes patiuntur. Nec convicium cuiquam facere censetur, qui juris sui tuendi gratia à malè informato Principe ad melius informandum provocat. Prædictis adiiciatur, tutores testamento defuncti prohibitos, creari tutores non posse: manere tamen eis (ut Modestinus [f] loquitur) epitimiam, id est, famam & existimationem integram: nec propterea prohibitos putari, quasi fuerint indigni. Semper enim benigniorem in partem prohibitiones huiusmodi accipere debemus. Et dici quoque vulgo solet: *Iuris executionem non continere iniuriam*. Licet itaq; cuivis jus Electoris defuncti tueri, manente sempernihilominus Adversæ parti, honore & decore suo salvo & illibato.

Sed aliam Adversariorum Refutationem spectemus.

¶ *Quartæ Refutationis Refutatio.*

g] *p. 2. b. linea. 1.*

IIII.
INTESTABILIS de successione & hæreditate quis esse poteſt, & tamen testabilis de Tutela; ut in Gallia fit: & an diversum ius in Germania fit?

h] *p. 9. a. vers. Quarta ratio & d. p. 9. b.*

Scripserunt [g] Electoralium testamentorum patroni, *Dispositionem testamentariam de successione bonorum Electoralium locum non habere: de Tutela tamen & Administratione valere: ut in Regno Galliæ videre licet.* Adversarii quid? Aiunt [h] *superiorem rationem nihil adstipulari, quòd in Galliis lex Salica de sola successione agat, nec ad Tutelam & Administrationem (si casus ita ferat) seniorem & proximiorem Adgnatum (quod tamen in Aurea Bulla fit) vocet: ac propterea quemlibet æqui judicii perspicere, propter rationis & circumstantiarum diversitatem, ex usu Galliæ ad Germanorum constitutiones argumentum duci nullo modo posse &c.*

Sed ad omnia prædicta facilè responderi poterit. Primùm omnium

omnium licet conceditur, legem Salicam de sola successione, non autem de Tutela regni disponere, Bullam autem Auream de duobus, nempe successione & administratione; non propterea sequitur, omnem Administratorem vel Tutorem Electoralem, tutorem testamentarium excludere. quia licet Aurea Bulla de duobus illis (nempe de successione & tutela Electorali) statuat vel agat: non eodem tamen modo ut de successione, ita & de tutela Electorali tractat: nec pari severitate tutelas Electorales, qua successiones exigit. Verbi gratia: Bulla (quod ex variis eius locis ac Sigismundi Declarationibus potest colligi) successiones Electorales Adgnatis destinavit? Vsus & experientia ipsa docuit, Electores de successionibus Electoralibus (saltem regulariter) testamento disponere non solere. At in Bullis Aureis & Declarationibus Sigismundi, vel in ipsa rerum Electoralium experientia nihil tale occurrit, quod tutelas Electorales testamentarias prohibeat. Imò ut ex infinitis Bullarum circumstantiis constat, Bullæ liberam de tutela testandi facultatem Electoribus tribuunt, ut alibi [a] latiùs ex ipsarum Bullarum mente docuimus. Et alioquin licet centies & millesies in Bullis Aureis tutela proximis Adgnatis prorsus & directò delata legeretur, exclusis etiam testamentariis: non tamen Bullæ tollerent vel adimerent unquam Electoribus, nova juris remedia, quæ novis & emergentibus casibus adhibenda vel opponenda sunt.

a] *Adsertione 8. & 9.*

NEC OBSTAT quod aiunt [b] Adversarii, *In Tutelis diversitatem esse inter observationem Gallicam & Germanicam.* Nam primùm omnium quæro, quæ rationis diversitas reddi possit, ut Rex Galliæ, qui de regni sui successione disponere non potest, de Tutela eius rectè disponat, Elector verò (verbi gratia Palatinus) non possit de liberorum, subditorum & bonorum Tutela disponere? Edant Adversarii, si possunt vel poterunt, inter Gallicum & Palatinum statum hoc in casu differentiam aliquam idoneam. Imò si quis advertat propiùs, eadem prorsus reperietur utrobique ratio. quod sic ostendo. Quemadmodum lex Salica vetat, regnum Adgnationi regiæ destinatum alienari vel de eo disponi, non tamen vetat de Tutela liberorum regiorum, imò & ipsius Regni disponere: quia Tutela non Adgnatorum sed liberorum regiorum causâ comparata est: Simili ratione dicendum fuerit, bona quidem Electoralia extra Adgnationem Electoralem alienari non posse, (utpote Adgnationi Electorali devota:) & interim tamen Electoribus permitti, liberis suis & bonis Electoralibus Tutorem & Administratorem dare: quia Tutela Electoralis non Adgnatorum ipsorum,

b] *p. 9. b. Vers. Vnde facile.*

IN TVTELIS Principalibus Germaniæ & Galliæ an sit differentia?

sed ipsorum liberorum causâ principaliter comparata est. Ratio utrobique (in Regno scilicet Gallico & Electoralibus) cum omnino eadem sit, cur idem jus utrobique esse non debeat, nullus video. Unde [illegible] contra Adversarios infero: Ex usu Galliæ (in hac specie & Tutela Testamentaria) ad Germanorum constitutiones argumentã omnimodo [illegible] licere, propter candẽ scilicet rationis & circumstãtiarum paritatem.

a] p. 9. b. Vers. Ita enim & pater vasallus.

Nec obstat præterea, quod de Vasallo sequentem in modum proferunt a Adversarii. *Pater (inquiunt ipsi Adversarii) idemq; Vasallus [illegible], potest per testamentum impuberi filio Tutorem dare, licet ordinatio de successione feudi locum non habeat, quod Nomothesia feudalis de tutela Vasalli impuberis & administratione nullam certam formam præscribat, aut dispositionem liberam de eo patri Vasallo adimat. At Aurea Bulla certam successionis & administrationis formam præscribit, ac omnibus hominibus, atq; ita etiam parentibus Electoribus, sub gravi pœna interdicit, ne sanctioni illi Pragmaticæ quovis modo contravenire præsumant.* Primùm enim omnium ad prædicta respondeo, mirum hoc esse, quod Adversarii hic b adferant, *Vasallum impuberi filio tutorem dare posse:* cùm tamen superius c scripserint, *Iure feudali* OMNEM *testandi facultatem Vasallis ademptam esse.* Omne quippe qui dicit, nihil excipit. Hæc inter se concilient adversarii, vel apertius loquantur. Nec præterea procedit hæc d Adversariorum ratiocinatio. *Nomothesia feudalis certam formam tutelis non præscribit, nec tutores testamentarios expreße prohibet. At Bulla certam formam præscribit & ei contraveniri prohibet. Igitur Iure Feudali tutelæ testamentariæ sunt permissæ, feudali vero prohibitæ.* Vitiosa est enim hæc Adversariorum collectio: quia cum ipsis Adversariis fateri jure possumus, certam formam tutelis Electoralibus præscriptam Bullis Aureis esse. Sed (quod notandum hîc est) negamus, certam illam præscriptamque formam Testamentarias excludere vel exclusisse: quia forma tutelarum Electoralium Bullis aureis præscripta talis est, ut consanguinei, seniores, & proximi, de IVRE sint Tutores, id est legitimi tantùm, & testamentariis non ægrè cedentes.

VASALLVM Tutorem dare posse [illegible] & tamen alibi dicunt, Omnem [illegible] facultatem Vasallis ademptam.

b] d. p. 9. b. d. vers. Ita enim & pater.

c] p. 5. b. Vers. At jure feudali omnis testandi facultas.

d] p. 10. b. Vers. quia Nomothesia feudalis.

FEVDALIS Iuris & Bullarum Aurearum in Tutelis an sit [illegible]

Nec obstat ruthis similitudo, quam Adversarii e de Delphino Galliæ protulerũt hoc modo. *Sicut Delphino Franciæ regnum (quod ex [illegible] beneficio habet) per testamentum adimi non potest: Ita & senioris [illegible] Agnatis jus tutelæ & administrationis ex Aurea Bulla delatum [illegible].* Adversarii namq; à separatis prorsus argumentum ducunt, nempe à proprietate regni non alienandi (quod fatentur & concedunt omnes) ad Tutelam sive Administrationem regni, de qua nunc

e] p. 10. a. Vers. Sicut [illegible] Delphino.

ARGVMENTVM [illegible]

quæstio

quæstio est: & quam non abnuente *Lege Salica* testamento deferri posse fatentur & agnoscunt [a] ipsimet Adversarii. Imò quod apertissimum est, argumentum ita rectè necti poterit. Sicuti Delphino regnum Franciæ testamento vel conventione patris, cum Adgnatis licet proximioribus & senioribus habita, auferri non potest: Ita nec pater, nec sanctio, nec Bulla quæcunq; sit, jus de Tutela liberorum testandi Delphino vel Regi adimere potest. Vt eodem modo colligas rectè in hac præsenti controversia. Sicuti filio Electori pater jus succedendi in Electoratu adimere testamento vel pacto non potest: Ita nec jus de Tutela liberorum suorum disponendi: quia jus hoc nimis multis & antiquissimis juribus nixum est, ut patri auferri non possit, nisi vis illata & calcatis legibus naturalibus, gẽtium, divinis, Canonicis, civilibus & aliis &c. ut superius longe lateque probavimus. Vel ita. Sicuti Rex Delphino, primogenito suo, Delphinatum testamento vel pactione, auferre non potest; impuberi tamen matrem eius vel remotiorem Adgnatum tutorem dare potest: Ita quoque Elector Imperii primogenito vel proximiori proprietatem Electoratus testamento vel pacto auferre non poterit, & interim tamen primogenito impuberi tutorem dare poterit.

a] *p. 9 b, linea 1.*

NEC OBSTAT quod inquirere nolunt [b], vel dissimulant Adversarii rationes, *quominus etiam de Administratione Regni lex Salica formam dederit*. Multum est enim, quod ipsimet Adversarii fatentur [c], *ipsis Regibus Galliæ & Regni Proceribus prægnantes & necessarias in eo non defuisse*. Quia ex verbis Adversariorum colligo, æquè prægnantes & necessarias esse rationes in Imperio Germanico, ut Electores jus de liberorum suorum tutela disponendi habeant, nõ minus quàm Galliæ Reges. Vel proferant saltem Adversarii rationes prægnantes & necessarias differentiæ inter tutelas Regias testamentarias Galliæ, & tutelas Electorales Germaniæ. Nam si leviores protulerint, à prægnantibus & necessariis illis rationibus (quas Adversarii in regno Galliæ extare fatentur) recedere nephas eos fuerit.

b] *p. 10. a. vers. Quid vero causæ subfuerit.*

SALICÆ legis & Bullarum Aurearum an eadem sit ratio?

c] *p. 10. a. vers. cùm ipsis regibus.*

NEC OBSTAT rursus, quod aiunt [d] Adversarii, à *consuetudine vicinorum nihil solidi ad Germanorum leges invertendas inferri, existente præsertim diversitatis ratione*. *Primò* quia ipsimet Adversarii (ut Refutatione XXXVIIII. probavi) exemplis vicinorum Germaniæ Principum utuntur & usi sunt, & ita nobis præeunt, ut exemplis vicinarum Gentium pariter utamur. *Secundo* potest dici & defendi, licere nobis à vicinorum consuetudinibus argumentum ducere, ubi eadem

d] *p. 10 a. vers. cùm de consuetudine vicinorum.*

A CONSVETVdine vicinorum ad Germanicam an aliquid solidi possit inferri?

a] *l. ἀξίωσις. 9. π. de lege Rhodia.*

juris, æquitatis & honestatis est ratio. Et ita verò post Antoninum [a] Imperatorem Romani lege Rhodia non alia ratione sunt usi, quàm quòd lex illa Rhodia Nautica justissima & æquissima esset. *Tertio* licet concedatur Neoburgicis, à consuetudine vicinorum ad invertendas Germanorum leges argumentum duci non posse: hoc tamen præsenti causæ nihil oberit: quia negatur intellectus ille Bullis Aureis Germanicis à Neoburgicis adtributus, verus esse. Legem enim Germanicam appellant, pravam illam interpretationem, quam legi Germanicæ adfingunt præter & contra Ius Commune. Quemadmodum enim legem Germanicam rectè expositam, pro lege Germanica lubentes admittimus: ita contortam à vero sensu & legislatorum mente Neoburgicorum expositionem, pro lege Germanica nunquam agnoscere possumus.

¶ *Quintæ Refutationis Refutatio.*

b] *p. 2. b. vers. Auream Bullam.*

V.

INTELLECTVS Bullarum (qualis ab Electoralibus profertur) an sit peregrinus & ineptus?

c] *p. 10. a circa finem, versiculo: Cæterum peregrinus & ineptus.*

d] *p. 7. b. vers. ut præter & contra. & v. p. 5. & 16.*

e] *p 10 b in pr.*

SCRIPSERVNT [b] Electorales, ***Auream Bullam saltem***, id est, ***tantùm, in casu intestati locum habere, dispositionem vero ultimæ voluntatis de Tutela & Administratione minimè prohibere vel tollere, sed liberum ideo relinquere secundùm tenorem Iuris Communis, ut nihil novi aut diversi ab illo statuat, quam in definienda ætate aut in concursu plurium Adgnatorum.*** Sed Adversarii [c] illam Electoralium Adsertionem, vel illum Electoralium de Aurea Bulla & subsecutis eam Sigismundi Declarationibus intellectum, PEREGRINVM ET INEPTVM vocant.

SANE INIVRIA. [d] Tantùm enim abest, ut intellectus ille Electoralium sit peregrinus aut ineptus, ut ex mero puroque Iure Romano (quo cives utuntur, non peregrini, gentes Europæ præcipuæ politæ, civiles & non ineptæ) sit desumptus. Imò cùm Adversariorum intellectus sit à Iure Communi Romano remotissimus, & (ut ipsimet loquuntur) [e] præter & contra Ius Commune, dicendus est potius peregrinus & ineptus esse.

INTELLECTVS [illegible]

f] *libro 2. & 3.*

NEC PRIMVM obstat quod aiunt [f], *se illum intellectum Electoralium [illegible] rationibus ac fundamentis in [illegible]* DEMONSTRATIONE (libellus est ab Adversariis pro Illustrissimo Principe Neoburgico editus) DESTRVXISSE. Ad hanc enim Allegationem satis superque antea [g] respondimus.

NEC

NEC RVRSVS obstat quod aiunt [a] Adversarii, *Intellectum illum Electoralium* (tutelas scilicet testamentarias confirmantem) *in Resolutione Comitis Palatini Ioan. Casimiri omnimodo destrui, ita ut Electorales habituri non sint quod contradicant.* De hoc enim suo loco, (id est in Responsione dictæ Resolutionis) pleniùs, nullis rationibus penitus omissis vel dissimulatis videbimus.

a] *p. 10. b. vers. & ut in resolut.*

NEC TERTIO obstat [b] hoc Adversariorum argumentum. *Si ius civile seniorem & proximiorem Adgnatum ad tutelam vocat, cum clausula* NE ALITER FIAT, *sine dubio eam sanctionem nemo per testamentum infringere potest.* Igitur & *Bulla Aurea hoc sensu meritò accipienda est, cùm expresse disponat & vetet, ne cuiquam hominum liceat illi quoque modo contravenire.* Concedimus enim pacta, facta, promissa, disposita, vel iurata adversus leges, cassa & nullius esse momenti. Sed negamus, quidquam ab Electore piæ memoriæ factum aduersus Aureæ Bullæ intellectum vel sensum fuisse. Et ita, antequam hoc ab Adversariis probatum liquidò fuerit, argumentum eorum vanum & inane existet. Imò contendunt Electoralium testamentorum patroni, Adversarios peregrinum prorsus intellectum Aureæ Bullæ adfingere, qualem ab orbe penè condito maiores nostri vix audivere.

b] *p. 10. b. vers. Et sicut omni dubio.*

ALITER non est testatus defunctus Elector, quam Bullis Aureis Electori permittitur.

NEC OBSTAT rursus, quod Adversarij dicunt [c], *frivolam Electoralium argumentationem hanc esse: Non secus ac lege Civili, ita etiam lege Aurea Bullæ tutores legitimi non prius admittendi, quam testamentum defecerit.* Non enim video, cur hanc argumentationem frivolam & vitiosam consequentiam vocent, propter utriusque Iuris (Civilis scilicet & Germanici) summam inter se similitudinem. Nam ut antea probavimus, eadem prorsus in Germanicis Bullis, quæ in Civili Iure militat & valet ratio. Vt enim Romani morientes suos liberos amarunt, & eis in Tutelis prospexerunt, præsertim Proceres & Illustres [d] viri: eadem sanè, imò maiori ratione, Principes Electores suis quoque liberis in Tutelis consulere possunt. Quòd si displicebit Adversariis hæc Civilis & Germanici Iuris in Tutelis manifestissima & æquissima similitudo, in hac ergo Tutelæ controversia substantiales & fundamentales aliquot diversitatis rationes inter Ius Civile & Germanicum proferant: ut scilicet Civili Iure patri liceat liberis Tutorem eligere, Bullis autem Aureis Imperij non liceat. Sed tamen sequentem Adversariorum rationem expendamus.

c] *p. 10. b. vers. valeat itaque hæc frivola.*

ARGVMENTATIO hæc an valeat: Deficiente testamento Tutores legitimi Bullis admittuntur, ut & Iure Civili?

d] *l. unica. vers. quod tamen Cod. de Tutoribus vel Curatoribus Illustrium & Clarissimarum personarum.*

Ius Commune (inquiunt [e] Adversarij) *non aliter tutores legitimos vocat nisi cum expressa hac conditione: si testamentum nullum adsit. At*

e] *p. 11. a. linea 1. v. Ius enim commune.*

TVTORES legitimos an aliter vocent Bullæ Aureæ, quàm leges Romanæ?

enim Aurea Bulla nominat Seniorem & Proximiorem Adgnatum non modò purè, sed cum prohibitione expressa cuiuscunque contraventionis. Est igitur inter ius utrumque diversitas. Respondeo. Sanè hac parte inter Ius Civile & Bullas Imperatorias diversitas quædam est, sed extrinseca tantùm, & (ut ita loquar) in cortice, non in medulla vel stirpe. Nam licet Bulla Aurea seniorem & proximiorem Adgnatum, Tutorem, cum prohibitione expressa cuiuscunque contraventionis vocare videatur: non tamen Testamentarium Tutorem excludit, si tacitè & per æquipollentia verba, Sigismundi Declaratio Testamentario Tutori locum facit. Nam ut tacitum non minus, imò interdum magis, operatur quàm expressum: ita æquipollentibus verbis aliquid exprimere satis superque sufficit, ut ipsimet fatentur [a] Adversarij. Atqui multis antea [b] probavimus: tacitam illam sententiam Aureæ Bullæ esse, & æquipollentibus verbis expressam, ut Elector de liberorum suorum Tutela testari possit. Igitur Bulla Aurea proximiorem & seniorem Adgnatum, Tutorem non purè nominat, sed sub conditione hac, *si nullus Testamentarius Tutor extiterit.*

a [p. 11. paulo ante finem Versic. Deinde sciendum est: ibi sive per æquipollentia.

b] Adsertione 8. & Refutatione. 1. 2. 3. 4. 5

NEC OBSTAT rursus hæc Adversariorum similitudo. *Sicut* [c] *ius Cæsareum non permittit, ut uxori vel liberis secundi matrimonii plus relinquatur, quam liberis prioris tædæ: aut ut usufructuario cautio, aut ut tutori rationis exactio remittatur, nec per testamentum quidem: non alia ratione, quam quòd legibus perpetuò valituris ita sancitum est: Ita ius Tutelæ & Administrationis debitum per Auream Bullam seniori atque proximiori Adgnato, sine suo facto & culpa, atque adeò sine cognitione legitima tolli per privatam dispositionem defuncti Electoris non potest: cum nemo ius publicum remittere possit, aut mutare formam antiquitus constitutam.* *Primum* enim dici potest, frustra hæc Electoribus ab Adversariis obiici. Probatum est enim, defunctum Electorem nihil adversus legis vel juris publici prohibitionem, expressam vel tacitam, vel etiam sententiam aut mentem disposuisse. *Secundo* dici etiam potest, proximiorem & seniorem Adgnatum *suo facto* jus Tutelæ Electoralis respuisse: quia repromittere defuncto Electori noluit, quod repromittere necessitate muneris & officij sui debuit: nempe rem pupillorum Electoralium salvam fore, cùm tamen hoc repromittere debuerit, vel tanquam tutor, administrator & curator, vel tanquam fructuarius aut usuarius, vel tanquam fideicommisso restituendæ administrationis (puberi scilicet facto Electori) gravatus: vel tanquam procurator generalis Electoratus à lege constitutus: vel tanquam negotiorum gestor

c [p. 11. a Vers. Et sicut ius Cæsareum non permittit,

DEFVNCTVS Elector nihil adversus ius aut Adgnatum verba vel mentem admisit?

ADVERSARII facto suo ius Tutelæ respuerunt.

gestor: ut & superius [a] multis rationibus probavimus. Hoc etiam satis testantur Adversarij cùm hic [b] adserunt: usufructuario, cautionem, & Tutori rationis exactionem, ne quidem per testamentum, remitti. *Tertio* potest dici, in huiusmodi arduis & magni momenti Tutelis & earum possessione adipiscenda, prævias causæ cognitiones legitimas, vulgares & ordinarias non requiri, sed quòd arduæ graves & periculosæ sint, Tutorem Testamentarium (voluntatem expressam Electoris defuncti & procerum eius, omniumque ordinum consensum habentem) protinus officio suo incumbere, & rem pupilli gerere posse: quia tantæ tutelæ (quod omnes sciunt) prolixiorem dilationem minimè ferunt, ac propterea celerem admodum gestionem exigunt, ut ideo prævia causæ tutelaris cognitio legitima (id est ordinaria, vulgaris & usitata) requiri in adipiscenda tantæ Tutelæ possessione non debeat. *Quarto* non potest dici, Laicorum Electorum dispositiones, privatas dispositiones esse. Magistratus enim sunt, & quidem maximi: quales in Imperio vix totidem, quot *Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili*. Et eò quidem magis, quòd omnimoda jurisdictione hereditaria, & omni imperio mero præditi & post Imperatoriam & regiam dignitatem omnium primi (ut Adversarij scriptis sunt professi) possint optimo jure secundùm [c] jus suæ potestatis, jurisdictionem suam vel pœnali iudicio, vel possessionis retentione, vel simili juris remedio necessario defendere.

a] *Adsertione 15.*

b] *p. 11. a. vers. Et sicut: ibi aut usufructuario.*

ORDO IVRIS vulgaris & consuetus an requiratur in adipiscenda possessione Tutelæ Electoralis?

LAICORVM Electorum dispositiones an possint dici privatæ dispositiones?

c] *l. unica in pr. ff. si quis ius dicenti non obtemperaverit.*

NEC OBSTAT, quòd Adversarij hoc argumentum Electoralium (*Testamenti factio non est in Aurea Bulla prohibita, igitur est permissa.*) verbis eludunt: dicendo, [d] *non hic quæri, an Elector testari possit.* Quia contrarium verum est, & omnino hæc potissima controversia est: An Elector testari de Tutela liberorum suorum possit. Enimverò dicentibus Electoribus, se testari de Tutela liberorum posse, Neoburgici fortiter se opponunt, & contrà adserunt, Electoribus de Tutela liberorum suorum testari non licere, vel aliter quàm secundùm legem Bullę non licere, (quod eodem redit. Vnde sequitur, hanc principalem inter Electores & Adversarios quæstionem esse: An Elector testari possit?

PRINCIPALIS quæstio utrum hæc sit: An Elector testari possit?

d] *pagina 11, b. Vers. Nec refert ibi, Neque enim hic quæritur.*

NEC OBSTAT quod aiunt [e] Adversarij: *Principalem hic esse quæstionem: An ab Electore testamentum fieri possit, contra tenorem Aureæ Bullæ, propter verba* I°. & VII°. *Titulo posita: & rursus propter* [f] *verba Declarationis Imperatoris Sigismundi.* Nam ad illas objectiones Bulla

e] *p. 11 b. vers. at testamentum p. 12 a.*

f] *p. 12. b vers. Quibus conveniunt verba declarationis & p. 25.*

a] lib 3. Refutatione 1. 2 3. 4. 5.

Bullarum & Declarationum Imperialium superius [a] plenissimè responDimus.

b] p. 14. linea 1. & seq.

c] d pag. 14 linea 1.

d] l. Nemo potest 55. ff. de legat. 1.

e] Bald. in c. Venerabilem c. 4. de Elect. Heigius parte 1. q. 5. vers. 2.

Nec etiam movet, quòd ex prædictis Bullis & Declarationibus talem extruunt [b] Adversarij syllogismum, quem Bipontinis (sic enim appellant Serenissimi Ducis Iohannis Bipontini, Administratoris Testamentarij Electoralis, consiliarios, & causarum eius patronos) examinandum proponunt. *Quicquid* [c] (inquiunt) *a Cæsare & Imperij Statibus, sub gravissimis pœnis mutari est prohibitum, id* [d] *per testamentum (etiam ipsius patris Electoris) depravari, corrigi aut tolli nullo modo potest.* Imò *nec contraria Imperatorum, Pontificum & Electorum sanctione everti mutari vel abrogari potest forma* [e] *pro Statu Imperij generaliter constituta: sicuti nec Principi fundamentales sui Principatus leges antiquare licet.* Atqui *tam Aurea Caroli* IIII. *Bulla & Declaratione Sigismundi Imperatoris sancitum est, ut defuncti Electoris filii minorennes sint sub tutela et administratione senioris et proximioris Adgnati. Ergo seniori & proximiori Adgnato hoc ius per defuncti Electoris testamentum mutari aut prorsus auferri nullo modo potest.* Prædictis omnibus namq; respondere commodè possumus. *Primum* enim Maiorem admittimus, nempe, *Prohibita* [f] *legibus, mutari à nullo regulariter posse.* Minorem verò (qua traditur, *Tutelas* [g] *Electorales proximiori & seniori Adgnato Bullis Aureis delatas esse*) distinguimus sequentem in modum. Veram enim fatemur, Electoribus ab intestato mortuis: testatis verò, pernegamus. quia Sigismundi Declaratio vult, *proximiorem & seniorem Adgnatum de Iure Tutorem & Administratorem esse debere*, id est (quod sæpe diximus) Tutorem esse, ut sunt alij de Iure Tutores, qui Testamentariis cedunt. Vult denique Sigismundus, ut proximior & senior Adgnatus illo titulo, iure, gradu vel ordine sit contentus, nec aliud ius vberius appetat. Et hanc quidem interpretationem ex apertissimis verbis & intima prædictarum Bullarum sententia Iuri Communi consentanea desumimus, non aliunde (quod faciunt Adversarij) præter & contra jus commune. *Secundò*. Licet Adversariis concederetur, *Proximiori & seniori Adgnato Tutelam Electoralem Bullis Imperatoriis deferri, exclusis omnibus testamentariis tutoribus:* non tamen simpliciter & abscisè sequeretur, Bullas ipsas Imperatorias ab Electoribus mutari non posse, novis causis emergentibus in persona proximioris & senioris Adgnati. Æquitas enim & ius ipsum postulat, ut Electori rem liberorum & dominiorum suorum in tuto tunc collocare liceat, & liberis testamento condito consulere, etiamsi proximum & seniorem

PROHIBITA legibus mutari non possunt.

f] p. 14. a. linea 3. ibi: Quidquid.

g] p. 14. a. vers. Atque ita.

TVTELÆ Electorales proximiori & seniori Adgnato quomodo Bullis Aureis sint delatæ?

BVLLÆ Aureæ an possint præteriri ab Electoribus ob novas causas emergentes?

rem

tem Adgnatum aliquem habeat. Huic enim, suo tantùm ordine se Princeps Elector debet, post liberos scilicet, vel postquam liberis suis consuluerit. Prospiciens itaque Elector secuturas mutationes, liberis & subditis minimè commodas, liberorum bonorumque Electoralium servandorum causa, possessionem rerum utrisque relinquere potest: quia non cogitur (etiamsi enormis illa, quam fingunt Neoburgici, Tutela Bullis Aureis introducta esset) possessionem bonorum proximiori & Seniori Adgnato tradere, priusquam pacta sua prior impleverit, id est promiserit saltem, se Tutorem & Administratorem (quod Aureæ Bullæ Imperatoriæ volunt) commodum fore, & liberis subditisque Electoralibus, statum integrum servaturum, nihilve in eo mutaturum. Et ita ex parte senioris & proximioris Adgnati videtur hîc quodammodo intervenire contractus *Facio ut des*. Verbi gratia: *Promitto vel iuro, me sua die statum Electoralem integrum, totaliter & protinus* (quæ verba Bullæ Aureæ sunt) *adsignaturum*, id est restituturum, *si bona Electoralia mihi administranda commiseris*. Ex parte verò Electoris videtur esse quasi *Do ut facias*: vel *ut hoc & illud promittas*: vel potius, *Tutelam meorum liberorum tibi permittam, si promiseris & iuraveris, quod Imperatoria Bullæ à te re ipsa præstari iubent*. His ita positis omnes vident, Illustrissimum Principem Neoburgicum moram in contractu implendo admisisse: quem implere facilè potuit iurando, vel saltem sub fide Principis promittendo, rem pupillorum & subditorum salvam fore. nec enim fideiussores ab eo defunctus Elector exegit. Nullam hîc facti vel iuris impossibilitatem allegare vel proferre possunt Adversarij. Quid enim facilius fuit, quàm vel iurare vel promittere, res liberorum & subditorū integras & salvas semper fore, & sua die Electori puberi facto totaliter (ut vult Sigismundus) restitutum iri? Conditio hæc potestativa (ut loquuntur nostri) fuit, proclivis & facilis proximiori & seniori Adgnato: ut cùm eam nondum impleverit, moram ipse admisisse sit dicendus.

TVTELÆ Testamentariæ, an Bullis tacitè & æquipollentibus verbis prohibitæ?

NEC RVRSVS movet, quod Adversarij dicunt[a]: *Tutelas quidem Testamentarias Iure Communi inductas, Bullis Aureis non quidem expressè sed tacitè, non propriis verbis, sed per æquipollentia verba prohibitas esse. Et sic Bullarum Aurearum contrariarum tacitam sententiam Iuri Communi hac parte derogare, & illud corrigere vel mutare posse. Idem enim censeri, aliquid expresse, & propriis verbis, & per æquipollentia verba exprimi.* Multum est enim quod fatentur Adversarij, Bullis Aureis Tutelas Testamentarias Electorales non expresse nec propriis ver-

a] *p. 15. a. vers. Respondetur enim primo.*

FATENTVR Adversarii, Bullis Imperatoriis tutelas testamentarias exclusas non esse expressis verbis, sed tacitè, & verbis æquipollentibus, ex tacita contrariarum Bullarum sententia.

bis, sed tacitè, tantùm ex mente Bullarum ipsarum, & per æquipollentia duntaxat verba prohibitas esse. Hinc enim apparet, Adversarios hactenus non rectè objecisse Bullas Aureas, quasi NOTORIVM ET VISIBILE IVS prorsus continentes. Hinc etiam apparet, Adversarios verbis propriis & expressis Bullarum in hac controversia destitui, & Bullarum tantùm sententiâ, tacitoque intellectu, vel ad summum verbis æquipollentibus niti. Atqui quàm plurimis Adsertionibus & Refutationibus superiùs docuimus, Adversarios Bullarum Aurearum sententiam nullam, ac ne quidem apparentem vel coloratam proferre posse, qua demonstrent tutelas testamentarias Bullis exclusas esse. Imò veriores & quàm plurimas iam protulimus rationes, propter quas tutelæ testamentariæ Electorales nec sint sublatæ, nec insuper everti ullo modo potuerint. Deinde verba æquipollentia hîc ab Adversariis exigimus, quibus probent testamentarias Electorales tutelàs prohibitas esse.

AN HIC agatur de prohibitione Testamẽtariæ Tutelæ, an verò de modo testandi?

a] p. 15. a. paulo ante finem.
b] id est, pagina 11. b. in fin.
c] d. p. 11.

NEC RVRSVS movet, quod iidem Adversarij repetunt [a], *supra* [b] *dictum esse, non hic agi de prohibitione tutelæ testamentariæ, sed de modo testandi*: id est, non hîc agi vel quæri, an Elector possit testari, sed an in eius facultate sit, Aureæ Bullæ quolibet modo (etiam per testamentum) contravenire? Quia (ut illo loco notavimus [c]) hîc (id est in hac causâ Tutelari) hoc potissimum quæritur: Vtrum Elector possit de liberorum & subditorum suorum Tutela per Aureas Bullas testari? & ibidem quoque probavimus, piæ memoriæ Principem nihil contra Bullas Imperatorias testamento suo disposuisse.

ABSVRDA an sequantur ea, quæ dicunt Neoburgici, admissis Tutelis Testamentariis Electoralibus?

d] p. 15. b. a. in f. & b. in pr.
e] dict. Refutat. 34.
f] dict. Refutat. 28.
g] dict. Refutat. 29.

NEC RVRSVS movent ea quæ velut absurda Adversarij in medium proferunt [d]: hæc scilicet: *Admissis tutelis testamentariis Electoralibus, in mero Electoris arbitrio fore, ut tutela filii anno XIIII. finiatur: deinde ut* [e] *dividantur Principatus Electorales: tertiò ut tollatur ius primogenituræ: quartò ut plures* [f] *sint tutores: quintò ut non solùm eiusdem familiæ, sed &* [g] *exteri, tutores fiant: sextò ut dentur etiam tutores peregrini: septimò, ut fœminæ (matres & aviæ) ad tutelam & administrationem Electoralem (& consequenter ad vocem, munus & dignitatem eligendi Romanorum Regem in Imperatorem promovendum, & ad iudicandas Cæsaris causas, & sic ad officium Vicariatus & Archidapiferia) admittantur. quod absurdum, & in Imperio hactenus inauditum, & Germanicæ nationi magno damno & dedecori futurum esset.* Prædi-

cta

cta (inquam) absurda ab Aduersariis prætensa vel opposita, movere minimè nos debent. *Primo* quia absurda prædicta ad Thesin tutelæ testamentariæ diriguntur, non autem ad Hypothesin, nec ad Tutores à defuncto Electore testamento datos. Nulli enim tales ab eo dati sunt, quales hîc ab Adversariis, veluti in somnio, nominati. Et sic absurda illa speciosa, extra præsentem controversiam ab Adversariis sunt prolata. Sciunt enim Adversarij & quidem manifestissimè, defunctum Electorem nec filij tutelam anno XIIII. finivisse, nec Principatus Electorales divisisse, nec ius primogenituræ sustulisse, nec plures, nec extraneos, nec peregrinos, nec avias aut matres ad vocem, munus & dignitatem eligendi Romanorum Regis in Imperatorem, & ad iudicandas Cæsaris causas, & sic ad officium Vicariatus aut Archidapiferiæ elegisse. Hæc itaque absurda meticulosa, extra oleas & præsentem controversiam ab Adversariis allegata sunt. *Secundo*. Cum dicimus Electorem de liberorum suorum Tutela liberè testari posse, sanè secundùm leges & Ius Commune id dicimus & intelligimus: nempe vt possit eos tutores dare, quos lex, Ius Commune, vel honestatis ratio dari vel eligi permittit, non eos quos lex prohibet, non etiam ut Jus Commune suum ad arbitrium inflectat, vel mutet, quemadmodum alibi [a] diximus. Verba legum & loquentium civiliter semper accipienda sunt: hoc est ad personas habiles, capaces & idoneas referenda. alioquin verba legum & loquentium cavillabimur, non interpretabimur.

a] *Refutatione 28, 29. 34. 35.*

NEC OBSTAT quod aiunt [b] Adversarij, *ex prædictis liquere, verum non esse quod asseritur, Auream Bullam nihil habere novi aut diversi a Iure Communi, nisi definitionem legitimæ ætatis, & restrictionem Tutelæ ad unam personam in concursu plurium Adgnatorum eiusdem gradus. Nam* (inquiunt Neoburgici) *præter illa duo singularia & à Iure Communi exorbitantia, hoc quoque sancitum, ut solus senior & proximior Adgnatus de Iure Tutor sit & Administrator: et quidem addita clausula* [c] *hac derogatoria: ET NON ALITER FIAT: Cuius virtus in eo consistit, ut contra eam disponi a privatis nullo modo possit. Id quod* (inquiunt Neoburgici) *sibi tacendum putavit adversarii scripti autor, id est is qui pro Tutelis Testamentariis Electoralibus scripsit, ne læsæ suæ conscientiæ nota omnibus innotescat.* *Primò* quia (ut Refutatione XII. docuimus) Bullis Aureis plura alia sunt inducta contra Ius Com-

b] *p. 15. b. in fin. vers. Inde igitur liquet.*

NOVA IVRA de Tutelis quæ sint per Auream Bullam inducta: Et an inter illa nova iura sit hoc: ut Electus non possit de Tutela liberorum testari?

c] *intelligere videntur Adversarii Clausulam illam: Nulli ergo penitus hominum liceat &c. quæ in Sigismundi Bulla extat in fin.*

mune, quàm quæ hîc ab Adversarijs referuntur. *Secundò* hoc postremum (quod est scilicet de Tutela singulari & à Iure Communi exorbitante) nulla parte Bullarum, nec in verbis, nec in sensu continetur. Doceant itaque quod ipsi conceptis verbis asserunt: Nempe Carolum IIII. vel Sigismundum Imperatores his, vel similibus, vel æquipollentibus verbis usos fuisse: *Nos de Tutelis Electoralibus ius novum* [a], *singulare, & ab antiquo Iure Communi & Latino planè diversum inducimus*: vel: *Nos unam tantum & solam speciem Tutelæ Legitimæ, quæ Testamentarias excludat, inducimus*: vel: *Præter* [b] *& contra Ius Commune, novam* [c], *diversam & singularem* [d], *& exorbitantem a Iure Communi hanc Tutelam Electoralem esse volumus & iubemus*. Aliquid tale præter & contra Ius Commune si voluissent Imperatores illi duo statuere vel inducere, sine dubio prædictis verbis & formulis usi publicè fuissent. Sed cùm nihil tale Bullis superioribus nominatim sit insertum, nec tale quoque subintelligi tacitè possit (ne scilicet Ius commune & apertissimum obscuris & non apertis verbis subvertamus) potest ex illis Bullis certò colligi, duos illos Imperatores (Carolum scilicet IIII. & Sigismundum) Ius Commune de Tutelis Electoribus integrum & in suo statu reliquisse. *Tertiò* esto: & inserta sit (ut volunt Adversarij) prædictis Bullis clausula hæc derogatoria, ET NON ALITER FIAT: prædicta tamen clausula derogatoria suam causam juvare vel promovere Neoburgici non poterunt. Hæc enim unica & simplex, & vera sententia fuerit: Tunc proximior & senior Consanguineus de Ivre Tvtor esse debeat, & non aliter fiat: id est, eo modo sit Tutor quo solent alij de Iure Tutores esse, & non aliter sit Tutor. illo titulo, gradu & ordine sit contentus: nec aliter de legitima tutela adversus testamentariam litiget: plus iuris ne sumat, quàm sibi sumere possunt ordinariè cæteri de Iure Tutores. Aliter Tutor ne fiat: nec ad Tutelam Electoralem pupilli vel iuvenis aliter admittatur, quàm solent legitimi de Iure Tutores, id est, deficientibus tantùm & non existentibus Testamentariis Tutoribus. Addo etiam, Cùm in casu juris ad tutelam ex hac lege vocatus fuerit, tunc TVTOR ESSE DEBEAT ET TENEATVR, ut verba Sigismundi habent: quibus cùm addatur, ET NON ALITER FIAT, tanto enixiùs & seriosiùs hoc ei injungitur; omneque subterfugium, tergiversatio, excusandi prætextus ei adimitur & præciditur. Peccant itaque Neoburgici

a] *pag. 5. vers. Sigismundo ius novum.*
b] *p. 7. b. ibi: ut præter & contra Ius Commune.*
c] *p. 15. b. in fin. ibi, nihil novi aut diversi à Iure Communi.*
d] *p. 16. a. ibi, Nam præter sex duo singularia & à Iure Communi exorbitantia.*

CLAVSVLA, ET NON ALITER FIAT, quam vim habeat?

burgici

burgici graviter in illam Sigismundi clausulam: quia volunt, ut proximior & senior Adgnatus ALITER sit Tutor & Curator quàm sunt vel esse solent cæteri DE IVRE Tutores. Tantum itaque abest, ut illa clausula, *Et non aliter fiat*, noceat Electoralibus, ut contra prosit eis maximè, & apertissimam eorum causam reddat. Et rursus tantum abest, ut prædicta clausula prosit vel prodesse Adversariis debeat, ut eis silentium contrà imponat, & eos à judicii limine repellat: quia ALITER adserunt proximiori & seniori Adgnato tutelam, quàm de jure Tutores & Curatores possint vel soleant.

Non est itaque cur adversarii eum notent, qui pro hac Tutela Testamentaria Electorali publicum scriptum luculentum edidit: quasi in suo scripto prædictam clausulam, *Et non aliter fiat*, omiserit: vel quasi notatæ, id est læsæ conscientiæ reum vel culpabilem. Peritissimus enim Iuris & sincerus candidusque ille autor est, qui rem totam, id est, Sigismundi mentem ex puris fontibus Iuris Romani, sincerà conscientià eruit, qui monstrosam & prodigiosam tutelam fugiendam esse cognovit, qui verum sensum & intellectum Bullarum detexit, & Testamentariis Tutelis jus suum adseruit.

NEC RVRSVS obstat, quod Neoburgici scripti autor his verbis utitur [a]: *Adhæc* (inquit) *velim, ut Autor ille* (qui scilicet testamentarias tutelas Electorales scripto elegantissimo & doctissimo defendit) *respondeat sine omni fuco & remotis subterfugiis ambagibus: Si non ex Aurea Bulla, sed ex Iure Communi, & testatis Domini Electoris* (ultimò defuncti) *voluntate, usurpat nomen Tutoris Bipontinus, quomodo non apertis solenniter Tabulis, non citatis propinquis, non facto inventario* [b], *non præstito debito juramento, non petita a Superiore confirmatione*, INVADERE *potuit jus Administrationis* SINE NOTA VIOLENTIÆ, SVSPICIONIS, INTRVSIONIS? *Nam ea omnia Iuris Communis sunt, & ab eius observatoribus nequaquam negligenda: præsertim cum Imperii legibus expresse cautum sit, ne quis sub testamenti prætextu, vel vocatus a lege, aut etiam a magistratu datus tutor, administrationem suscipiat, antequam sit a magistratu confirmatus, ut patet ex Recessu Imperii & Reformatione Politiæ de anno* CIↃ IↃ XXXXVIII. *Nec enim audiendum esse, qui Cæsaris nescio quam confirmationem prætendit* (id est, qui ait Cæsarem confirmasse id testamentum, quod *Serenissimo* Bipontino Tutelam Electoralem defert vel detulit) *id enim nullo modo probari posse: aut Cæsarem* [c] *importunitate petentium circumventum: ac propterea nullius esse valoris* (*per ipsam etiam Auream Bullam*) *quod Cæsar ita statuerit; præser-*

a] *p. 16. vers. Adhæc verò velim.*

b] *p. 16. b. in pr.*

CONVICIA à Neoburgicis iactata adversus Administratorem Testamentarium attecia.

c] *p. 17. a. in pr.*

a] *l. ἀξίωσις. 9. π. de lege Rhodia.*

juris, æquitatis & honestatis est ratio. Et ita verò post Antoninum [a] Imperatorem Romani lege Rhodia non alia ratione sunt usi, quàm quòd lex illa Rhodia Nautica justissima & æquissima esset. *Tertio* licet concedatur Neoburgicis, à consuetudine vicinorum ad invertendas Germanorum leges argumentum duci non posse: hoc tamen præsenti causæ nihil oberit: quia negatur intellectus ille Bullis Aureis Germanicis à Neoburgicis adtributus, verus esse. Legem enim Germanicam appellant, pravam illam interpretationem, quam legi Germanicæ adfingunt præter & contra Ius Commune. Quemadmodum enim legem Germanicam rectè expositam, pro lege Germanica lubentes admittimus: ita contortam à vero sensu & legislatorum mente Neoburgicorum expositionem, pro lege Germanica nunquam agnoscere possumus.

❡ *Quintæ Refutationis Refutatio.*

b] *p. 2. b. vers. Auream Bullam.*

V.

INTELLECTVS Bullarum (qualis ab Electoralibus profertur) an sit peregrinus & ineptus?

c] *p. 10. a circa finem, versiculo: Caterum peregrinus & ineptus.*

d] *p. 7. b. vers. ut præter & contra. & V. p. 5 & 16.*

e] *p 10. b in pr.*

Scripservnt [b] Electorales, ***Auream Bullam saltem***, id est; ***tantùm, in casu intestati locum habere, dispositionem verò ultimæ voluntatis de Tutela & Administratione minimè prohibere vel tollere, sed liberum ideo relinquere secundum tenorem Iuris Communis, ut nihil novi aut diversi ab illo statuat, quam in definienda ætate aut in concursu plurium Adgnatorum.*** Sed Adversarii [c] illam Electoralium Adsertionem, vel illum Electoralium de Aurea Bulla & subsecutis eam Sigismundi Declarationibus intellectum, peregrinvm et ineptvm vocant.

Sane inivria. [d] Tantum enim abest, ut intellectus ille Electoralium sit peregrinus aut ineptus, ut ex mero puroque Iure Romano (quo cives utuntur, non peregrini, gentes Europæ præcipuæ politæ, civiles & non ineptæ) sit desumptus. Imò cùm Adversariorum intellectus sit à Iure Communi Romano remotissimus, & (ut ipsimet loquuntur) [e] præter & contra Ius Commune, dicendus est potius peregrinus & ineptus esse.

INTELLECTVS Bullarum ab Electoralibus prolatus, nec a Neoburgicis [illegible] nec [illegible] Refutatione solide refutatur.

f] *libro 2. & 3.*

Nec primvm obstat quod aiunt [f], *se illum intellectum Electoralium [illegible] rationibus ac fundamentis in fine dict.* Demonstrationis (libellus est ab Adversariis pro Illustrissimo Principe Neoburgico editus) destrvxisse. Ad hanc enim Allegationem satis superque antea [g] respondimus.

NEC RVRSVS obstat quod aiunt [a] Adversarii, *Intellectum illum Electoralium* (tutelas scilicet testamentarias confirmantem) *in Resolutione Comitis Palatini Ioan. Casimiri omnimodo destrui, ita ut Electorales habituri non sint quod contradicant.* De hoc enim suo loco, (id est in Responsione dictæ Resolutionis) plenius, nullis rationibus penitus omissis vel dissimulatis videbimus.

a] *p. 10. b. vers. & ut in resolut.*

NEC TERTIO obstat [b] hoc Adversariorum argumentum. *Si ius civile seniorem & proximiorem Adgnatum ad tutelam vocat, cum clausula* NE ALITER FIAT, *sine dubio eam sanctionem nemo per testamentum infringere potest.* Igitur & *Bulla Aurea hoc sensu meritò accipienda est, cum expresse disponat & vetet, ne cuiquam hominum liceat illi quoque modo contravenire.* Concedimus enim pacta, facta, promissa, disposita, vel iurata adversus leges, cassa & nullius esse momenti. Sed negamus, quidquam ab Electore piæ memoriæ factum aduersus Aureæ Bullæ intellectum vel sensum fuisse. Et ita, antequam hoc ab Adversariis probatum liquidò fuerit, argumentum eorum vanum & inane existet. Imò contendunt Electoralium testamentorum patroni, Adversarios peregrinum prorsus intellectum Aureæ Bullæ adfingere, qualem ab orbe penè condito maiores nostri vix audivere.

b] *p. 10. b. Vers. Et sicut omni dubio.*

ALITER non est testatus defunctus Elector, quàm Bullis Aureis Electori permittitur.

NEC OBSTAT rursus, quod Adversarij dicunt [c], *frivolam Electoralium argumentationem hanc esse: Non secus ac lege Civili, ita etiam lege Aureæ Bullæ tutores legitimi non prius admittendi, quam testamentum defecerit.* Non enim video, cur hanc argumentationem frivolam & vitiosam consequentiam vocent, propter utriusque Iuris (Civilis scilicet & Germanici) summam inter se similitudinem. Nam ut antea probavimus, eadem prorsus in Germanicis Bullis, quæ in Civili Iure militat & valet ratio. Vt enim Romani morientes suos liberos amarunt, & eis in Tutelis prospexerunt, præsertim Proceres & Illustres [d] viri: eadem sanè, imò maiori ratione, Principes Electores suis quoque liberis in Tutelis consulere possunt. Quòd si displicebit Adversariis hæc Civilis & Germanici Iuris in Tutelis manifestissima & æquissima similitudo, in hac ergo Tutelæ controversia substantiales & fundamentales aliquot diversitatis rationes inter Ius Civile & Germanicum proferant: ut scilicet Civili Iure patri liceat liberis Tutorem eligere, Bullis autem Aureis Imperij non liceat. Sed tamen sequentem Adversariorum rationem expendamus.

c] *p. 10. b. Vers. valeat itaque hac frivola.*

ARGVMENTATIO hæc an valeat: Deficiente testamento Tutores legitimi Bullis admittuntur, ut & Iure Civili?

d] *l. unica. vers quod tamen Cod. de Tutoribus vel Curatoribus Illustrium & Clarissimarum personarum.*

Ius Commune (inquiunt [e] Adversarij) *non aliter tutores legitimos vocat nisi cum expressa hac conditione: si testamentum nullum adsit. At*

e] *p. 11. a. linea 1. v. Ius enim commune.*

TVTORES legitimos an aliter vocent Bullæ Aureæ, quàm leges Romanæ?

enim Aurea Bulla nominat Seniorem & Proximiorem Adgnatum non modo purè, sed cum prohibitione expressa cuiuscunque contraventionis. Est igitur inter jus utrumque diversitas. Respondeo. Sanè hac parte inter Ius Civile & Bullas Imperatorias diversitas quædam est, sed extrinseca tantùm, & (ut ita loquar) in cortice, non in medulla vel stirpe. Nam licet Bulla Aurea seniorem & proximiorem Adgnatum, Tutorem, cum prohibitione expressa cuiuscunque contraventionis, vocare videatur: non tamen Testamentarium Tutorem excludit, si tacitè & per æquipollentia verba, Sigismundi Declaratio Testamentario Tutori locum facit. Nam ut tacitum non minus, imò interdum magis, operatur quàm expressum: ita æquipollentibus verbis aliquid exprimere satis superque sufficit, ut ipsimet fatentur [a] Adversarij. Atqui multis antea [b] probavimus: tacitam illam sententiam Aureæ Bullæ esse, & æquipollentibus verbis expressam, ut Elector de liberorum suorum Tutela testari possit. Igitur Bulla Aurea proximiorem & seniorem Adgnatum, Tutorem non purè nominat, sed sub conditione hac, *si nullus Testamentarius Tutor extiterit.*

a] p. 11. *paulo ante finem Versic. Deinde idem est: ibi sive per æquipollentia.*

b] *Adsertione 8. & Refutatione, 1.2.3.4.5*

NEC OBSTAT rursus hæc Adversariorum similitudo. *Sicut* [c] *jus Cæsareum non permittit, ut uxori vel liberis secundi matrimonii plus relinquatur, quam liberis prioris tædæ: aut ut usufructuario cautio, aut ut tutori rationis exactio remittatur, nec per testamentum quidem: non alia ratione, quàm quòd legibus perpetuò valituris ita sancitum est: Ita ius Tutelæ & Administrationis delatum per Auream Bullam seniori atque proximiori Adgnato, sine suo facto & culpa, atque adeò sine cognitione legitima tolli per privatam dispositionem defuncti Electoris non potest: cùm nemo ius publicum remittere possit, aut mutare formam antiquitus constitutam.* *Primum* enim dici potest, frustra hæc Electoribus ab Adversariis obiici. Probatum est enim, defunctum Electorem nihil adversus legis vel juris publici prohibitionem, expressam vel tacitam, vel etiam sententiam aut mentem disposuisse. *Secundò* dici etiam potest, proximiorem & seniorem Adgnatum *suo facto* jus Tutelæ Electoralis respuisse: quia repromittere defuncto Electori noluit, quod repromittere necessitate muneris & officij sui debuit: nempe rem pupillorum Electoralium salvam fore, cùm tamen hoc repromittere debuerit, vel tanquam tutor, administrator & curator, vel tanquam fructuarius aut usuarius, vel tanquam fideicommisso restituendæ administrationis (puberi scilicet facto Electori) gravatus: vel tanquam procurator generalis Electoratus à lege constitutus: vel tanquam negotiorum gestor

c] p. 11. a Vers. *Et sicut ius Cæsareum non permittit,*

DEFVNCTVS Elector nihil adversus Bullarũ Aurearum verba vel mentem admisit!

ADVERSARII facto suo ius Tutelæ respuerunt.

gestor: ut & superius [a] multis rationibus probavimus. Hoc etiam satis testantur Adversarij cùm hic [b] asserunt: usufructuario, cautionem, & Tutori rationis exactionem, ne quidem per testamentum, remitti. *Tertiò* potest dici, in huiusmodi arduis & magni momenti Tutelis & earum possessione adipiscenda, prævias causæ cognitiones legitimas, vulgares & ordinarias non requiri, sed quòd arduæ graves & periculosæ sunt, Tutorem Testamentarium (voluntatem expressam Electoris defuncti & procerum eius, omniumque ordinum consensum habentem) protinus officio suo incumbere, & rem pupilli gerere posse: quia tantæ tutelæ (quod omnes sciunt) prolixiorem dilationem minimè ferunt, ac propterea celerem admodum gestionem exigunt, ut ideo prævia causæ tutelaris cognitio legitima (id est ordinaria, vulgaris & usitata) requiri in adipiscenda tantæ Tutelæ possessione non debeat. *Quartò* non potest dici, Laicorum Electorum dispositiones, privatas dispositiones esse. Magistratus enim sunt, & quidem maximi: quales in Imperio vix totidem, quot *Thebarum portæ, vel divitis ostia Nili*. Et eò quidem magis, quòd omnimoda iurisdictione hęreditaria, & omni imperio mero præditi & post Imperatoriam & regiam dignitatem omnium primi (ut Adversarij scriptis sunt professi) possint optimo iure secundùm [c] ius suæ potestatis, iurisdictionem suam vel pœnali iudicio, vel possessionis retentione, vel simili iuris remedio necessario defendere.

a] *Assertione 55.*

b] *p. 11. a. vers. Et sunt: ibi aut usufructuario.*

ORDO IVRIS vulgaris & consuetus an requiratur in adipiscenda possessione Tutelæ Electoralis?

LAICORVM Electorum dispositiones an possint dici privatæ dispositiones?

c] *l. unica in pr. π. si quis ius dicenti non obtemperaverit.*

NEC OBSTAT, quòd Adversarij hoc argumentum Electoralium (*Testamenti factio non est in Aurea Bulla prohibita, igitur est permissa.*) verbis eludunt: dicendo, [d] *non hic quæri, an Elector testari possit.* Quia contrarium verum est, & omnino hæc potissima controversia est: An Elector testari de Tutela liberorum suorum possit. Enimverò dicentibus Electoribus, se testari de Tutela liberorum posse, Neoburgici fortiter se opponunt, & contrà asserunt, Electoribus de Tutela liberorum suorum testari non licere, vel aliter quàm secundùm legem Bullę non licere, (quod eodem redit. Vnde sequitur, hanc principalem inter Electores & Adversarios quæstionem esse: An Elector testari possit?

PRINCIPALIS quæstio utrum hæc sit: An Elector testari possit?

d] *pagina 11. b. vers. Nec refert: ibi, Neque enim hic quæritur.*

NEC OBSTAT quod aiunt [e] Adversarij: *Principalem hic esse quæstionem: An ab Electore testamentum fieri possit, contra tenorem Aureæ Bullæ, propter verba* I°. & VII°. *Titulo posita: & rursus propter* [f] *verba Declarationis Imperatoris Sigismundi.* Nam ad illas objectiones Bulla

e] *p. 11. b. vers. at testamentum p. 12. a.*

f] *p. 12. b. vers. Quibus conveniunt verba declarationis & p. 13.*

Bullarum & Declarationum Imperialium superius [a] plenissimè respondimus.

NEC ETIAM movet, quòd ex prædictis Bullis & Declarationibus talem extruunt [b] Adversarij syllogismum, quem Bipontinis (sic enim appellant Serenissimi Ducis Iohannis Bipontini, Administratoris Testamentarij Electoralis, consiliarios, & causarum eius patronos) examinandum proponunt. *Quicquid* [c] (inquiunt) *a Cæsare & Imperij Statibus, sub gravissimis pœnis mutari est prohibitum, id* [d] *per testamentum (etiam ipsius patris Electoris) depravari, corrigi aut tolli nullo modo potest.* Imò *nec contraria Imperatorum, Pontificum & Electorum sanctione everti mutari vel abrogari potest forma* [e] *pro Statu imperij generaliter constituta: sicuti nec Principi fundamentales sui Principatus leges antiquare licet.* Atqui *tam Aurea Caroli IIII. Bulla & Declaratione Sigismundi Imperatoris sancitum est, ut defuncti Electoris filii minorennes sint sub tutela et administratione senioris et proximioris Adgnati. Ergo seniori & proximiori Adgnato hoc ius per defuncti Electoris testamentum mutari aut prorsus auferri nullo modo potest.* Prædictis omnibus namq; respondere commodè possumus. *Primum* enim Maiorem admittimus, nempe, *Prohibita* [f] *legibus, mutari à nullo regulariter posse.* Minorem verò (qua traditur, *Tutelas* [g] *Electorales proximiori & seniori Adgnato Bullis Aureis delatas esse*) distinguimus sequentem in modum. Veram enim fatemur, Electoribus ab intestato mortuis: testatis verò, pernegamus. quia Sigismundi Declaratio vult, *proximiorem & seniorem Adgnatum de Iure Tutorem & Administratorem esse debere*, id est, (quod sæpe diximus) Tutorem esse, ut sunt alij de Iure Tutores, qui Testamentariis cedunt. Vult denique Sigismundus, ut proximior & senior Adgnatus illo titulo, iure, gradu vel ordine sit contentus, nec aliud ius uberius appetat. Et hanc quidem interpretationem ex apertissimis verbis & intima prædictarum Bullarum sententia Iuri Communi consentanea desumimus, non aliunde (quod faciunt Adversarij) præter & contra jus commune. *Secundò*. Licet Adversariis concederetur, *Proximiori & seniori Adgnato Tutelam Electoralem Bullis Imperatoriis deferri, exclusis omnibus testamentariis tutoribus*: non tamen simpliciter & abscisè sequeretur, Bullas ipsas Imperatorias ab Electoribus mutari non posse, novis causis emergentibus in persona proximioris & senioris Adgnati. Æquitas enim & ius ipsum postulat, ut Electori rem liberorum & dominiorum suorum in tuto tunc collocare liceat, & liberis testamento condito consulere, etiamsi proximum & seniorem

a] *lib. 3. Refutatione 1. 2 3 4. 5.*

b] *p. 14. linea 1. & seq.*

c] *d pag. 14 linea 1.*

d] *l. Nemo potest 55. ff. de legat. 1.*

e] *Bald in c. Venerabilem c. 4. de Elect. Heigius parte 1. q. 5. vers. 2.*

PROHIBITA legibus mutari non possunt.

f] *p. 14. a. linea 3. ibi: Quidquid.*

g] *p. 14. a. vers. Atque ita.*

TVTELÆ Electorales proximiori & seniori Adgnato quomodo Bullis Aureis sint delatæ?

BVLLÆ Aureæ an possint præteriri ab Electoribus ob novas causas emergentes?

rem Adgnatum aliquem habeat. Huic enim, suo tantùm ordine se Princeps Elector debet, post liberos scilicet, vel postquam liberis suis consuluerit. Prospiciens itaque Elector secuturas mutationes, liberis & subditis minimè commodas, liberorum bonorumque Electoralium servandorum causa, possessionem rerum utrisque relinquere potest: quia non cogitur (etiamsi enormis illa, quam fingunt Neoburgici, Tutela Bullis Aureis introducta esset) possessionem bonorum proximiori & Seniori Adgnato tradere, priusquam pacta sua prior impleverit, id est promiserit saltem, se Tutorem & Administratorem (quod Aureæ Bullæ Imperatoriæ volunt) commodum fore, & liberis subditisque Electoralibus, statum integrum servaturum, nihilve in eo mutaturum. Et ita ex parte senioris & proximioris Adgnati videtur hîc quodammodo intervenire contractus *Facio ut des*. Verbi gratia: *Promitto vel iuro, me sua die statum Electoralem integrum, totaliter & protinus* (quæ verba Bullæ Aureæ sunt) *adsignaturum*, id est restituturum, *si bona Electoralia mihi administranda commiseris*. Ex parte verò Electoris videtur esse quasi *Do ut facias*: vel *ut hoc & illud promittas*: vel potius, *Tutelam meorum liberorum tibi permittam, si promiseris & iuraveris, quod Imperatoria Bullæ à te re ipsa præstari iubent*. His ita positis omnes vident, Illustrissimum Principem Neoburgicum moram in contractu implendo admisisse: quem implere facilè potuit iurando, vel saltem sub fide Principis promittendo, rem pupillorum & subditorum salvam fore. nec enim fideiussores ab eo defunctus Elector exegit. Nullam hîc facti vel iuris impossibilitatem allegare vel proferre possunt Adversarij. Quid enim facilius fuit, quàm vel iurare vel promittere, res liberorum & subditorũ integras & salvas semper fore, & sua die Electori puberi facto totaliter (ut vult Sigismundus) restitutum iri? Conditio hæc potestativa (ut loquuntur nostri) fuit, proclivis & facilis proximiori & seniori Adgnato: ut cùm eam nondum impleverit, moram ipse admisisse sit dicendus.

TVTELÆ Testamentariæ, an Bullis tacitè & æquipollentibus verbis prohibitæ?

NEC RVRSVS movet, quod Adversarij dicunt [a]: *Tutelas quidem Testamentarias Iure Communi inductas, Bullis Aureis non quidem expressè sed tacitè, non propriis verbis, sed per æquipollentia verba prohibitas esse. Et sic Bullarum Aurearum contrariarum tacitam sententiam Iuri Communi hac parte derogare, & illud corrigere vel mutare posse. Idem enim censeri, aliquid expressè, & propriis verbis, & per æquipollentia verba exprimi*. Multum est enim quod fatentur Adversarij, Bullis Aureis Tutelas Testamentarias Electorales non expresè nec propriis ver-

a] *p. 15. a. vers. Respondetur enim primo.*

FATENTVR Adversarii, Bullis Imperatoriis tutelas testamentarias exclusas non esse expressis verbis, sed tacite, & verbis æquipollentibus, ex tacita contrariarum Bullarum sententia.

bis, sed tacitè, tantùm ex mente Bullarum ipsarum, & per æquipollentia duntaxat verba prohibitas esse. Hinc enim apparet, Adversarios hactenus non rectè objecisse Bullas Aureas, quasi NOTORIVM ET VISIBILE IVS prorsus continentes. Hinc etiam apparet, Adversarios verbis propriis & expressis Bullarum in hac controversia destitui, & Bullarum tantùm sententiâ, tacitoque intellectu, vel ad summum verbis æquipollentibus niti. Atqui quàm plurimis Assertionibus & Refutationibus superiùs docuimus, Adversarios Bullarum Aurearum sententiam nullam, ac ne quidem apparentem vel coloratam proferre posse, qua demonstrent tutelas testamentarias Bullis exclusas esse. Imò veriores & quàm plurimas iam protulimus rationes, propter quas tutelæ testamentariæ Electorales nec sint sublatæ, nec insuper everti ullo modo potuerint. Deinde verba æquipollentia hîc ab Adversariis exigimus, quibus probent testamentarias Electorales tutelas prohibitas esse.

AN HIC agatur de prohibitione Testamétariæ Tutelæ, an verò de modo testandi?

a] p. 15. a. paulo ante finem.

b] id est, pagina 11. 6. in fin.

c] d. p. 11.

Nec rvrsvs movet, quod iidem Adversarij repetunt [a], *supra* [b] *dictum esse, non hîc agi de prohibitione tutelæ testamentariæ, sed de modo testandi.* id est, non hîc agi vel quæri, an Elector possit testari, sed an in eius facultate sit, Aureæ Bullæ quolibet modo (etiam per testamentum) contravenire? Quia (ut illo loco notavimus [c]) hîc (id est in hac causa Tutelari) hoc potissimum quæritur: Vtrum Elector possit de liberorum & subditorum suorum Tutela per Aureas Bullas testari? & ibidem quoque probavimus, piæ memoriæ Principem nihil contra Bullas Imperatorias testamento suo disposuisse.

ABSVRDA an sequuntur ea, quæ dicunt Neoburgici, admissis Tutelis Testamentariis Electoralibus?

d] p. 15. b. a. in f. & b. in pr.

e] dict. Refutat. 34.

f] dict. Refutat. 28.

g] dict. Refutat. 29.

Nec rvrsvs movent ea quæ velut absurda Adversarij in medium proferunt [d]: hæc scilicet: *Admissis tutelis testamentariis Electoralibus, in mero Electoris arbitrio fore, ut tutela filii anno XIIII. finiatur: deinde ut* [e] *dividantur Principatus Electorales. tertiò ut tollatur ius primogenituræ: quartò ut plures* [f] *sint tutores: quintò ut non solùm eiusdem familiæ, sed &* [g] *exteri, tutores fiant: sextò ut dentur etiam tutores peregrini: septimò, ut fœminæ (matres & aviæ) ad tutelam & administrationem Electoralem (& consequenter ad vocem, munus & dignitatem eligendi Romanorum Regem in Imperatorem promovendum, & ad iudicandas Cæsaris caussas, & sic ad officium Vicariatus & Archidapiferiæ) admittantur: quod absurdum, & in Imperio hactenus inauditum, & Germanicæ nationi magno damno & dedecori futurum esset.* Prædicta

cta (inquam) absurda ab Adversariis prætensa vel opposita, movere minimè nos debent. *Primo* quia absurda prædicta ad Thesin tutelæ testamentariæ diriguntur, non autem ad Hypothesin, nec ad Tutores à defuncto Electore testamento datos. Nulli enim tales ab eo dati sunt, quales hîc ab Adversariis, veluti in somnio, nominati. Et sic absurda illa speciosa, extra præsentem controversiam ab Adversariis sunt prolata. Sciunt enim Adversarij & quidem manifestissimè, defunctum Electorem nec filij tutelam anno XIIII. finivisse, nec Principatus Electorales divisisse, nec ius primogenituræ sustulisse, nec plures, nec extraneos, nec peregrinos, nec avias aut matres ad vocem, munus & dignitatem eligendi Romanorum Regis in Imperatorem, & ad iudicandas Cæsaris caussas, & sic ad officium Vicariatus aut Archidapiferæ elegisse. Hæc itaque absurda meticulosa, extra oleas & præsentem controversiam ab Adversariis allegata sunt. *Secundo.* Cum dicimus Electorem de liberorum suorum Tutela libere testari posse, sanè secundùm leges & Ius Commune id dicimus & intelligimus: nempe vt possit eos tutores dare, quos lex, Ius Commune, vel honestatis ratio dari vel eligi permittit, non eos quos lex prohibet, non etiam ut Jus Commune suum ad arbitrium inflectat, vel mutet, quemadmodum alibi [a] diximus. Verba legum & loquentium civiliter semper accipienda sunt: hoc est ad personas habiles, capaces & idoneas referenda. [illegible] verbis legum & loquentium cavillabimur, non interpretabimur.

NEC OBSTAT quod aiunt [b] Adversarij, *ex prædictis liquere, verum non esse quod adseritur. Auream Bullam nihil habere novi aut diversi à Iure Communi, nisi definitionem legitimæ ætatis, & restrictionem Tutelæ ad unam personam in locum plurium Adgnatorum, eiusdem gradus. Nam* (inquiunt Neoburgici) *præter illa duo singularia & à Iure Communi exorbitantia, hoc quoque sancitum, ut solus senior & proximior Adgnatus de Iure Tutor sit & Administrator: et quidem addita clausula [c] hac derogatoria: ET NON ALITER FIAT: Cuius virtus in eo consistit, ut contra eam disponi à privatis nullo modo posit. Id quod* (inquiunt Neoburgici) *sibi tacendum putavit adversarii scripti autor, id est is qui pro Tutelis Testamentariis Electoralibus scripsit, ne læsæ suæ conscientiæ nota omnibus innotescat.* *Primò* quia (ut Refutatione XII. docuimus) Bullis Aureis plura alia sunt inducta contra Ius Com-

a] *Refutatione 28, 29 34. 35.*

b] *p. 15 b. in fin. ver. Indè igitur liquet.*

NOVA IVRA [illegible] Tutelis [illegible]

c] *intelligere videntur Adversarii Clausulam illam: Nulli ergo penitus hominum liceat &c. quam Sigismundi Bulla extat in fin.*

burgici graviter in illam Sigismundi clausulam: quia volunt, ut proximior & senior Adgnatus ALITER sit Tutor & Curator quàm sunt vel esse solent cæteri DE IURE Tutores. Tantum itaque abest, ut illa clausula, *Et non aliter fiat*, noceat Electoralibus, ut contra prosit eis maximè, & apertissimam eorum causam reddat. Et rursus tantum abest, ut prædicta clausula prosit vel prodesse Adversariis debeat, ut eis silentium contrà imponat, & eos à judicii limine repellat: quia ALITER adserunt proximiori & seniori Adgnato tutelam, quàm de jure Tutores & Curatores possint vel soleant.

Non est itaque cur adversarii eum notent, qui pro hac Tutela Testamentaria Electorali publicum scriptum luculentum edidit: quasi in suo scripto prædictam clausulam, *Et non aliter fiat*, omiserit: vel quasi notatæ, id est læsæ conscientiæ reum vel culpabilem. Peritissimus enim Iuris & sincerus candidusque ille autor est, qui rem totam, id est, Sigismundi mentem ex puris fontibus Iuris Romani, sincerà conscientià eruit, qui monstrosam & prodigiosam tutelam fugiendam esse cognovit, qui verum sensum & intellectum Bullarum detexit, & Testamentariis Tutelis jus suum adseruit.

NEC RURSUS obstat, quod Neoburgici scripti autor his verbis utitur [a]: *Adhæc* (inquit) *velim, ut Autor ille* (qui scilicet testamentarias tutelas Electorales scripto elegantissimo & doctissimo defendit) *respondeat sine omni fuco & remotis subterfugii ambagibus: Si non ex Aurea Bulla, sed ex Iure Communi, & testati Domini Electoris* (ultimò defuncti) *voluntate, usurpat nomen Tutoris Bipontinus, quomodo non apertis solenniter Tabulis, non citatis propinquis, non facto inventario* [b], *non præstito debito juramento, non petita a Superiore confirmatione,* INVADERE *potuit jus Administrationis* SINE NOTA VIOLENTIÆ, SUSPICIONIS, INTRUSIONIS? *Nam ea omnia Iuris Communis sunt, & ab eius observatoribus nequaquam negligenda: præsertim cum Imperii legibus expressè cautum sit, ne quis sub testamenti prætextu, vel vocatus a lege, aut etiam a magistratu datus tutor, administrationem suscipiat, antequam sit a magistratu confirmatus, ut patet ex Recessu Imperii & Reformatione Politiæ de anno* CIↃ IↃ XXXXVIII. *Nec enim audiendum esse, qui Cæsaris nescio quam confirmationem prætendit* (id est, qui ait Cæsarem confirmasse id testamentum, quod *Serenissimo* Bipontino Tutelam Electoralem defert vel detulit) *id enim nullo modo probari posse: aut Cæsarem* [c] *importunitate petentium circumventum: ac propterea nullius esse valoris* (*per ipsam etiam Auream Bullam*) *quod Cæsar ita statuerit; præser-*

a] *p. 16. vers. Adhæc verò velim.*

b] *p. 16. b. in pr.*

CONVICIA à Neoburgicis iactata adversus Administratorem Testamentarium atrocia.

c] *p. 17. a. in pr.*

tim cùm omnia Imperatorum rescripta hanc in se clausulam contineant tacitam, Si preces veritate nitantur, & ne contra [illegible]. Nam ex hoc punctum (missis Adversariorum con[illegible]) [illegible] dico: Serenissimũ Ducem Ioannem Bipontinum nomen Tutoris Testamentarii rectè sibi sumere posse. *Primò* quia defuncti Electoris voluntatem legitimam & solennem habet. Testatus est enim Elector Iure Communi permittente, imò & Bullis Imperatoriis permittentibus vel non prohibentibus: iustas etiam & necessarias causas ita testandi habuit. *Secundo* quia nullum vitium visibile in Testamento defuncti cernitur. *Tertio* quia nomen Tutoris sibi sumere Testatoris & legis voluntate, nunquam legibus notatum aut prohibitum fuit, nec cuiquam crimini vel delicto imputatum. *Quarto* quia laudandus est potiùs, ultimum hoc pium officium defuncto moris omnibus remotis exhibens, quàm censendus eo nomine vel accusandus. Citò namque aliquid facere, est indicium libenter facientis.

NOMEN Tutoris Electoralis serenissimus Bipontinus sibi sumere potest.

At (aiunt [a] Adversarii) *Tutor Testamentarius non apertis solenniter Tabulis jus Administrationis invasit?* Sed hoc pernegatur. itaque ab Adversariis probandum est.

a) *p. 16. a. in fin. ibi: quomodo non apertis.*

AN TVTOR Testamentarius Administrationem invaserit non apertis solêniter Tabulis?

At *non [b] citatis propinquis Testamentarius Electoralis Tutor jus Administrationis* (inquiunt) *invasit?* Respondeo. Citare eos coactus non fuit, qui testamento defuncti nominati vel invitati ad Tutelam non sunt: vel nominati quidem, sed iustis de causis ad eam non vocati. Adhæc cùm hæc possessionis Tutelaris adipiscendæ causa summaria sit & momentanea, (ut sunt omnes, præsertim huiusmodi possessionum causæ, graves scilicet & arduæ, & dilationem vel moram non ferentes): citandi statim vel protinus non fuerunt, qui hanc possessionis vel Administrationis testamentariæ causam notoriam, vel probabiliter in longum & prolixum tempus distulissent, liberis, subditis, & bonis Electoralibus noxium: ut satis superque Adversariis esse debeat, de Tutelæ & Administrationis possessione ordinario ac pleniore judicio adversus Testamentarium Tutorem contendere, & in eo se opponere, jusque suum consequi.

b) *p. 16. a. in fin. ibi: non citatis.*

CITARE proximiorem & seniorem tutorem an debuerit Tutor Testamentarius?

At inquiunt [c] Adversarii) *non facto prius inventario, non præstito debito juramento, non petita a Superiore confirmatione,* INVADERE *non potuit jus Administrationis sine nota violentiæ suspicionis & intrusionis?*

INVENTARIO nondum confecto &c. an potuit Administrator gerere & an omissis illis Administrans, invasionis, notæ, violentiæ, suspicionis & intrusionis accusari possit?

c) *p. 16. a. in fin. ibi: non facto prius Inventario & c.*

Respon-

Respondeo, & quidem PRIMO, dolendum esse, quòd Adversarii convicia (& quidem tot & tanta) in Serenissimum Bipontinum jecerint. *Primum* enim eum velut *invasorem* arguunt. deinde *notam et violentiæ, suspicionis, intrusionis* impingunt. Sed hæc publicæ pacis causa prætereantur ac dissimulentur. SECVNDO negatur, Serenissimum Bipontinum, gerendo se pro Tutore, aliquid Electorale invasisse. Negatur vim aut violentiam ullam admisisse: negatur etiam eum intrusum esse: aut sanè invasionem, violentiam & intrusionem illam probent Adversarii. Hæc enim facti sunt, & quidem atrocissimi: ideoque ab Adversariis probanda [a] sunt & confirmanda. Edant exercitus, quibus instructus venerit: quas urbes vel arces vi, vel ariete admoto, vel actis cuniculis expugnaverit aut invaserit. Edant personas ejectas. Si nihil tale proferent, sanè invasionis, violentiæ & intrusionis eum accusare non poterunt. *Tertio*, notorium imò & manifestum est ex contrario, ab omnibus Palatinatus ordinibus sponte & gratanter quidem exceptum Tutorem Testamentarium esse. *Quartò* (ut exteros omittam & Reges & Status) à plerisque Imperii Principibus, ab Electoribus etiam Ecclesiasticis omnibus, adeoque à maiori Electorum parte, honore & titulo TVTORIS & ADMINISTRATORIS Electoralis decoratum, & sic agnitum Testamentarium Tutorem pro vero justoque Tutore constat. *Quinto*, patet omnibus etiam Adversariis, Legatos eius ab Imperatoria Maiestate admissos & iusta petentes auditos fuisse: ut ex prædictis omnibus appareat, Serenissimum Iohannem Bipontinum, ab invasionis, violentiæ & intrusionis crimine liberum & immunem esse. TERTIÒ concedatur etiam Adversariis [b], *Iure Communi vel Recessibus & Reformationibus Imperii prohiberi testamentarios, legitimos & dativos tutores Administrationem suscipere, antequam inventarium confecerint, juraverint, & a Superiore confirmati fuerint.* Potest tamen optimo jure dici, regulas illas generales, ad Tutores Testamentarios Electorum minimè pertinere. *Primo*, quia Reformationes illæ (ut & leges omnes) ad casus vulgares & quotidie occurrentes referri videntur, non ad Electorales Tutelas, quæ [c] rarò admodum eveniunt. *Secundo*, quia Electorales Tutelæ graves & arduæ admodum sunt, & publicum statum spectant, nec dilationem longam admittant, ut huiusmodi tutelis statim, & illico, & quantocius, & sine ulla mora prospici & provideri oporteat: qua scilicet ratione Carolus IIII. iubet [d] Administratorem jus & officium suum iuveni puberi facto *protinus* assignare: & Sigismundus, *sine difficultate*

CONVICIA a. Ita ab Adversariis Testamentario Tutori iacta sunt.

VIM NVLLAM admisit Testamentarius Tutor.

a] *l. Metum, 9. C. de his quæ vi metusve causa.*

b] *§. 15. l. vers. Nam ea omnia juris communis sunt.*

AN TVTOR Testamentarius potuerit Administrationem suscipere ante inventarium confectum, iuramentum præstitum & antequam a superiore confirmatus fuerit?

c] *arg. l. 3. 4. 5. 6. ff. de legib.*

d] *Tit. 7.*

ficultate, sine renitentia qualibet, & protinus. *Tertiò.* Licet in plebeiorum tutelis quinque requirantur, antequam tutor possit ad administrationem accedere: nempe ut decretum [a] accedat iudicis: ut inventarium [b] faciat: ut iuret [c]: ut satisdet: & defensionem pupilli suscipere expresse promittat [d]: constat tamen inter Iuris interpretes, tutorem ea gerere etiam ante confectum inventarium posse, QVÆ DILATIONEM NON RECIPIVNT (necessitas enim dilationes non admittit): ut & [e] ea, quæ necessariò confectionem inventarii præcedunt (ut est rerum hæreditariarum inventario inserendarum perscrutatio): item ea [f] quæ pupillo nullo modo possunt obesse, sed prodesse tantùm. Idem dicendum est, si testator inventarii confectionem vel necessitatem remisit [g]: aut si consuetudo [h] contraria sit, quæ scilicet tutori necessitatem conficiendi inventarii remittat. Denique tutor [i] potest, si causa necessaria sit, bona pupilli administrare, nullo licet confecto inventario. *Quartò* potest hoc evidentius ex eo quoque probari. Quæro namque, quis interim, dum Tutor Electoralis Testamentarius inventarium facit, dum Cæsarem vel Cameram vel alium pro præstando juramento adit, dum confirmationem judicis ordinarii modis ordinariis petit: quæro (inquam) quis interim vel inter illas moras Electoratum administraturus sit? Proximusne senior Adgnatus? Minimè. Nam & Testamentarius eum præcedit, & æquales præterea vel maiores dilationes & moræ in eius persona, quàm in Tutoris Testamentarii concurrunt. Perirent interim res Electorales? Sanè interest [k] non perire, & præsentem rebus Electoralibus gerendis, opem ferentem illico Tutorem, aliis morantibus præferri. Sequestraretur interim Electoratus administratio? Ne id quidem. Quia id fieret manifestissimè contra testatoris voluntatem. Nec solent etiam sequestrari Tutelæ Electorales propter evidentissimum rerum Electoralium periculum, quæ ad tertiam manum extranei, tantam dignitatem & Administrationem (Electoralem scilicet) pervenire non permittunt. Et hoc quoq; Bullis Aureis, & instantiis vel absurdis per Adversarios allegatis superius, repugnat. *Quintò.* Cùm hæc omnia (inventarii scilicet confectio, juramenti præstatio, & confirmatio) in ipsa possessionis Electoralis tutelæ adprehensione, vel saltem in continenti & illico (quoad eius fieri rebus in tam arduis & adeò diffusis potuit) sint secuta: & Serenissimus Administrator Testamentarius inventarium fecerit, juramentum præstiterit, & à Superiore confirmationem petierit: nemo utique poterit notam invasionis, violentiæ, suspicionis & intrusionis ei obiicere. Actus

a] *l. ult. C. arbitr. Tut.*
b] *Novell. ut hi qui obligatas. 72. c. 8 in f.*
c] *l. legitimos. 5. Ubi Glossa & Bart. π. de Administrat. Tut.*
d] *l. ult. §. defensionem, ubi Cynus C. de administrat. Tut.*
e] *l. Aristo. π. de adq. haredit. Bart. in l. Tutor qui repertoriũ: 8. num. 27. π. de Administrat. Tut.*
f] *l. ult C. de Tutore vel Curatore qui non satisdedit. Bart d. l. Tutor. num. 27 & 28. Romanus consilio 106. Capella Tholozana, quæst. 288. Bessianus ad consuetudines Arverniæ articulo 13.*
g] *l. ult. Cod. arbitr. Tutel. Aufrerius ad Capellam Tholozanã. q. 288. Bart. d. l. Tutor qui repertoriũ: & in l. Nemo potest. π. de legat. 1. V. in l. Tutores. C. de Administr. Tut.*
h] *Speculat. Tit. de Instrument. edit. §. Editio, vers. sed nunquid. Abbas Siculus c. ex parte extr. de appellat. Aufrerius dicto loco.*
i] *Rolandus à Valle 2. consil. 30. n. 16. & consil. 80. num. 5.*
k] *arg. c. adferte. extr. de præsumpt.*

te. Actus enim illi (inventarii scilicet faciendi, juramenti præstandi, confirmationis petendæ & obtinendæ, aliter expediri non possunt, nisi ipso Administratore Testamentario præsente, & rebus Electoralibus incumbente. Imò habenda potius est ei gratia, quòd accersitus tam ardenti desiderio & enixa voluntate iam ægrotantis Domini Electoris piæ memoriæ, adeò celeriter liberis Electoralibus patre orbatis, subditis Domino clementissimo destitutis, postpositis rebus propriis tam præsentem opem tulerit, & nihil temporis frustra perire passus sit.

AD HANC itaque quæstionem (quandoquidem id à nobis Adversarii præcisè postulant) sine omni fuco (cùm id quoque flagitent) & remotis subterfugii ambagibus, sequentem in modum respondemus: Serenissimum Bipontinum ordine, quo debuit vel licuit, Administrationis possessionem adeptum esse: nullam ab eo violentiam admissam: sed omnia placidè, tranquillè, dulciter & sine querela, sine contradictione cuiusquam vel minima, acta transactaque ab eo fuisse: valde etiam ridiculum esse, jus administrandarum tutelarum Principalium, ad Iuris Communis minutias redigi, vel tales juris scrupulos Electoratui noxios, per Adversarios à Serenissimo Testamentario Tutore exigi. At ex Iure Communi Electorales exigunt, ut testamentarius tutor Adgnato legitimo præferatur? Meritò. Ius enim illud novum non est, sed commune & utile. Visum enim ita legislatoribus fuit, & publicis rebus hoc melius & conducibilius esse. At eadem opera exigere, ut Testamentarius Tutor Electoralis nihil Electorale attingat, antequam inventarium fecerit, juramentum præstiterit, confirmationi petendæ & obtinendæ multos menses (vel annos potius) consumpserit: rem sanè Electoralem perdere, non servare vel tueri volentis votum esse contendo: & aliam adhuc Principalium & Electoralium tutelarum longè quàm vulgarium rationem ea parte esse profiteor.

AT (rursus aiunt [a] Adversarii) *non petita à Superiore confirmatione tutor testamentarius tutelam Electoralem gessit, & sic eam invasit, violentiam admisit, & intrusus est?*

a] *p. 16. b. linea 2. ibi: non petita à Superiore confirmatione.*

CONFIRMATIO quæ, & cuius, sit necessaria Administratori, antequam administret: & ante cuius confirmationem administrare possit?

Respondeo primùm. Peto ut se melius explicent, & quam, vel cuius personæ *Confirmationem*, Testamentario Tutori Electorali necessariam sentiant, antequam res Electorales & quid Electorale gerere vel administrare possit. Cæsaris vel Cameræ confirmationem exigunt? Malè. Confirmationes enim illæ, dilationes & moras temporis admodum prolixas (maximè si contradictor aliquis manifestus existit) & pe-

riculi plenas secum trahere solent. Nec unquam praeterea id in huiusmodi Tutelis (moram diuturniorem non ferentibus) servatum in Palatinatu fuisse probari poterit. Imo contrarium semper usurpatum & constitutum probabitur. Quinimò rerum ipsarum Electoralium (arduarum & maximarum scilicet) qualitas, conditio vel natura postulat, ut protinùs rebus ipsis Electoralibus incumbat & invigilet Tutor: & postea, quanta diligentia fieri poterit, inventarium faciat, juramentum praestet, & confirmationem à Caesare vel Camera petat. Ex quibus apparet, Tutorem Testamentarium Electoralem, res Electorales attingere protinus posse, imò debere, & suo postea gradu vel ordine confirmationem à Caesare vel Camera postulare.

Ad res etiam illas illicò vel protinus attingendas, gerendas, administrandas, primaria, vulgaris & ordinaria Iudicum vel Iudiciorum Ordinariorum confirmatio sufficit: nempe ut Testamentarius Tutor Electoralis à [a] Sanctioris Electoratus Consilii proceribus & patribus recipiatur: & paulatim à caeteris urbanis & provincialibus magistratibus, Iudiciis, Collegiis, Ordinibus, juramento quoque praestito probetur & recognoscatur. Haec primaria Tutoris receptio & confirmatio ad possessionem Tutelae momentaneam adipiscendam & res gerendas sufficit [b]: interim dum secundaria, plenior, & solennis magis confirmatio vel à Camera vel à Caesare petitur. De qua obtinenda non dubitatur, apud Romanum Principem qui jura tuetur, ut alicubi ait Iustinianus.

Nec ad rem facit, quòd Adversarii [c] *eam impetratam negent: vel à Caesare (importunitate petentium circumvento) concessam esse adserunt, non auditis scilicet iis quorum interest: Cùm tamen confirmationes huiusmodi subreptitiae per ipsas etiam Aureas Bullas nullius esse momenti dicantur: & Iure Communi quoq; in Rescriptis omnibus Imperatoriis clausula semper contineatur haec tacita: Si preces veritate nitantur, & ne tertio praejudicent.* Quia, ut hoc primùm dicatur, ponitur & probatur, Electoris defuncti Testamentum à Caesare probatum & confirmatum esse. Nisi forte parum cōfirmasse videtur, qui decreto solemni interposito promisit & cavit; *Se a tutoribus testamento datis, juri & iudicio se offerentibus, vim omnem prohibiturum.* Et quidni (missis obreptionibus) ultrò confirmatum à Caesare esset, cùm ab eodem Caesare Ludovici Electoris (patris Serenissimi Friderici IIII.) laudatum & confirmatum fuerit, nec à Camera Spirensi rejectum?

Est et hîc notandum valde, quòd Adversarii *Legitimos quoq; tutores negant* [d] *administrationem suscipere posse, antequam à magistratu confirma-*

a] *arg. l. 1. unica in pr. ibi illustribus praefectis Urbis adhibitis C. de Tutorib. & Curator. illustr.*

b] *arg. l. ult. §. & siquidem parens vers. ut in hac florentissima civitate: in versiculo, in provinciis autem apud praesidem C. de Curatore furios.*

c] *p. 16. b. vers. Nec audiendus est. & pa. 17. a. in pr. ibi: importunitate petentiū.*

ELECTORIS defuncti testamentum à Caesare confirmatum.

d] *p. 16. b. vers. praeterium ibi: antequam sit à magistratu, & ibi: ut patet ex recessu Imperii.*

confirmati fuerint, idq; Recessu & Confirmatione Imperii Anno CIↃ IↃ XXXXVIII. *cautum & constitutum esse tradunt*. Ex his enim colligo, ipsum etiam Neoburgicum Administrationem Electoralem attingere non potuisse nec posse: quòd ut à patre nunquam nominatus, ita & à magistratu confirmatus nondum fuerit; nec à primario & ordinario, (de quo superius dictum est) nec à secundario & summo, id est, Cæsare, eius Camera, & cæteris aliis Electoribus.

LEGITIMI Tutores (sententia Neoburgicorum) Administrationem suscipere non possunt, antequam à magistratu confirmati fuerint.

DE ALIIS jam videamus.

¶ Sextæ Refutationis Refutatio.

SCRIPSERVNT [a] Tutelarum Testamentariarum & quidem Electoralium patroni, *Ex observantia secuta apparere, diversas Electorum dispositiones testamentarias locum habuisse, & Testamentarium Tutorem legitimo* (ex Aurea Bulla vocato) *prælatum & anteppositum esse*. Adversarii quid? Aiunt [b], *illam observantiam in æternum probari non posse: imò contraria pacta* [c] *hæreditaria Palatinæ familiæ esse anno* CIↃ IↃ XXXXVII. CIↃ IↃ LI. CIↃ IↃ LIII. CIↃ IↃ LVII. *quæ nulla* [d] *ratione, nullo colore, vel prætextu violari liceat, absque* [e] *ulla scissione vel divisione*.

a] p. 2. b. vers. Idque apparere.

VI.

OBSERVANTIA Palatinæ de Tutelis Testamentariis, an vera & probari possit?

b] p. 17. a. b & p. 18 a.
c] p. 18. a.
d] p. 18. b. in pr.
e] p. 18. a.

SED DE Palatinæ familiæ observantia [f], vel pactis [g], scissionibus [h] & divisionibus, coloribus [i] & prætextibus, copiosè satis diximus alibi: ac propterea diutius hîc non inhærebimus, sed ad alia nos conferemus.

f] Vide Adsertionem 9 & Refut. 6 7 & 40.
g] Vid. Refutat. 41.
h] Vid. Refutat. 34.
i] Vid. Refutat. 41.

¶ Septimæ Refutationis Refutatio.

k] p. 2. b. vers. Ludovicum.

EDIDERVNT [k] Testamentorum Electoralium patroni exempla quædam Testamentariæ Tutelæ in Palatina familia receptæ: nempe OTTONEM, *juniorem licet fratrum, duobus senioribus fratribus in Tutela Testamentaria prælatum & antepositum fuisse*. Quid Adversarii?

VII.

EXEMPLVM Ottonis Electoris tutoris testamentarii, & proximiores excludentis, an verius sit desumptū ex Andrea presbytero an ex Trithemio?

PRIMVM omnium aiunt [l], *Ex actis apparere, duos illos ætate maiores & seniores, OTTONI licet juniori Tutela cessisse, terris quibusdam invicem acceptis: & renunciare* [m] *quemq; juri suo posse, & renuncianti postea regressum non dari: id tamen tertio non consentienti invito in futurum præjudicare non posse*. Sed huic allegationi satis antea [n] responsdimus.

l] p. 18. b. vers. ad exemplū septimo loco.
m] p. 19. a. l. 1. 2. & 3.
n] Refutatione 15.

a] *p 19. a. verf. Id quod confirmatur exemplo.*

ANDREÆ presbyteri testimonium expenditur, & Neoburgicis non prodesse ostenditur.

b] *Refutatione 6.*

SECVNDO loco proferunt [a] Adversarii ex Andrea quodam presbytero Ratisbonensi, vel potius eius Additionatore, *exemplum Palatinum legitimi tutoris, qui testamentarios tutores exclusferit, Archiepiscopum scilicet Moguntinum, & Ulricum Comitem Wirtenbergicum.* Sed de illo exemplo, & obscuro, singulari & unico illo teste, neque maximæ authoritatis, plus satis etiam diximus alibi [b]: cùm & alioqui ratio manifestissima illius exempli, si verum esset (nusquam enim tale testamentum invenitur, & contrarium prorsus ab aliis scribitur, nempe Trithemio), reddi possit (legitimi scilicet tutores testamentariis illis duobus præpositi): quòd scilicet ambo alienæ & extraneæ familiæ fuerint, & alter eorum Ecclesiasticus Princeps, Aureis Bullis (quas passim urgent & allegant Adversarii) exclusus nominatim, illis verbis, LAICVS *duntaxat*.

c] *p 18. a. in fin. & b.*

TRITHEMII testimonium defenditur, & Electoralium causam iuvare demonstratur.

TERTIO loco Neoburgici *Trithemium accusant* [c] *quasi varium: quòd uno loco scripsit, Ludovicum Electorem, Philippum* (filium suum) *uxori Margarethæ & Friderico fratri commendasse: alio verò loco scripserit, prædictum Fridericum* (*cœlibem tunc*) *consensu Procerum, & Curiæ Palatinatus autoritate, & confirmatione sedis Apostolicæ, tutorem infantis Philippi constitutum*. Sed nullam hîc penitus varietatem in Trithemio deprehendo, cùm possit Trithemius facile sibi conciliari. Nihil enim vetat, prædictum Fridericum testamento Tutorem à fratre nuncupatum esse, & tamen mortuo fratre, à Proceribus & à Curia Palatina, & rursus à Pontifice, in illa Tutela vel Administratione confirmatum. Testium & Historicorum depositiones vel narrationes ita componere & conciliare bona fide oportet, quantum fieri potest, non eas captare vel cavillari. Et sic ex Trithemio constabit evidenter, Testamentarias Tutelas in familia Electorali Palatina crebras, receptas, & usitatas, & familiares fuisse: Cui velut Abbati, & literis ac scientiis variis instructissimo, & Palatinatus inquilino, & consequenter rerum Palatinarum non ignaro, magis Adversarios credere oportet, quàm Presbytero simplici, & ignotæ Ecclesiæ, homini obscuro, & singulari, & extero: præsertim cùm Trithemii (interpretatione benigna adjuti) testimonium salvari simul & defendi possit.

d] *p. 19. b. in fin. Verf. Idem fecit.*

DVCIS Ioh. Casimiri exemplum non prodest Neoburgicis.

e] *Refutatione 7.*

QVARTO loco proferunt [d] Adversarii *Ducis Ioh. Casimiri exemplum, ut scilicet probent, legitimos tutores testamentariis potiores habitos fuisse & eos exclusisse.* Sed de hoc exemplo luculenter alibi [e] diximus: & specialiter infra dicemus, cùm ad Resolutionem prædicti Ducis Ioh. Casimiri, ordine suo, pervenerimus.

AD ALIA descendamus.

§ Octava

¶ *Octavæ Refutationis Refutatio.*

SCRIPSERVNT[a] Electoralium Testamentorum patroni, *Cæsares & Imperatores Electorum dispositiones Testamentarias confirmare solitos*. Adversarij quid? Primùm omnium prædictis *Resolutionem* Casimirianam opponunt[b]. Sed nos infra ad illam Resolutionem Ducis Ioh. Casimiri ita specialiter responsuri sumus, ut nihil omissum à nobis videri possit.

SECUNDO loco dicunt[c], *Huiusmodi Confirmationes non rarò per subreptionem & obreptionem obtineri solere*. Sed hoc probare manifestissimè debent Neoburgici: Confirmationem scilicet Testamenti per subreptionem & obreptionem impetratam esse.

TERTIO loco aiunt,[d] *Imperatorem diversis vicibus declarasse, se inaudito prefato Serenissimo Philippo Ludovico Neoburgico, Electoris defuncti Testamentum confirmare nec posse nec velle*. Respondeo. Potest ita esse, ut hæc Cæsar ipse dixerit vel responderit. Sed in illo proposito non mansit. Ideoque posterior eius voluntas & declaratio præferenda, & in hoc iudicio sequenda est: sive quia motus ille primus Cæsaris fuit, in quo non perstitit: sive quia ius æquius postea prætulit: sive quia in huiusmodi varietatibus Imperatoriis, Principis scriptura[e], nuncupationi eiusdem meritò anteponenda, velut magis solennis & posterior[f].

QVARTO loco dicunt & fatentur[g] Adversarij, nihilominus *Illustrissimo Neoburgico non citato nec audito, postea nescio quid sub nomine Cæsareæ Maiestatis datum esse: sed de quo tamen Electoralium Testamentorum patroni non multum gloriantur. Imperatorem enim eiusmodi dispositionem testamentariam pro valida & iusta neque agnoscere, neque confirmare voluisse, quam si prædicta Aureæ Bullæ & aliis Imperii legibus non contrarietur: idque satis apparere ex allegata Cæsareæ Maiestatis declaratione*. Sed hæc quomodo habeant, ab Electoralis Testamenti patronis fusiùs est expositum.

INTERIM ad alia festinemus.

a] *p. 3. b. Vers. Idem apparere.*

VIII.

CONFIRMATÆ à Cæsaribus Tutelæ Testamentariæ, an valeant in præiudicium Legitimorum Tutorum? Et an hæc Tutelæ à Cæsare confirmata, per obreptionem & contra promissionem ipsius Cæsaris fuerit?

b] *p. 20. vers. Responsio ad 8. rationem.*

c] *d. p. 20. Vers. & huiusmodi confirmatione.*

d] *d. p. 20. vers. Velim præsenti casu satis apparet.*

e] *l. 1. Cod. de mandatis principum: l. prohibitum 5 in fin. Cod. de iure fisci.*

f] *arg. l. ult. π. de Constit. principum.*

g] *p. 20. vers. & nihilominus sua Celsitudo non citata nec audita.*

Nona Refutationis Refutatio.

a] *p. 3. b. verſ. Item quod iudices.*

IX.

CAMERA Spirenſis an Teſtamentarias Electorum Tutelas in præiudicium Legitimarum admiſerit?

b] *p. 20, b, linea 1, 2.*

c] *Adſertione 12. 15.*

SCRIPSERVNT[a] Teſtamentariæ Tutelæ Electoralis patroni, *Iudices & Adſeſſores Cameræ Imperialis, ad ſupplicationem quorundam Principum* (in qua inter cætera narrabatur, quòd per Auream Bullam Electori facultas de Tutela teſtandi adempta non ſit) *Comiti Palatino Iohanni Caſimiro editionem Teſtamenti iniunxiſſe, & contra eum proceſſus decreviſſe.* Adverſarij hîc quo reſponſo nituntur? Aiunt[b] *non conſtare, qua ex cauſa Iudices & Adſeſſores Cameræ Ioan. Caſimiro editionem illam teſtamenti iniunxerint.* Secundò, *novum non eſſe in Camera, credi nudis ſupplicantium narratis, & ſæpe mandata decerni in favorem eius qui nullum ius habet, quæ tamen oppoſitis probatiſque poſtea exceptionibus aut expreſſè caſſantur, aut tacitè (tanquam ipſo iure nulla) in ſuſpenſo relinquuntur. Id autem in cauſa Tutelæ Electoris defuncti factum quoque à Cameralibus Adſeſſoribus fuiſſe.*

SED NOS ea de re alibi[c] diximus, & dicemus poſtea in Caſimirianæ Reſolutionis refutatione pleniùs. Ideoque de alia Neoburgicorum allegatione videamus.

Decimæ Refutationis Refutatio.

d] *p. 4. a. verſ. Item quod hanc.*

X.

PRINCIPES multi an & quomodo probaverint Teſtamentariam Tutelam Electoralem, adverſus Ducem Ioannem Caſimirum?

e] *p. 20. b. Verſ. Ad decimam rationem.*

f] *d. p. 20. b. Verſ. Vnde liquet, Principes iſtos.*

SCRIPSIT[d] Electoralis Teſtamenti defenſor, *Hanc ſententiam de libero Electorum arbitrio* (in diſponendo ſcilicet de Tutela & Adminiſtratione) *multos Imperij Principes contra præfatum Iohannem Caſimirum probâſſe.* Adverſarij quæſo quid?

PRIMVM aiunt[e], *Reſolutionem Caſimirianam prædictis ſæpe reſpondere.* Sed an ita ſit, ſuo loco videbimus, cùm ad Reſponſionem prædictæ Reſolutionis pervenerimus.

SECVNDO loco aiunt[f] Adverſarij, *Principes iſtos, qui Caſimiro controverſiam moverunt, ultro faſſos eſſe, proximiori & ſeniori Adgnato ius Tutelæ & Adminiſtrationis per Teſtamentum auferri non potuiſſe, ſed tantùm contendiſſe, adiunctionem Contutorum, (præſertim ſi ea ex certis cauſis & circumſtantiis fiat) Aureæ Bullæ non adverſari. Id autem Ioannem Caſimirum ſtrenuè negaſſe, & ſententiam ſuam firmiſſimis argumentis demonſtraſſe, ita ut omnium Statuum, & ipſiuſmet Cæſaris calculum*

lum & adprobationem, atque adeò realem ipsam investituram meruerit. Sed nos ea de re commodiore loco videbimus, nempe in prædictæ Resolutionis Casimirianæ responso. Proinde ad alia transeamus.

¶ *Vndecimæ Refutationis Refutatio.*

SCRIPSERVNT [a] Electorales, *Ioanem Casimirum Contutores sibi ex Testamento Patris datos non admisisse, sed id tamen aliis ex causis factum esse, & illum casum cum præsenti nullam cognationem habere.* Adversarij quid?

a] *p. 4. a. Vers. Deinde licet.*

XI.

DVX IOHANNES Casimirus quibus ex causis Contutores Testamentarios non admiserit.

PRIMVM omnium aiunt [b], *Electorales effugium adversus exemplum Casimirianum quærere: effugium tamen illud adeò lubricum esse, ut cuivis appareat, ipsos non habere, quò pedem figant. Nihilenim adrem facere, quòd Electorales dicunt, Ioannem Casimirum Testamento Tutorem & Administratorem datum: Item cùm dicunt, diversas causas habuisse non admittendi datos Contutores, quæ ad exclusionem Contutorum sufficientes judicatæ fuerint. Nam qui circumstantias utriusque casus probè perpenderit, & Resolutionem Casimirianam attente legerit, is deprehendet, vix ovum ovo, aut lac lacti tam simile esse, quam similes sint inter se duo isti casus. 1°. quia prædictus Dux Casimirus, Tutelam nepotis ex fratre suscepit, non vi Testamenti fraterni, sed vigore Aureæ Bullæ ab intestato. 11°. Contutores exclusit ex Aurea Bulla & Declarationibus desuper factis, & Observantiis in Electoralibus familiis, præsertim in familia Palatina. 111°. allegavit* [c] *quidem dispositionem ultimam paternam & transactionem fraternam: sed transactio illa ad dispositionem illam ultimam, hæc autem ad Aureas Bullas se retulit: ut non aliis fundamentis quàm ex Aurea Bulla petitis usus sit. Ex his mirantur Adversarij, sententiam illam Casimirianam hodie ab Electoralibus reijci, quæ ante* XXIII. *&* XXIIII. *annos à Comite Palatino Rheni, & Consiliariis Palatinis, tam operosis, tam solidis rationibus & fundamentis explosa, reiecta & refutata fuerit.* Sed antequam Resolutionis Ducis Ioh. Casimiri rationes splendidas, operosas, & solidas (ut loquuntur Adversarij) pleniùs expendamus: insignes admodum dissimilitudines inter causam Casimirianam & Illustrissimi Principis Neobur-

b] *p. 21. a. vers. Effugium, quod Adversarii.*

c] *p. 21. b. inf. vers. Præter has & p. 22. a*

DIFFERENTIÆ complures causę Casimirianæ & Neoburgicæ.

Neoburgici subiicere non abs re sed operæpretium potius fuerit. Dux Iohannes Casimirus frater defuncti Electoris fuit, & ex fratre nepotis Tutelam legitimam sibi adseruit. Dux Neoburgicus consanguineus tantùm est & Adgnatus, & quidem gradu satis longissimo remotus. Dux Ioh. Casimirus ius suum fundatum in Caroli IIII. Bulla & Sigismundi Declarationibus habuit. Dux verò Neoburgicus in sola Sigismundi Declaratione. Et sic ius prioris manifestius est & indubitatius, posterioris obscurius. Dux Ioh Casimirus (quicquid dicunt Adversarij) voluntatem & dispositionem patris habuit, & pro Tutela sibi vindicanda eam allegavit. Dux verò Neoburgicus nullius Electoris voluntate ultima nititur: sed argumenta voluntatis contrariæ non obscura adversus se habet. Dux Ioh. Casimirus voluntate etiam iurata fratris Tutor fuit. Dux verò Neoburgicus Consanguinei (Friderici scilicet IIII. Electoris nuper defuncti) dispositione ultima præteritus est: nec ullius ex iuramento, remedium aliquod iuris habet ad Electoralem tutelam sibi vindicandam. Dux Ioh. Casimirus Contutores facilè exclusit, utpote extraneos: cùm Neoburgicus, Contutor Serenissimo Bipontino datus non sit. Dux Ioh. Casimirus in Administrationis possessione tum fuit: & possidenti aliquid concedi, pacis publicæ bono potuit: cùm Dux Neoburgicus in Administrationis possessione non sit positus. Ex quibus apparet, Illustrissimi Principis Neoburgici causam Casimirianæ similem non esse, ut ovum ouo, lac lacti (quod tamen adserunt Adversarij), sed admodum dissimilem & diversam: ut Ducis Casimiri Tutela vel exemplo niti vel juvari non possit.

a] *p. 22. a. vers. Et sane si tum temporis in Electoris potestate non fuit, id quod minus est.*

ADIVNGERE legitimo Tutori contutorem Elector an possit, vel proximiori ac seniori ulteriorem præferre?

Secvndo loco Adversarij [a] hoc utuntur agumento. *Si Ludovicus Elector* (pater nuper defuncti) *non potuit id quod minus est* (scilicet adiectionem Contutorum contra Auream Bullam introducere): *quomodo nuper defunctus Elector* (Fridericus scilicet IIII.) *potuit id quod maius est* (nempe exclusionem senioris & proximioris Adgnati) *obtinere?* Sanè facile. Quia Ludovicus extraneos Tutores principaliter adiungere voluit, quod contra Aurearum Bullarum sententiam est, quæ innuunt, *unum Principalem Tutorem esse debere, & quidem consanguineum, non extraneum.* Et sic Ludovicus in eo erravit, quòd & plures Tutores æquales vel æquali iure esse voluit, & extraneos adiunxit: ut mirum non sit, Ducem Ioh. Casimirum Contutores suos exclusisse. Atenim Fridericus IIII. nihil prædictorum admisit, sed permittentibus Bullis Aureis testatus, remotiorem proximiori præferre potuit.

Tertio

TERTIO loco hac instantia utuntur [a] Adversarij. *Serenissimus Iohannes Casimirus tum temporis cum aliquibus Imperij Principibus magnæ autoritatis & potentiæ contendens, non minore sagacitate, Zelo & sedulitate usus fuit in revidendis Electoralis Archivi documentis, quàm fortassis à Bipontino* (id est Serenissimo Administratore Testamentario) *factum est: Et tamen prædictus Iohannes Casimirus dispositionem fratris Ludovici, quatenus Aureæ Bullæ non conveniebat, pro invalida, nulla & inutili indicavit.* Respondeo. Præjudiciis hîc agendum non esse, sed rationibus, nec quærendum, quàm diligens & accuratus in exquirendis Electoralis Archivi documentis Dux Ioh. Casimirus fuerit, sed an melius, aptius & verius, quàm recentes & Electorales, in hac Electorali Tutela senserit vel scripserit.

[a] p. 22. b. vers. Nec dubium est.

DUX CASIMIRUS an Archivum Electorale sagaciùs & diligentiùs evoluerit, quàm Dux præsens Bipontinus?

QUARTO tradunt [b] Adversarij, *verisimile quoque esse, Ducem Iohannem Casimirum, Principem prudentem, non minus prudentibus, probis ac doctis consiliariis usum fuisse, quàm nunc Dux Bipontinus* (id est Serenissimus Tutor Testamentarius) *utatur.* Respondeo. Argumentum illud præter comparationem in se odiosam, Adversariorum etiam confessione verisimile tantùm esse, non autem necessarium, nisi circumstantias alias ediderint Adversarij. Adhæc prudentes, probi doctique illi Consiliarij Ducis Ioh. Casimiri fuerint: & verum est tamen, Serenissimi quoque Bipontini Tutoris Testamentarij Consiliarios non minùs prudentes, probos doctosque esse posse: & prædictis nulla parte cedere: ut in externa horum vel illorum Consiliariorum præsumpta prudentia, probitate, doctrina, decisionem huius controversiæ collocare non oporteat, sed quæ rationes meliores sint, utrinque diligenter expendere. Addi potest, amplius in his (Bipontinis) quàm in illis (Ducis Ioh. Casimiri scilicet Consiliarijs) hoc esse: quòd Ducis Ioannis Casimiri Consiliarij, Serenissimi Tutoris Testamentarij Ducis Bipontini rationes ignorarunt, & eas examinare propterea non potuerunt: quas si percepissent vel cognovissent, dubio procul suam de Tutela legitima sententiam mutassent, & veritati adeò manifestæ pro suo candore & integritate protinus cessissent: cùm Serenissimi Bipontini Consiliarij Casimirianorum Consiliariorum rationes & momenta, velut tempore posteriores, expendere, & de rationibus illis judicare vel pronunciare possint facile, casq; censere, & quod caput rei est, reiicere. Priorum rationes velut mortuæ sunt præsentium vivæ, quia animatæ, id est, quia vivunt adhuc & superstites sunt Dei beneficio Serenissimi Bi-

[b] 22. b. vers. Verisimile quoque est Ducem Iohannem.

CONSILIARII Ducis Casimiri an prudentiores, probiores & doctiores bipontinis?

pontini Consiliarij, qui scriptis editis Testamentarias Tutelas Electorales in libertatem suam adseruerunt. Addatur & hoc: Ius paulatim per succedaneas Prudentum examinationes crescere, augeri, meliusque fieri. Serus licet vesper, aliquid interdum felix, priscis ignoratum, nobis vehit. Et incivile quoque admodum injustumque est, oculos, mentem, linguam posteris occludere, ut nihil adversus priorum vel majorum sententias mutire vel hiscere audeant.

a] p. 23. b. vers. Et memorabile in f.

D. MARQVARDI Freheri Consiliarij Palatini, V. C. pro Tutelis Electoralibus legitimis opinio.

QVINTÒ utuntur [a] Adversarij *D. Marquardi Freheri, Consiliarij Palatini authoritate*, pro stabiliendis Tutelis legitimis adversus Testamentarios. Sanè utuntur, & fuit cum ita sensisse videretur. Sed hominis ingenui pectus iam poterunt agnoscere, qui re tota diligentius deinceps examinata, & ad fontes suos revocata, veriorem tandem sententiam vidit, & apertè professus est: & legum Coryphaeos, quin & Caesares ipsos hac parte est secutus. Variavit olim quippe & sententiam suam ita mutavit Papinianus [b], Iulianus [c], Scaevola [d], Maecianus, quin [e] & Imperator ipse. Qua in re valde notanda Cuiacij [f] verba sunt: *Utinam* (inquit) *qui hoc tempore ius nostrum interpretantur, Papinianum imitati, ea quae vel falsò vel ineptè aliquando vel senserint & scripserint, ingenuè retractent: nec in eis, contra quàm postea resciverint, tam obstinato tamque obfirmato animo, ut faciunt, perseverent.* Et ita sanè est. *Non* [g] *est turpe cum re mutare consilium.* Sed ne quid alienum ab officio facere videar, melius me currenti magisque perito, & variis animi dotibus instructo (nulla pars enim Iuris utriusque, nulla rursus Historiarum, quae paulò reconditae sunt & abstrusae, magnum illum virum fugit) lampada, quod dicitur, amicissimus trado.

b] l. 6. in fin. ff. de servis exportandis. l. manifestissimi. 22. § sed cum in secunda 2. Cod. de furtis.
c] l. 19. in fin. ff. ad Senatusc. Vellejan: l. 1. Cod. de Emendat.
d] l. 23. ff. de adq. rerum dominio.
e] l. 17. ibi sed et cum Maeciano & aliis amicis nostris Iurisperitis adhibitis tractaremus, magis visum est. ff. de iure patronatus.
f] 2 observat. 37. in fi.
g] Seneca 4. de benefic. 38.

AD ALIA proinde me confero.

¶ Duodecimae Refutationis Refutatio.

h] p. 4. a. vers. Neque verò ullum.

XII.

EXEMPLUM Palatinum an possit proferri, quo Legitima Tutela Testamentariae fuerit antepostita?

i] p. 23. b. vers. Factum quoque est.

DIXERVNT [h] nostri, *Nullum ac ne minimum quidem exemplum in familia Palatina Electorali produci posse, ex quo appareat Testamentarium Tutorem legitimo cessisse, & a legitimo exclusum.* Adversarij contra, *Falsum* (scilicet [i]) *hoc quoque esse clamitant. Duo namque in promptu esse exempla: Unum Friderici cognomento Victoriosi: alterum Ducis Iohannis Casimiri.* Sed de Duce Ioanne Casimiro iam aliquoties diximus: dicemus & insuper olim, cum ad eius Resolutionem gradu suo & ordine pervenerimus. De Friderico verò Victorioso dictum est supra, ubi de Andreae Ratisponensis Presbyteri eiusque Continuatoris fide actum est.

PERGVNT

PERGUNT [a] interim Adversarij hoc ab Electoribus quærere. *Si ab intestato Aureæ Bullæ locus est* (ut scilicet Electorales adserunt) *cur Bipontinus* (id est Serenissimus Tutor Testamentarius) *non ultro INGRESSIONI suæ renunciat: cùm intestatus dicatur esse, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non iure fecit?* Respondeo. Paria quidem hæc duo esse facilis agnosco. Sed defunctum Electorem Testamentum adversus ius & leges condidisse pernego: ac proinde Serenissimum Bipontinum nihil causæ habere, ut ultrò ingressioni suæ, idest, Tutelæ & Administrationi, testamento legitimo ipsi delatæ renunciet. Imò quod personam Illustrissimi Principis Neoburgici attinet, cùm defunctus Elector intestatus quoad ipsum decesserit, nec eum testamento Tutorem dederit, ultrò sanè ab agendo desistere debet.

a) *p. 24. a linea 1. & seq.*

AB INTESTATO Serenissimus Bipontinus Tutor non est.

SED AD alia properemus.

¶ *Decimætertiæ Refutationis Refutatio.*

SCRIPSERUNT [b] Electoralium Testamentorum patroni, *Constare ex familia Palatina documentis, nonnunquam etiam circa ius successionis in Electoratu Dispositiones, Testamenta & Transactiones factas fuisse: & sic Electores interdum testatos de iure quoque successionis Electoralis: quin & interdum de illo Iure transegisse.* Adversarij quid?

b] *V. p. 4. vers. Imò constare.*

XIII.

DISPOSITIONES in successionibus & hereditatibus Palatinis Electoralibus, an interdum locum habuerint, & habere possint, & an à feudis ad successiones Palatinas argumentum ducere liceat?

PRIMUM omnium aiunt [c], *De successione in Electoratu non magis disponere licere, quam de feudo quolibet: in quo Vasalli ordinatio contra investituram & providentiam maiorum facta non valet: idque iuris expediti esse: aut si exempla proferentur, facti patientiaque fore, non iuris.*

c] *p. 24. vers. De successione in Electoratu.*

Respondeo, & quidem *primò*. Si licet Adversariis Electoratus & feuda in disponendi prohibitione componere, & inter se sic adæquare: cur non Electoralibus licebit (& quidem iustiùs) Electoratus feudis in Tutelari dispositione similes reddere, hoc sensu: Si possunt de liberorum & feudorum Tutela disponere Vasalli: Igitur & Electores? Quid quæso similius? *Secundo* potest defendi, certis [d] casibus Vasallis de feudo disponere permitti: & ita consequens erit, Electores certis etiam casibus de bonis Electoralibus disponere posse. *Tertiò* probabitur, si necessitas id postulaverit, Electores & quidem Palatinos de quibusdam bonis ad Electoratum pertinentibus interdum disposuisse, ut de Tutela multo magis disponere possint.

d] *V. 2. feudor, & ibi interpretes Tit. de prohibita feudi alienat. per Fridericum.*

a] *p. 24. a. verſ. Et ut contraria poſſint exempla proferri.*

Nec ad rem facit quod aiunt [a] Adverſarij: *Contraria licet exempla proferri poſſint, nihil tamen præiudicij ad evertendam Auream Bullam facere, quod multa ſæpe tolerentur per patientiam, quæ ſi in judicium deducantur, exigente juſtitia tolerari non debeant.* Nam hoc modo fatentur ſaltem tacitè Adverſarij, Diſpoſitiones, Teſtamenta & Tranſactiones, circa jus ſucceſſionis in Electoratu interdum locum habuiſſe, licet dicant ea facti & patientiæ eſſe, non iuris. Imò iuris eſſe alibi probavimus.

Verùm hoc miſſo de aliis diſſeramus.

¶ *Decimæquartæ Refutationis Refutatio.*

b] *p. 4. b. verſ. Item cauſas grauiſſimas.*

XIIII.

CAVSÆ PRÆTERITI Neoburgici à defuncto Electore graves an fuerint? & quæ illæ an religionis? an litium? an inimicitiarum causâ?

Scripservnt [b] Electorales, *Cauſas graviſſimas fuiſſe, quæ moverint Electorem, ut Sereniſſimum Neoburgicum præteriret & excluderet.* Adverſarij quid?

c] *p. 24. a. in fin. & b.*

OMISSVS vel præteritus cur ab Electore defuncto Conſanguineus proximior & ſenior fuerit? & an Religionis cauſa?

Primvm omnium dicunt [c], *RELIGIONIS intuitum inter has cauſas referri non poſſe: præſertim cum non attenta RELIGIONIS DIVERSITATE, in arctiſſimum Vnionis fœdus uterq; & Elector & Dux Neoburgicus condeſcenderint: ac propterea veriſimile non eſſe, voluiſſe tantos Principes una manu offerre ſibi invicem omnia Confœderatorum officia, & altera ius alteri delatum auferre,* et tectas inimicitias alere.

d] *Adſertione 19.*

I.

ELECTOR confœderati officia obtulit, nec ius Neoburgico delatum abſtulit, licet eũ teſtamento præteriit.

e] *1. . . de dolo*

Reſpondeo. Omiſſa, propter pacem, Illuſtrium Fœderatorum Religionis cauſa & eius inquiſitione, de qua ſuperius [d] diximus, negatur ſanè, Electorem una manu Illuſtriſſimo Principi Neoburgico omnia Confœderati officia obtuliſſe, & altera ius ipſi Neoburgico delatum auferre voluiſſe, & tectas inimicitias aluiſſe. Proditoris [e] enim eſſet id facere. Ac propterea non poſſunt huiuſmodi verba ab Adverſariis ſpargi ſine gravi & atroci piæ memoriæ Principis Electoris injuria & contumelia. Imò res notoria & plus quàm manifeſtiſſima eſt, defunctum Electorem arctiſſimum Vnionis fœdus cum Illuſtriſſimo Principe Neoburgico conſervaſſe. Et quidni poſt contractum Vnionis fœdus Illuſtriſſimo Principi Neoburgico ius ſuum ſervaret, quem etiam ante contractum fœdus, multis, & variis, & inſignibus modis, quantum potuit juvit, & cuius commoda promovit? *Deinde* negatur, Electorem defunctum de liberorum ſuorum Tutela teſtatum ius aliquod Illuſtriſſimo Principi Neoburgico delatum abſtuliſſe: quia (ut multis antea proba-

(tum eſt

tum est) proximiori & seniori Adgnato, DE IVRE scilicet Tutori & Administratori, & sic legitimo, nullum jus Tutelæ vel Administrationis nisi deficientibus testamentariis debetur. Debitum jus Tutelæ Neoburgico dici non potest, nisi conditio vel casus (deficientis scilicet Testamenti) extiterit: alioquin ante diem agit, & plus tempore petit. *Postremò*, quibus quæso indiciis vel argumentis probabunt Adversarii, Electorem defunctum TECTAS INIMICITIAS adversus Adgnatum aluisse? nisi quis Tectas Inimicitias putet, quòd defunctus Elector Iuliacensia auxilia à potentissimis Regibus & Statibus, missis in id magno cum sumptu & labore Legatis, obtinuerit: quòd transitum per provincias proprias auxiliantibus copiis permiserit: quòd annonam iisdem copiis præbuerit: quòd transitu militis externi agrum Palatinum iactura enormi adfici in Illustrissimi Neoburgici gratiam & commodum passus fuerit. Cùm hæc ita se habeant, incivilis & iniqui rerum æstimatoris est dicere, defunctum Electorem *lapidem pro pane Illustriss.mo Neoburgico obtulisse*. Imò qui de Electore ita sentiunt, pientissimo utique Principi pro pane id est beneficio & gratia lapidem vel (ut quidam loquitur) panem lapidosum reddunt.

SECVNDÒ negant [a] Adversarii, *Electorem justas* INIMICITIARVM *causas habuisse adversus Illustrissimum Neoburgicum, ex litibus plurium annorum de controversis limitibus: quòd lites illæ nihil commune cum Electorali Administratione habeant: Deinde, quòd per modum provisionis partium compositæ, partim etiam eius conditionis sint, ut sine ullo dispendio utriusque partis vel moram ferant, vel Electis curatoribus ad litem possint committi*. Sanè ita est, & verum in eo dicunt Adversarii. Propter enim liticulas de finibus & terminales controversias solùm, defunctus Elector Illustrissimum Principem Neoburgicum non præteriit, nec Testamentarium Tutorem ei prætulit.

a] *p. 24 b. vers. sin verò Dominus Elector.*

II.

AN PROPTER litium fines defunctus Elector Illustrissimum Neoburgicum præterierit?

TERTIO negant [b] etiam Adversarii, *Proximiorem & Seniorem Consanguineum ab Electore piæ memoriæ ob* EIVS INIMICITIAS CAPITALES *præteriri vel omitti testamento debuisse vel potuisse: quòd Illustriss.mus Neoburgicus nullas unquam inimicitias capitales adversus defunctum Electorem gesserit: quòd nihil in perniciem domus Electoralis tentaverit: quòd ista dici sine mendacii reatu non possint.* Respondeo. Si quid tale de *Capitalibus inimicitiis* ab aliquo scriptum fuit, fortassis propter testationes acerbiores ipsius proximioris & senioris Adgnati

b] *p. 25. a. vers. Fuisse autem unquam.*

III.

AN PROPTER inimicitias capitales defunctus Elector Neoburgicum præterierit?

dictum fuerit, amissionem scilicet omnium bonorum, exilium, infamiam, multam, & invasionem ipso facto Electori denunciantis: & à quolibet invadi posse ipso facto cum totius Electoratus ruina, labe & pernicie, dicentis: & ita viam invadendi & irruendi aliis ignotam præmonstrantis: denique quemlibet adversus eum invitantis. Hæc adversus defunctum Electorem dicta testata, fœderis & amicitiæ signa vel testimonia fuerint, accutiores me Adversarii viderint, & iudicent tandem Exteri. Huiusmodi sanè diræ metum maiorem constantissimis etiam viris incuterent: nec nisi flabra, præludia & incentiva mutationis omnium periculosissimæ, nuncupari possunt. Satius itaque fuisset ab huiusmodi verbis asperioribus Adversarios abstinere, quam Generosi sanè Leonis liberis in os talia dicere. Denique publicæ rei consultum fuisset melius, si suum jus Adversarii via juris ordinaria legitimaque, non illis remediis extraordinariis, & machinationibus suis, non sine minis atrocissimis, & variis diffamationibus executi fuissent: si nemo quosque ad invadendum ipsum vel Electorem vel Administratorem Testamentarium protestationibus editis invitasset. Ab huiusmodi namque turba, cœtu, vel coactis in unum hominibus nihil nisi triste, sævum & abominandum expectare defunctus Elector vel præsens Administrator potuit vel possit. Exitum talium protestationum spectent quæso deinceps diligentiùs Adversarii, non alium utiq; quàm lugubrem, funestum & furiosum deprehendent. DEVS itaque nobis meliora, & talia avertat, concordiaque tandem inter adeo proximos Consanguineos & coniunctos aucta sit potiùs quàm minuta.

a] *p. 25. a. vers. Et hoc denique manifestum est Ducem Neoburgicum.*

IIII.

CONSCIENTIAM cuiusquam cogere se velle, an unquam Neoburgicus dixerit?

QVARTÒ dicunt [a] Adversarii, *Manifestum esse, Ducem Neoburgicum semper in ea sententia fuisse:* NEMINEM IN SVA CONSCIENTIA COGENDVM: *sanctè etiam observandam Electoris defuncti ultimam voluntatem:* QVATENVS AVREÆ BVLLÆ NON REPVGNAT. Sanè nullus dubitat, de Pietate, FIDE, & Prudentia singulari tanti Principis. Et utique res hæc tota feliciter eius voto cecidisset, nisi defunctus Elector paulò acerbiore quodam illius responso se offensum censuisset, & prædictas protestationes ad animum revocasset. Sunt & præterea hæc Adversariorum verba, *Quatenus Bulla Aurea non repugnat*, talia & ita naturâ suâ comparata, ut nihil certi spondeant. Veluti si tibi legum perito stipulanti promisero, *me tuam voluntatem sanctè servaturum, quatenus legibus non repugnabit*, sanè demonstro, me leges velut voluntate tua superiores appellaturum, &

rum, & eas aliter intelligere posse vel etiam velle, quàm tu ipse intelligas, & aliquid in legibus esse quod voluntati tuæ contrarium sit. Hinc fit ut huiusmodi clausula restrictiva, litium complurium sæpè seminarium sit. Vt proinde defunctus Elector de Testamento faciendo fortassis cogitaverit, cùm voluntaté suam ad Bullam Auream referri deprehendit, quasi Bullam ipsam Auream non ipse tunc satis intelligeret, & verum eius sensum ignoraret. Norunt hoc juris forique periti maximè, quales catastrophas Vox & Clausula illa Restrictiva, *Quatenus*, trahere secum soleat, utpote jus reservans excipienti, ut & Clausula [a], *Si & in quantum* &c.

a] *de qua vide Bald. l. Edita n. 98. C. de edendo. Alciatum 6. Responsor. 48. n. 4. & ibi allegatos alios.*

QVINTO negant [b] Adversarii, *Illustrissimum Neoburgicum Administrationem Electoralem adfectasse liberam, & nullis cancellis limitatam.* Quinimò aiunt, *ipsum adquiescere voluisse in Electoris defuncti voluntate, quoad ordinationem Regiminis & Politiæ, tam in Civilibus quàm in Ecclesiasticis, nec non quoad educationem liberorum: & secus vel aliter dicta, aliena à facti veritate esse.* Addunt tamen (& ad Acta provocant) *Illustrissimo Neoburgico oblatam a defuncto Electore in eventum Electoratus Administrationem, sed iis circumscriptam conditionibus, quæ sine summo & præjudicio & dedecore acceptari non potuerunt.* Sed cùm Adversarii ad Acta provocent, Acta proinde consulantur & edantur, ut veritas editis Actis appareat. De his tamen posthac aliquid libro VI. dicemus, cùm ad Replicas Responsionis Apologeticæ venerimus.

b] *p. 25. a. vers. Recusasse autem aliquãdo.* ADFECTAVERIT nec ne liberam Tutelam Neoburgicus?

DE ALIIS interim videamus.

¶ *Decimæquintæ Refutationis Refutatio.*

SCRIPSERVNT [c] Electorales, *Ducem Bipontinum non modo vivo adhuc Electore juratò promisisse, in se suscipere hanc Administrationem, sed & post obitum* POSSESSIONEM *adquisivisse, juramentum fidelitatis exegisse a subditis, & passim tam extra imperium, quam in Imperio à multis & summi & inferioris gradus personis Tutorem & Administratorem Electoralem agnosci, Testamentum etiam Electorale confirmatum ab ipso Imperatore pro se habere: ac propterea consequens esse, quòd in hac possessione*

c] *p. 4. b. vers. Et cùm Dux Bipontinus.*

XV.

INVASOR Tutelæ non est Bipontinus.

possessione nisi per legitimam Iuris formam turbari non possit. Adversarii quid?

a] p. 15. b Versiculo ad Extremum & 26.

Primò, *Hac nihil Serenissimum Bipontinum relevare: quòd* De facto invaserit Electoratus possessionem, *& juramentum fidelitatis exegerit: quòd per* sub & obreptionem *quorundam suffragiis emendicatis Tutoris & Administratoris nomen* extorserit: *eam enim* Occupationem, *vi partim, & partim* callide *ac* clam *factam fuisse: Serenissimum Neoburgicum (tanquam unicum verum & legitimum Administratorem) palam & solenniter, tum publicis scriptis, tum implorato Cæsaris officio contradixisse: Consequens esse,* eam intrusionem *nomen legitima possessionis nequaquam mereri: cùm de Iure* vitiose *dicatur possidere, qui* clam & furtive *ingreditur possessionem,* ignorante eo, *quem sibi controversiam moturum suspicatur, & ne faciat, timet: Improbam possessionem firmum Titulum possidenti præstare nullum posse: præsertim cùm* attentata *ea omnia è diametro pugnent cum Aurea Bulla & eius Declaratione Regia & Cæsarea &c.*

Sed uno verbo negantur prædicta illa omnia, innocentissimo omnium Principi ab Adversariis obiecta. Nullis enim rationibus, vel indiciis, vel testibus probarunt, Serenissimum Bipontinum de FACTO invasisse Electoratus possessionem: ut nec eius subreptiones, obreptiones, & emendicata suffragia. Nullis etiam argumentis demonstrarunt, eum possessionem Electoratus extorsisse, vel vi, callidè, & clam occupasse: nullis indiciis docuerunt, intrusum, vel furtivè ingressum: nullis signis ostenderunt, eius improbam possessionem & Attentata. Hæc adeò aliena, nisi liquidis & Sole meridiano clarioribus argumentis Adversarii probaverint, nihil effecerint. Quis alioqui innocens erit, si accusasse sufficiet? Secundò. Vltro quoque (si quis id desideraverit) liquidò probari poterit, Serenissimum Bipontinum, nihil nisi jure, bona fide, palam, quietè & placidè fecisse: imò sine cuiusquam injuria vel minima possessionem Administrationis Electoralis adprehendisse: nihil denique contra jus, vel leges, vel Aureas Bullas attentasse. Hoc autem repetita re tota ab initiis suis sic demonstro.

Primùm constat, Serenissimum Electorem defunctum Testamentum condidisse ultro sponteque sua, nulla vi adhibita à Duce Bipontino, aut quovis alio. *Secundò* constat, defunctum Electorem testatum esse adhibitis Iurisconsultis & Consiliariis pluribus, &

quidem

quidem præstantissimis, doctissimis & sinceris, non suggestis, nominatis vel intrusis à dicto Bipontino, sed ab ipsomet Electore delectis.
Tertiò constat, defunctum Electorem, Principum non tantùm exterorum, sed & Germanicorum, complurium consilio testatum, ut fraudis & doli suspicione omni prædictus Bipontinus meritò liberandus sit: nisi fortassis Adversarii, Principes illos Germanos & Extraneos fraudis & doli mali arguere velint. *Quartò* constat, prædictum Ducem Bipontinum, ab Electore defuncto quæsitum, petitum, evocatum, ut vis & intrusio omnis ex parte Ducis Bipontini abfuerit. *Quintò* constat, defunctum Electorem, eundem Serenissimum Bipontinum jurejurando adegisse, ut hanc Tutelam in se reciperet: & sic non leviter, sed cum instantia rogasse. Iusjurandum [a] enim enixæ voluntatis argumentum est, & fidem [b] auget. Vnde satis colligitur, Serenissimum Bipontinum in hanc Tutelam se non ingessisse, sed seriò atque seriò rogatum, & jurejurando adactum, & sic velut Deo præsente & teste invitatum & electum. *Sextò* constat, decumbente piæ memoriæ Electore, eundem Bipontinum crebris nunciis ab illo accersitum, missis in occursum suum equis & curribus, Heidelbergam (quæ totius Electoratus sedes velut regia est) venisse, paucissimis admodum comitibus secum adsumptis, ut nulla vis possit ei obiici. *Septimò* constat, dictum Bipontinum velut cœlitus & divinitus missum, à Curiæ Electoralis Proceribus, Consiliariis, Ordinibus & Collegiis omnibus, palam & publicè, in arce & urbe Heidelbergensi gratanter exceptum: nullis coactis hominibus, sine turba, effractione, pulsatione, læsione, vulnere vel cæde cuiusquam, possessionem Administrationis adeptum esse.
Octavò constat, etiam hodie (quod maximum sanctitatis, innocentiæ & integræ conscientiæ Ducis Bipontini indicium est) dictum Ducem Bipontinum corporis sui custodibus cingi, non Biponto adductis, sed Palatinis, quibus defunctus Elector ipse protectoribus usus sit: ac ne quidem omnibus illis, sed longè paucioribus, Aulâ Electorali ad parsimoniam & frugalitatem priscam revocatâ: cùm alioqui soleant occupatores, incubatores & intrusi, militibus externis & satellitio stipatorum uti, & iis quidem pluribus, probè scientes, *Malum [c] diuturnitatis custodem esse metum*. Hæc simplicitas & ingenuitas in publicum prodeundi, qua Serenissimus Bipontinus utitur, non modò eum ab occupationis & intrusionis accusatione, sed & à suspicione ipsa prorsus liberat, ut ab illis criminibus, de quibus accusatur, non minùs alienus sit, quàm cœlum à terra distat. Et ita est: *Salvum [d] Principem in a-*

a] *l. cum pater 77. §. filius 23. π. de legat. 2.*
b] *l. cum quis 37 §. Codicillis 5. π. de legat. 3. Adde novellam 48.*
c] *Cicero 2. Officior.*
d] *Senec. 1. de Clement. 19.*

perto Clementia præstat. Vnum est inexpugnabile munimentum, Amor Civium: nihilque pulchriùs, quàm cunctis optantibus vivere. Nonò. Bona fides & innocentia prædicti Bipontini ex eo magis etiam elucet, quòd Testamentum defuncti Electoris non nescio nec vetante Imperatore conditum fuerit, & quòd prædicti Bipontini Administratio & possessio pendente lite ipsi permissa, & sic non obscurè à Cæsarea Maestate sit probata. Iustè [a] namque & sic bona fide, non clam, non vi, non precariò, non furtivè (ut confingunt Adversarii) possidet, qui tanto Prætore (ut ita loquar) autore possidet: ut improbus, injustus & furtivus possessor non nisi cum ipsius Cæsaris injuria ab Adversariis dici possit. *Decimò*. Hallucinantur valde Adversarii, cùm diligentiam & vigilantiam dicti Bipontini in gerenda & administranda Electorali Tutela, vim, occupationem & intrusionem vocant: cùm fidem & quidem sinceram & bonam appellare potius debeant: quòd nullum temporis momentum abire frustra vel perire passus sit. Imò stupor & mala fides in eo fuisset, si Administrationem distulisset, vel traxisset in dies etiã aliquot: quanto magis si judicii ordinarii dilationes, & æmuli competitoris exceptiones, replicationes, triplicationes, duplicationes, & similes juris eludendi modos exspectare voluisset? *Vndecimò*. Nihil ad rem facit, quod aiũt [b] Adversarii: *dictum Bipontinum possessionem Electoratus ingressum* IGNORANTE *eo quem sibi controversiam moturum suspicabatur, & ne faciat, timet*. Esto namque, & dictus Bipontinus possessionem Electoratus cito vel protinus apprehenderit, IGNORANTE eo, quem sibi controversiam moturum suspicabatur: ob illam tamen suspicionem suum officium differre vel omittere non debuit: Et eò quidem magis, si scivit & certò persuasum habuit, neminem nisi injustè controversiam ipsi moturum esse. Hoc enim casu non suspicionibus, sed fidei & opinioni certæ cedere debuit. Et quid si Adversarii possessionem Electoratus adepti priores fuissent, & Serenissimum Bipontinum prævertissent? Sanè nec invasores, nec violenti, nec intrusi audire vellent. Et absurdum quoque est, ut Illustrissimus Bipontinus fundatus in Testamento omnino solenni, & sic in Iure Communi, Administrationis delatæ possessionem adipisci differat ob prætensa quorundam jura, qui Tutelam sibi vendicant contra tabulas, anomalam, & sic extraordinariam, & nuper vel hodie in orbem nostrum invectam, & cum eo litiget, nec nisi lata sententia negotia Electoralia gerat vel administret. Hæc enim dilatio vel mora Electoratum vacuum (sine gubernatore scilicet & Administratore) redderet, quæ res compen-

IMPROBVM Possessorem Neoburgici appellant eum, cuius possessio à Cæsare sit probata.

a] *l. justè possidet 11. π. de adquir. poss. l. Et si quis 14. vers. sed si addita, qui autore, iudice. π. de Religios.*

DILIGENTEM in administrando, intrusum & violentum appellant Neoburgici.

b] *p. 26. a. vers. qui clam & furtivè.*

IGNORANTE Adversario (qui ius nullum habere dicitur) ingrediẽtem possessionem, iniustum possessorem appellant Adversarii.

compendiosissimam omnium viam ad evertendum funditùs Electoratum sterneret. Vnde colligitur, dictum Bipontinum jure, & legitimis & ordinariis modis, possessionem Electoratus adeptum: imò non aliis modis debuisse vel potuisse gerere. Ac prætereà citare Dux Bipontinus, Electoris solenni Testamento nixus, non habuit necesse eum, qui in Testamento nominatus Tutor non est. *Duodecimò*. Licet eatur per omnes Imperii sacri familias, aulas, Tutelas: nunquam tamen reperietur, nec reperiri nec excogitari poterit alia adipiscendæ Tutelæ ratio legitimo Tutori Testamentario præstituta, præter eam, quam Serenissimus Bipontinus est secutus. Non enim defuncto Electori hanc Tutelam suggessit, non in eam vi se ingessit, sed à defuncto expetitus, nominatus, vocatus, rogatus, adjuratus. Mortui Electoris Testamentum servavit, omnibus omnino Ordinibus obviam euntibus, portas ultro ei adaperientibus, jurantibus. Cæsaris etiam concessione possessionem, Administrationis est adeptus. Fecit utiq; quod in Electoralibus & Principalibus Tutelis fieri solet, potest & debet. Viam hanc tritam, communem, regiam, receptam & ordinariam est secutus. Nemo puto eum violentiæ vel intrusionis accusare poterit. Imò quis non eum laudare vel commendare debebit, quòd legitimis modis, & sine sudore & sanguine, possessionem Electoralem sit adeptus? quòd omnium Palatinatus ordinum consensu suam Administrationem protinus & adeo feliciter auspicatus sit, relicto Ducatu proprio, relictis etiam gravioribus aliis litibus? & quòd celeritate & diligentia sua, pacem & tranquillitatem insperatam provinciæ Palatinæ addidit & hucusq; servavit? *Decimotertiò*. Non obstat quod aiunt [a] Adversarii, *Serenissimum Bipontinum possessionem Tutelæ, vi, callide, clam occupasse, cùm tamen Serenissimus Neoburgicus, tanquam unicus & verus & legitimus Tutor & Administrator, palam & solenniter, tum publicis scriptis, tum implorato Cæsaris officio contradixerit*. Contradictio namq; hæc Illustrissimi Principis Neoburgici Ducem Bipontinum injustum aut violentum possessorem non facit. alioqui quælibet oppositio vel contradictio injustum possessorem faceret, & nullo se miscente rebus Electoralibus gerendis) vacuam possessionem in longum & infinitum tempus, magno liberorum, subditorum & bonorum Electoralium damno & periculo redderet. In plenum itaq possessionis judicium contradictiones huiusmodi (quæ causæ cognitionem & altiorem indaginem requirunt) reiiciendæ sunt, & ibi terminandæ: interim autē in possessione, bono pacis publico, vel potiùs communi jure manutenendus est is, qui secutus voluntatem solennem

CONSVETVDO Electoralis, Administrationis Electoralis adipiscendæ.

b] *p. 26. a. vers. Cùm enim ea occupatio.*

CONTRADICENTE Neoburgico an Bipontinus possessionem Administrationis Electoralis ingredi potuerit?

defuncti, quique omnium ordinum consensu palàm, non clam, sine turba, sine vi ulla vel minima, possessionem Electoralem est ingressus: remissis interim, & quidem ex decreto & provisione ipsius Cæsaris, Adversariis contradictoribus & opponentibus ad ordinarium principalis causæ vel possessorii plenarii judicium, si vel in possessione vel principali gravati, læsi, turbati, dejecti fuerint, & id liquidissimis argumentis probaverint.

SED NVNC ad alia pergamus.

a] *p. 26. a. Vers. præsertim cùm attentata.*

ATTENTATA contra Bullas & Regias Declarationes, item contra pacta familiæ Electoralis Palatinæ, aliqua an possint obiici Duci Bipontino?

SECVNDÒ aiunt [a] Adversarii, *Serenissimi Bipontini* ATTENTATA (sic enim appellant) *è diametro pugnare cum Aurea Bulla & eius Declaratione Regia & Cæsarea, nec non cum hæreditariis pactis Serenissimæ familiæ Palatinæ.* Sed ATTENTATA illa pernegantur. Testamentarius enim Tutor Electoralis Administrationis possessionem ingressus, Bullis & Declarationibus Cæsareis & pactis Palatinis permittentibus (ut alibi diximus) aliquid attentasse dici non potest in fraudem & damnum legitimi proximioris & senioris Adgnati: ut cui (proximiori scilicet Adgnato) nullum jus Bullis, earum Declarationibus, vel pactis Palatinæ familiæ sit quæsitum, existente aliquo Testamentario Administratore, ut alio loco satis superque & diffusè probavimus.

b] *p. 26. b. lin. 1 Vers. in prædicta enim Bulla.*

POSSESSOR Administrationis proximus & senior Adgnatus quo sensu dicatur?

c] *p. 27. a. linea 1. & sequentibus.*

TERTIÒ non obstat caput Aureæ Bullæ VII. ab Adversariis Testamentario Administratori obiectum [b]: ibi, *POSSESSOR legitimus.* quo ex loco Adversarii probare conantur, *Illustr ß mum Neoburgicum, possessorem legitimum Electoralis Principatus esse: & propterea possessionem liberam & quietam Duci Neoburgico adjudicandam, & POSSESSIONEM eius ad normam & præscriptum Aureæ Bullæ referendam esse, ut POSSESSOR [c] sit in catalogo & numero eorum qui in Aurea Bulla ad Electoratum & eius Administrationem vocantur. Id autem* (aiunt Adversarii) *de Serenißimo Bipontino dici non posse, qui licet de familia Palatina sit, non tamen senior & proximior existit.* Hoc, inquam, ab Adversariis ex Bulla Aurea obiectum, nihil ad rem facit: quia Caput illud quod allegant, nominatim loquitur de POSSESSORE LEGITIMO Iuris, vocis, officii, dignitatis, & sic de possessore prædictorum omnium jurium ab intestato, non autem testamento condito. Atqui in hac Tutelæ Electoralis controversia legitimus POSSESSOR nullus dari potest, quia Testamentarius communi jure eum præcedit. Vnde colligi potest, Testamentarium Administratorem (velut legitimum pos-

mum possessorem) quieta & libera debere possessione gaudere, & illam voluntatem Aureæ Bullæ esse. Quod & clarius sequenti Syllogismo demonstro. Possessio Electoralis Administrationis ad normam & præscriptum Aureæ Bullæ permittenda & adiudicanda est: ut scilicet is quieta & libera possessione gaudere debeat, de quo Aurea Bulla sensit, quemque legitimo & ab intestato Tutori prætulit. Atqui Bullis Aureis proximior & senior Adgnatus *de Iure tantùm* Tutor esse debet, id est, legitimus & ab intestato (ut alibi pluribus ostendimus) qui Testamentario Tutori Iure et de Iure cedit & cedere debet. Serenissimus itaque Bipontinus, Tutor Testamentarius, debet ex sententia manifestissima Bullarum, quieta & libera possessionis Administratione gaudere, & ipse & nemo alius per cæteros alios Principes Electores ad Tutelam & omnes actus Tutelæ gerendos, omni tempore assumi & sine contradictione qualibet admitti. denique ad normam & præscriptum Aureæ Bullæ, POSSESSOR Administrationis Electoralis est, & in catalogo & numero eorum qui in Aurea Bulla ad Electoralem Administrationem (tacitè & earum sententia) vocantur. Quia Bullarum mens hæc est: Proximiores & seniores Adgnatos hoc jure vel titulo contentos esse, ut sint de *Iure Tutores*: id est, ad Tutelam Electoralem admittantur eo modo, & ea norma, qua cæteri de Iure & Legitimi Tutores, & sic ut cedant Testamentario Tutori, & post testamentarium tantùm Tutorem admittantur.

QVARTO non obstat quod aiunt [a] Adversarij, *TITVLVM quidem Administrationis Serenißimo Bipontino ab Electoribus & quibusdam aliis tribui, sed illam INTITVLATIONEM quorundam Electorum* ESSE VT SINGVLORVM, *non* VT VNIVERSORVM, *sicut & Imperialis Camera, quæ nudis supplicantum narratis defert*. Et rursus, *Titulum illum Administrationis tribui quidem Bipontino etiam ab aliis*, sed id PRO AFFECTV IVDICANTIVM FIERI. *Cæterum huiusmodi Intitulationes causam Serenißimi Bipontini non juvare*. Cur? *Quia* (inquiunt Adversarij) *ad usurpandum nomen Administratoris Electoralis* CVM TITVLVS LEGIS REQVIRATVR, PRIVATORVM *non sufficit*. Sed facilis est ad omnia superiora responsio.

a] *p. 27. vers. Vnde & prætensa intitulatio.*

TITVLVS Administratoris datus Bipontino à cæteris Electoribus & Camera & quibusdam aliis, qualis sit: & an jus Administrationis saltem in possessione ei tribuat?

PRIMVM enim, quod attinet ad Titulum Administratoris Serenissimo Bipontino à quibusdam Electoribus tributum, licet tributum concederetur, velut à singulis, non velut ab universis, idest velut coa-

TITVLVS Administratoris tributus Bipontino præiudicium in causa possessorij ei tribuit, ut Neoburgico præferatur.

ctis in unum collegium omnibus Electoribus: grande tamen præiudicium prædicto Duci Bipontino (quod possessionem attinet) confert, & causam eius, Neoburgensi meliorem facit. Quia Titulum Administratoris à cæteris Electoribus Dux Neoburgicus non habet: & in eo saltem superatur à Duce Bipontino, Titulo scilicet præsumpto, & præjudicio singulorum Electorum licet non universorum. Quinimò potest dici, intitulationem illam Administratoris Duci Bipontino tributam à cæteris Electoribus, COLLEGIALITER, (& sic ab universis vel maiori parte) tributam videri: quia ut collegialiter aliquid decretum dici possit ab Electoribus, non est necesse, vt eodem semper tempore & loco simul omnes Electores sint præsentes (rarum est enim, ut omnes Electores ita conveniant per se vel per legatos) sed satis superque est, ut quod unus hodie probavit, hoc alter postea comprobet: quia ratihabitio [a] mandato comparatur.

a] l. ult. Cod. ad. Macedon. l. In Donationibus π. de donat. inter virum. l. 1 § quot π. de vi & vi armata.

NEC OBSTABVNT, quæ à Speculatore [b] & Alberico [c] traduntur, citatis pro contraria sententia legibus [d] aliquot. Quia leges illæ possunt intelligi de Corporibus & Collegiis, fixam & certam semper in uno & eodem loco sedem habentibus. At Electores, huiusmodi sedem fixam uno & eodem loco non habent, sed separatis admodum locis & provinciis. Leges illæ sunt de collegiis, quorum personæ facile (ad pulsum verbi gratia campanæ) simul convenire in unum possunt. At Electores non ita conveniunt. Leges illæ pertinent ad collegia, in quibus Rector est aliquis. At Electores omnes pares sunt. Leges illæ sunt de minorum gentium collegiis. Electorum collegium est omnium Nobilissimum & Illustre: ut ad illos Iuris Communis scrupulos meritò redigi non debeat. In legibus illis ius publicum non adeò vertitur, ut à Iure Communi in illis facile recedi non oporteat. At publica magis utilitas elucet in Electorum collegio, ut à Iure Communi eorum causa recedere paulisper liceat: ne publica res dispendium & damnum sentiat, Electoribus in unum & eundem locum non facilè vel frequenter convenientibus. Adhæc esto: & unus Elector hodie, alter sequenti die, tertius tertio die consentiat: & consenserint ab initio ut singuli, non ut universi: verum est tamen, quemadmodum unum, duo, tria, quocunque tempore conjuncta, faciunt sex: ita quoque quod unus Elector hodie, alter secundo, tertius tertio die consenserit, Collegii totius & integri votum dici possit, si singulorum vota postea conjunxeris. Et eò quidem magis, quòd singuli singulis votis suis teneantur, ut postea pœnitere eis non liceat, nec quod semel sigillatim probaverint, adunati postea retractare vel mutare possint.

b] Tit. de Syndico. n. 2.
c] l. multis, n. 6. π. quod cuiusque universitatis nomine.
d] l ult. Cod. de prædiis Decurion. l. penult in fin. Cod. de legat. l. 2. de vendendis rebus civitatis.

Non

Non enim quidquam temerè tanti Principes, tot consiliariis muniti, facere præsumuntur, sed captato priùs consilio: præsertim si personam, rem vel actionem eandem, sæpius uno & eodem modo probaverint. Nec sunt Electores privatis Tutoribus pluribus ea parte comparandi, quorum omnium authoritas simul interponi debet: præsertim cùm in pluribus Tutoribus id non[a] semper obtineat.

a] *l. un. Cod. arbitrium Tutelæ: l. 4. π. eodem.*

NON EST etiam apta similitudo, qua Adversarij utuntur, cùm aiunt[b]: *Intitulationem Administratoris Duci Bipontino à singulis Electoribus sigillatim tributam, singulorum esse, non universorum, sicut & Imperialis Cameræ, quæ nudis supplicantium narratis defert, & id videri factum singulorum non universorum.* Hoc enim pernegatur. Dicendum est enim potiùs, huiusmodi Cameræ deferentis supplicantium narratis decretum, factum esse universæ vel totius Cameræ, non Adsessorum singulorum viritim: sed decreta illa simplicia nòn esse nec pura, sed conditionalia, & valitura tantùm donec contrarium probetur. Huiusmodi decreta narratis partium deferentia, sunt temporariæ tantùm & velut interlocutoriæ quædam sententiæ, ordinandæ scilicet litis principalis gratia: & quædam (ut ita dicatur) Iudicum & Adsessorum ad tempus conniventiæ: ut processus citiùs finiatur ac terminetur, ne de minutis articulis causæ quibuscunque molestissimè litigetur.

b] *p. 27. a. vers. sicut & Imperialis Cameræ.*

DECRETA Cameræ ad supplicantium narrata interposita, non sunt censenda factum singulorum, sed universorum: temporaria sunt, litis tantum ordinandæ gratia.

NEC ETIAM ad rem facit, quod aiunt[c] Adversarij, *Titulum Administratoris à quibusdam Duci Bipontino tributum quidem esse, sed id PRO AFFECTU iudicantium factum esse.* Quia saltem ex illa circumstantia adparet, verum non esse, quod dicto Duci Bipontino superiùs est obiectum: nempe ipsum vi, clam, & furtivè possessionem Administrationis Electoralis ingressum esse, & intrusum. Non est enim præsumendum, Reges Principes & Status, qui titulum Administratoris Duci Bipontino tribuerunt, tam alienos ab omni humanitate vel æquitate esse, ut affectui cœco aliquid ea parte tribuere velint, & Illustrissimum Principem Neoburgicum iure suo spoliare, vel intruso adversus iustum possessorem favere. Et sanè magnos illos Reges, Principes ac Status clam admodum pungunt, & magnorum illorum Principum & Statuum fidem, honorem & existimationem suggillant Adversarij: qui tamen omnes nuper ad Iuliacum de Illustrissimo Principe Neoburgico adeò benè meriti videntur, nec minus ipsi quàm Duci Bipontino amici, ut par[d] affectionis ratio, omnem suspicionis occasionem tollere meritò debeat.

c] *p. 27. a. vers. Vide & prætensa: ibi pro affectu iudicantium.*

TITULUS Administratoris Duci Bipontino à Regibus, Principibus & Statibus non est pro affectu tributus.

d] *l. non solum 67. §. 1. π. de ritu Nuptiarum.*

NEC AD rem facit etiam, quod dicunt[e] Adversarij, *ad usurpandũ nomen Administratoris Electoratus, Titulum legis requiri, nec privatorum sufficere.*

e] *p. 27. a. vers. cum ad usurpandum.*

TITULUS legis an requiratur, ut quis nomen Administratoris sibi sumat?

Primùm

Primùm enim certissimum est, Tutoris & Administratoris titulum testamento privati vel à Iudice deferri posse, & ita delatum usurpari per eum rectè, qui Tutor privati testamento vel à Iudice datus sit. Eadem ratione potest quilibet privatus rerum suarum Administratorem vel Actorem constituere. Vnde liquet, ad usurpandum Tutoris & Administratoris Titulum, Titulum Legis non semper requiri, sed ab homine rectè interdum dari vel constitui. *Secundò* esto: & ad usurpandum titulum Administratoris Electoratus Legis titulus requiratur, & privatorum non sufficiat: potest tamen adhuc dici, Serenissimum Bipontinum titulum Administratoris Electoratus etiam nunc usurpare meritò posse: quòd testamento Tutor & Administrator Electoratui datus sit, & quod testamento fit, lege fieri quoque censeatur: non modò quòd Testamentum Lex [a] dicatur: sed quòd Tutoris Testamentarij datio legibus sit permissa: [b] & quod permittente, concedente & adnuente lege factum, lege factum censeri possit. Inde fit enim, ut hæreditas ex Testamento ad nos pertinere *ex veteri Iure* [c] dicatur, & Tutela Testamentaria *lege* [d] *XII. Tabularum* permissa: sive quia lex Civilis Tutelas Testamentarias confirmat [e]; sive quia lege XII. Tabularum potestas Tutores constituendi tributa est [f]. Vnde colligo, testamentarium omnem tutorem, administratorem & curatorem, titulum legis habere dici posse, ad usurpandum Tutoris & Adminstratoris nomen. Legis enim titulum habet, qui lege permittente facit aliquid: quia non [g] una legis virtus est in imperando, prohibendo, puniendo, sed etiam in permittendo.

a] *Novella 22.*
b] *§. Permissum. Instit. De tutelis.*
c] *l. 1. π. de hæredit. petit.*
d] *l. 1. π. de Tutelis.*
e] *l. Tutor in fin. π. de Testam. Tut.*
f] *l. Verbis 120. π. de Verb. significat.*
g] *l. legis virtus 7. π. de legibus.*

NEC OBSTAT quod aiunt Adversarij, ex præcedentibus colligi, *multo* [h] *magis inde sequi hunc titulum* (Administratoris scilicet) *& hoc munus Tutelæ atque Administrationis, ut & eius possessionem, soli Duci Neoburgico, & nulli prorsus alij pro tempore competere.* Quæro siquidem, Quibus ex verbis illud, *Multo magis*, quod Adversarij usurpant, sequi possit vel sequatur? Quæro denique, Vnde probent, hunc titulum Administratoris, & hoc munus Tutelæ & Administrationis Electoratus Palatini, & eius possessionem, soli Illustriss. Principi Neoburgico, & nulli prorsus alij pro tempore competere?

h] *p. 27. a. circa finem vers. Multo ergo magis inde sequitur.*

TITVLVS Administratoris & eius possessio non competit Duci Neoburgico, nec alij, quàm Duci Bipontino.

NEC OBSTAT etiam quod aiunt [i], *Illum Honoris & publici muneris Titulum Illustrißimo Neoburgico iam PASSIM, tam extra quàm in Imperio, a multis summi & inferioris gradus tribui.* Potest enim quæri, quemadmodum Adversarij probare possint illud PASSIM tam extra quàm in Imperio? Deinde parum est, titulum illum ipsi à multis

i] *p. 27. b. Vers. Quem honoris & publici muneris.*

TITVLVS Administratoris non passim tributus est Duci Neoburgico, ut Duci Bipontino.

multis summi & inferioris gradus tribui, nisi ab ipsis Electoribus, vel etiam ab ipso Cæsare, vel etiam à Regibus, & magnis Statibus sit tributus, uti Serenissimo Bipontino datus est.

NEC RVRSVS movet quod aiunt [a] Adversarij, *Prætensiones quibus Dux Bipontinus utitur, nihil aliud esse quàm prohibita, inordinata & ipso iure nulla* ATTENTATA, SPOLIA, ET INVASIONES, *quæ ex adserta Testamenti Electoralis dispositione iustificari minimè possint*. Quia huiusmodi verba calore quodam iracundiæ, & quidem variis contumeliis admixtis, ab Adversariis prolata videntur, sine ratione, sine lege: nec probantur etiam, nec probari unquam poterunt.

a] *p. 27. b. vers. Ea verò quibus Bipontinus.*

PRÆTENSIONES Ducis Bipontini non sunt attentata, spolia, vel Invasiones.

NEC ETIAM obstat quod aiunt [b], *Successionis Testamentariæ incapacem, in eam de iure non immitti, nec eius possessionem ingredi propria authoritate posse*. Negatur enim (est quippe κρινόμενον illud, de quo nunc tantopere quæritur & controvertitur) Serenissimum Bipontinum incapacem Tutelæ Electoralis esse: imò contenditur, quemcunque alium à dicto Duce Bipontino excludi, ut de jure legitimus Tutor à Tutore Testamentario. Vnde consequitur, nullum alium præter prædictum Ducem Bipontinum in possessionem huius Tutelæ immitti posse, & uni & soli Duci Bipontino ius hoc Tutelæ & eius possessionis competere. Negatur rursus, *prædictum* [c] *Ducem Bipontinum propria autoritate possessionem huius Tutelæ ingressum esse*: sed testamento libero nominatum, vocatum, rogatum, & adiuratum ab Electore defuncto, ut & à Palatinæ proceribus Curiæ: paucissimis itineris etiam comitibus Haidelbergam venisse: & omnes Ordines palam sponteque iuramentum fidelitatis ei præstitisse.

b] *p. 27. b. vers. Vt enim si.*

INCAPAX non est est successionis Testamentariæ Tutelaris, Dux Bipontinus, ideoque potest iure possessionem eius ingredi.

c] *p. 27. b. vers. ita nec eius possessionem ingredi.*

POSSESSIONEM Administrationis Electoralis propria autoritate non est ingressus Dux Bipontinus.

NEC RVRSVS movet, quod aiunt [d] Adversarij, *Dispositionem testatoris inutilem non tenere contra legitimum successorem*. Negatur enim defuncti Electoris Testamentum inutile fuisse. Negatur etiam proximiorem & seniorem Adgnatum legitimum Tutelæ successorem esse, stante scilicet aliquo Testamentario: deficiente alioqui Tutore testamento dato, proximiorem & seniorem Adgnatum legitimum Tutelæ successorem, nisi quid aliud obstet, non ægrè agnoscimus.

d] *p. 27. b. Versic. Quia ex quo nulla.*

DISPOSITIO defuncti Electoris non est inutilis: neque Dux Neoburgicus legitimus Tutelæ successor.

NEC PRÆTEREA obstat similitudo [e], quam à jure primogenituræ desumunt Adversarij hoc modo. *In feudo* (inquiunt) *juris Francici, in quo tantùm senior sive primogenitus admittitur, si secundo-genitus hæres in-*

e] *p. 27. b. unde & in terminis primogenitura. & p. 28.*

FRANCIÆ. Primogenitus iure primogeniture privari non potest: & tamen Tutor ei dari testamento potest.

stitutus fuerit, non poterit secundogenitus in possessionem hæreditatis mitti: quod scilicet primogenitus demonstrare posit vitium testamenti visibile, docendo de iure suo per ostensionem privilegij.

Hæc enim similitudo reiici potest. Ducitur enim à jure successionis hæreditariæ confesso, recepto, indubitato, notorio, manifesto, & apud nullum controverso, ad jus successionis Tutelaris legitimæ, anomalæ, extraordinariæ, pernegatum, nunquam receptum, nec honestum, nec ferendum, licet pacto vel transactione aliquando probatum fuisset: quia non [a] ratione sed errore in jus huiusmodi consensum fuisset, contra jus naturale gentium, divinum, omne denique. Sicuti consuetudo [b] rationem vincere non potest: ita nec pactum, nec conventio. Et jure alioqui Francico notissimum est, in feudis juris Francici primogenitos secundogenitis semper, non obstante patris dispositione, præferri. Habet enim primogenitus hoc privilegium à lege vel consuetudine manifestissima, & apud Francos visibili & indubitabili. Sed non probare eodem modo poterunt Adversarij, proximiorem & seniorem Adgnatum Palatinum habere illud privilegium à lege, ut Testamentarium Tutorem excludat: vel privilegium illud proximioris & senioris Adgnati in præiudicium Testamentarij Tutoris visibile, indubitatum, certum, apertum, usitatum & apud omnes receptum. Vident itaque adversarij, à iuribus penitus diversis illud argumentum duci, & sic nullius momenti esse.

a] *l. quod non rationes 32. π. de legib.*

b] *l. 2. cod. quæ sit longa consuet.*

c] *p. 28. a. Vers. Merito igitur.*

FALSA Adseveratione Dux Bipontinus non est ingressus Administrationem.

Nec rvrsvs obstat quod aiunt [c] Adversarij, *Serenißimum Ducem Bipontinum falsa adseveratione in aliorum fundum irrupisse, ac propterea iustam retinendi fundi nullam causam habere: nec quærendum esse de jure possessoris, si de jure petitoris non constet, id est nisi de jure petitoris prius constiterit.* *Primum* enim ad priorem partem huius objectionis ulterius vel operosius non respondendum est. quia simpliciter negari potest. Quemadmodum enim probabunt Adversarij, Ducem Bipontinum falsa adseveratione in fundum alienum irrupisse? Ius suum Testamentarium allegavit? An ideo falsum retulit? Et quis juris peritior est dicendus quàm Cæsar, & eius Senatus? qui Testamentum defuncti, nisi jure expugnetur, valere sinit, & Tutori nominato possessionem tamdiu permittit. Si falsum & suppositum Testamentum edidisset, & confirmationem eius à Cæsare postulasset, sanè possent Adversarij meritò conqueri. Sed cùm notorium sit & constet, Testamentum Electoris defuncti verum esse, nec suppositum, nec rasum aut vitiatum, nec

sug-

ſuggeſtum, ſed omnino ſolenne, integrum & liberum, non poteſt talis confirmatio Teſtamenti dici ex falſa ſupplicantis adſeveratione impetrata fuiſſe. *Nec etiam* movet quod aiunt [a], *Non quærendum eſſe de jure poſſeſſoris, ſi non conſtet de jure petitoris, id eſt, niſi prius conſtet de jure petitoris.* Nam quò pertineat vel pertinere poſſit illud, non video. Extat quidem apud Paulum [b], *Non debere quæri de jure poſſeſſoris,* (id eſt eius, qui rem tibi obligatam poſſidet) *cùm ius petitoris* (id eſt tuum) removeatur ſoluto pignore: id eſt, ſi poſſeſſor ille pignoris obligati ſummam tibi debitam obtulit & ſolvit. Recepta namque ſumma tibi debita creditor eſſe deſinis, & jus pignoris, (quod in rem tibi obligatam habebas) ſolutum eſt. Sed hoc nihil ad rem & quæſtionem præſentem pertinere cenſeo. Imò ſententia illa Sereniſſimo Duci Bipontino prodeſſe, Adverſariis verò nocere debet. Ex illa namque colligo, non quærendum eſſe de jure Ducis Bipontini, titulum Adminiſtratoris non tantùm habentis, ſed etiam ipſam Adminiſtrationem poſſidentis, ſi priùs non conſtet de jure petitoris, id eſt, eius qui Adminiſtrationem Electoralis Tutelæ non poſſidet. Poteſt & negari prædictum Adverſariorum axioma, ſi ſimpliciter illud ita ſumere velint, uti ab ipſis eſt poſitum. Contra namque dicimus, priùs [c] quærendum eſſe de jure poſſeſſoris, quàm de jure petitoris cognoſcatur, hoc eſt de poſſeſſorio priùs quàm de petitorio & jure petitoris. Poteſt rurſus Dux Bipontinus offerre Duci Neoburgico cognitionem, & dicere: Hodie [d] conſtat de Teſtamento, hodie agamus.

a] *p. 28. a. verſ. Nec quærendum.*

QVEMADMODVM hæc verba intelligenda ſint: Non quærendum eſſe de iure poſſeſſoris, ſi non conſtet de Iure petitoris?

b] *l. Paulus 12 in fin. π. quibus modis pignus & hypotheca ſolvitur. l. nec ex vera. 13. Cod. 1, de adquir. poſſeſſ.*

c] *l. ordinarii iuris 3. Cod. de rei vindicat. l. ſi de vi, 36. π. de iudiciis.*

d] *l. 3. π. ut in poſſeſſ. legat.*

NEC RVRSVS obſtat, quod aiunt [e] Adverſarij, *Supra demonſtratum eſſe ex ipſius Aureæ Bullæ verbis, Nulli penitus licere, quomodolibet huic perpetuo & inviolabiliter valituro ſtatuto contravenire: Et quòd voces ſingulas illius legis ſive prohibitionis expendunt: nempe vocem NVLLI, (quam negativam univerſalem eſſe aiunt, & potentius operari, & in omni caſu etiam non ſpecialiter expreſſo): vocem PENITVS (quam etiam præciſam eſſe dicunt, & nullam limitationem aut modificationem recipere: Aiunt etiam dictionem* NVLLATENVS, *eius naturæ eſſe, ut totum neget, & univerſaliter excludat, ſive inter vivos, ſive per ultimam voluntatem fiat: Et quæ rurſus vim ſententiæ et decreti irritantis habent: Adhæc quæ facultatem non diſpenſandi in contrarium continent: Poſtremò Adverbium* QVOMODOLIBET *univerſale eſſe & includere omnem modum, qui comprehendi poteſt, poſtremò plenam & exuberantem voluntatem diſponentis oſtendere.*

e] *p. 28. a. verſ. Iam enim ſupra demonſtratum eſt.*

VERBA illa Bullę Aureæ, Nulli penitus liceat quomodolibet huic perpetuo & inviolabiliter valituro ſtatuto contravenire: an Teſtamentarium Tutorem excludant?

FACILIS est enim ad voces illas minutas, atque etiam extra locum nostrum controversum de Tutela positas, omnes responsio. Fatemur enim & NVLLI, PENITVS, & QVOMODOLIBET licere Aureæ Bullæ contravenire. Sed negatur, Serenissimum defunctum Electorem, & Serenissimum Bipontinum, prædictæ Aureæ Bullæ (Caroli IIII. scilicet) contravenire vel contravenisse. quia prædicta Aurea Bulla nullum ius tribuit Tutelæ Electoralis, nisi defuncti Electoris fratri, & sic nullum ius tribuit Illustrissimo Neoburgico, qui non est frater defuncti, sed Adgnatus tantùm multis gradibus ab eo remotus.

Cùm hæc ita sint, necesse est ut Adversarij ad Sigismundi Declarationes veniant, & jus Tutelæ ex illis Declarationibus Illustrissimo Principi Neoburgico adserant. Esto itaque: & ex Sigismundi Declarationibus nunc agamus. Fatemur sanè Declarationibus Sigismundi *proximum & seniorem Adgnatum Electoralem ad Tutelam vocari, et nulli licere penitus & quomodolibet dictis Declarationibus contravenire*. Sed negatur, Serenissimum Bipontinum dictis Declarationibus contravenisse vel contravenire. Imò ponitur, contenditur & probatur, proximiorem & seniorem Adgnatum in illas Declarationes commisisse. quia per Declarationes illas Sigismundi, proximior & senior Adgnatus *de Iure tantùm Tutor & Administrator esse debet*, id est nudus tantùm & ordinarius legitimus Administrator, & ad legitimam tantùm Tutelam illis Declarationibus vocatus: et nihilominus tamen vult *præter & contra jus commune* (Adversariorum [a] hæc verba sunt) Tutorem Testamentarium excludere, & adversus illa verba iuris, tutelam insolitam, novam, & juri incognitam inducere, quæ Testamentariam evertat. Vt vox *Nulli* Vniversalis, quemque & sic legitimum etiam Tutorem adversus Declarationes aliquid conari vel facere prohibet: ita vox *Penitus*, *Nullatenus & Quomodolibet*, eundem legitimum repellit, novos modos & novam speciem Tutelæ inducentem adversus formam receptæ, vulgaris & ordinariæ Tutelæ. Quod utiq; *& nullatenus & penitus & quomodolibet* facere proximior & senior Adgnatus non debet. Ius enim alioqui universum Tutelæ Testamentariæ subruit & evertit, & Leges, titulos & tractatus omnes Iuris, multis vigiliis excogitatos (ut alicubi [b] Iustinianus ait) ad Tutelam Testamentariam pertinentes corrigit. Et sic prædictæ voces, *Nulli, Penitus, Nullatenus, Quomodolibet*, ab Adversariis Duci Bipontino oppositæ, eorum sententiam potiùs destruunt quàm muniunt.

NECRVRSVS obstat quod Adversarij dicunt [c], *in re tam liquida ulteriori demonstratione opus nō esse*. Negatur enim ius Adversariorum liquidum esse. Imò dicitur obscurū esse, & nullis rationib. vel etiā colorib. niti.

a] *p. 6. b. & p. 16. a. adde p. 5. ibi, ius] novum singulare & ab antiquo iure communi & Latino planè diversum.*

b] *l. 35. in prin. C. de inoffic. testam.*

c] *p. 29. a. linea, 1. v. Et quid tandem in re, tam liquida.*

LIQVIDVM non est ius Ducis Neuburgici.

NEC ETIAM movet quod aiunt [a], *Nullum dubium esse, Imperatorem & Status Imperii spe infallibili fretos scivisse, vel putasse, Illustres Imperii Electores (dignitate & praeminentia maiore cateris conspicuos) promptos fore in custodienda Aurea Bulla* : & rursus : *Imperatorem & Status Imperii ne cogitasse quidem fore, ut sub* PRÆTEXTU VEL COLORE *libertatis testandi audeat quis contravenire perpetua sanctioni &c.*

a] *p. 29. a. vers. Cum dubium nullum sit.*

Primò, quia Illustres Imperii Electores(universos enim & omnes Electores Laicos Adversarii sic adgrediuntur, & uno eodemque vinculo, quo Palatinos, nectunt & invadunt) aliquando, sine dubio, prodebunt, ut hæc controversia Bullis aliis apertioribus declaretur. *Secundò*, quia grave est, universos & omnes Imperii Electores accusare vel insimulare, quasi Aureæ Bullæ temeratores & violatores sint. *Tertiò*, quia jus testandi præsertim de liberorum Tutela, Adversarii nimis licenter PRÆTEXTUM & COLOREM vocant: cùm potiùs jus illud libertas sit, & quidem naturali jure, omnibus ætatis justæ, sanique judicii patribusfamilias permissa. Ius huiusmodi omnibus etiam plebeiis jure permissum, Colorem & prætextum vocare, sanè perquàm incivile & durum est. *Quartò*, non sine iniuria & quidem maxima possunt tanti Principes (Electores scilicet) testandi libertate privari & exui : ac potissimum quidem super ea re nec collegialiter nec aliter citati, auditi, defensi. Nam cùm hæc causa omnium Laicorum Electorum sit communis, potest dici, legitimum judicium non futurum, nisi & reliqui (quorum tantundem interest) super ea re citati fuerint & auditi: ut quod omnes illos Electores tangit, ab omnibus quoque Electoribus pariter defendatur : nec per unius Collegæ litigantis sententiam contrariam, silentibus aliis præjudicium irreparabile in posterum fiat :

PRÆSUMENDUM non est, Electores Bullas Aureas violasse aut violare velle.

LIBERTAS testandi cuique competens, male a Neoburgicis appellatur, prætextus & color nocendi alteri.

b] *l. de unoquoq. 47. π. de re judicata.*

NEC ETIAM obstat quod aiunt [b] Adversarii, *non latuisse Imperatorem & Status Imperii, dispositionem eius Statuti* (id est Aureæ Bullæ) *favorem Reipublicæ & publicam Imperii salutem atque tranquillitatem concernere, & recipere extensionem ad personas & facta etiam specialiter & nominatim non expressa*. Nam ut hoc *primum* respondeatur, fatentur omnes, Statutum Aureæ Bullæ favorem Reipubl. & publicam Imperii salutem & tranquillitatem concernere. Sed negatur, à Serenissimo Electore defuncto, vel à Serenissimo Duce Bipontino, adversus

c] *p. 29. a. vers. Quippe quos non latuerit.*

ADVERSUS Bullas Aureas salutem Imperii concernentes, defunctus Elector nihil admisit.

illum favorem Reip. vel adversus illam salutem & tranquillitatem aliquid unquam commissum esse. *Secundò.* Hæreo sanè: & vix intelligo, quid illa Adversariorum verba sibi velint? *Dispositionem Aureæ Bullæ recipere extensionem ad personas & facta, etiam specialiter & nominatim non expressa.* *Tertiò*, quia ex contrario hoc Adversariorum axioma, Ducis Bipontini causam admodum juvare potest: ut scilicet dicat, Dispositionem Aureæ Bullæ ad Testamentarios Tutores pertinere, licet specialiter, nominatim, & verbis propriis in Aurea Bulla expressi, nominati & nuncupati non sint: Et rursus, Dispositionem Aureæ Bullæ extendendam esse ad hanc Tutelam Testamentariam, licet nominatim & specialiter in prædicta Aurea Bulla non sit expressa: & eo quidem magis, quòd hæc Testamentaria Tutela omni jure omnibus sit permissa, quòd Electoribus honesta, quòd liberis & subditis & bonis Electorum utilis & tuta, quòd in Palatina familia Electorali, ut & aliis Electoralibus & Principalibus familiis Germaniæ semper usitata, quòd Reipublicæ non minùs salutem & favorem respiciat quàm Tutela Testamentaria, quæ cuivis de populo permissa publicam salutem & libertatem sanè continet.

EXTENSIONEM ad personas & facta, etiam specialiter & nominatim non expressa, an & quomodo Bullæ Aureæ recipiant?

NEC OBSTAT, quòd finem tandem huic Refutationi volentes imponere Adversarii, primùm omnium reprehendunt [a]: *quòd Electoralis Testamenti patronus hac Seneca [b] sententia usus sit: Testamentorum interit omnis potestas, si vivi imperia neglexerint mortuorum.* Verissima namque sententia est, & Christiano etiam homine non indigna, & legibus [c] etiam probata.

a] *p. 29. a. in fin. & b. & p. 30. in pr.*
b] *3. Controvers. ult.*

TESTAMENTORVM vis perit, si vivi negligunt imperia Testatorum.

c] *Novellam 1.*

NEC OBSTAT, quòd ex eodem Seneca [d] hanc sententiam in contrarium reponunt [e]: *Cedo mihi Tabulas Testamenti, plures in Testamento habeo quàm in pacto: hoc Testamentum delere non cogito.* In hanc enim Senecæ sententiam ipsimet committunt Adversarii, quia Testamentum piè defuncti delere cogitant: ut interim addam, illa verba apud Senecam illo libro non extare.

d] *3. Controvers.*
e] *p. 30. b. Vers. Applicet sibi.*

DELERE Testamentum defuncti Electoris cogitant Neoburgici.


NEC MOVENT etiam quæ ex Seneca III. de Ira [f] proferunt [g]. Quia si quis ea diligentiùs expendet, reperiet ab iratis hominibus tantùm prolata, & famam Electorum ipsorum testantium etiam suggillantia.

f] *c. 28.*
g] *p. 29. b.*


NEC PRO-

NEC PROBARE praeterea unquam poterunt Adversarii, (quod ex Senecæ verbis innuunt tacitè) *defunctum Electorem cogitasse proximiori & seniori Consanguineo aliquid mali facere, vel dignitati eius, aut patrimonio, multò minus corpori eius vulnus infligere.* Imò faciunt Adversarii, & negare non possunt, quas pœnas & quàm atroces defuncto Electori comminati ipsi fuerint: privationis scilicet omnis & totius juris Electoralis, confiscationis omnium feudorum, amissionis omnium privilegiorum: hoc insuper addito: *Electorem ipsum praetereuntem testamento suo proximiorem & seniorem Adgnatum, nec eum Tutorem Electoralem constituentem, pro rebelli & perjuro habendum, mille marcis auri multandum, personam eius cum bonis omnibus banno Imperii ipso facto expositam, & in Electoris personam eiusque bona irruendi potestatem cuique permissam esse.* Scio tamen Neoburgicos alibi minas illas vocare *Monitiones* vel *Admonitiones Paternas*: seriò vel joco, ipsi viderint.

NOCERE Adgnato numquam voluit defunctus Elector, sed iure tantùm suo uti.



DE TV-



DE TVTELIS ELECTORALIBVS TESTAMENTARIIS LIBER V.

quo continetur

RESPONSIO ſive REPLICATIO AD RESOLVTIONEM DVCIS JOHANNIS CASIMIRI, QVATVORDECIM OBIECTIONVM REFVTATIONEM COMPLECTENTEM[a].



NVNC AD RESOLVTIONEM ET TVTELAM legitimam teſtamentariam Sereniſſimi Ducis Ioan. Caſimiri (ſecundogeniti fratris Ludovici Electoris) quæ Tutelis Electoralibus Teſtamentariis ab Adverſariis Neoburgenſibus obiicitur, tranſeamus.

AIVNT ENIM Adverſarii, *Illuſtriſſimum Neoburgicum iisdem prorſus rationibus & argumentis hodie Tutelam Electoralem Friderici V. ſibi vindicare, quibus olim Dux Caſimirus Friderici IV. Tutelam obtinuerit. Deniq; caſum illius Tutelæ legitimæ Teſtamentariæ Electoralis huic (quam ſibi dictus Neoburgicus adſerit) ita*[b] *ſimilem eſſe, ut ovum ovo, lac lacti non ſit ſimilius.*

SED HOC initio diſſimile in multis eſſe demonſtremus.

a] *Heidelbergæ olim* XIII. *April. Anno* CIↃIↃLXXXIIII. *datam: & à Neoburgenſibus Duſſeldorpii & Lauginga evulgatam: Ulteriorią; ac pleniori eorundem* INFORMATIONI *in Cauſa Adminiſtrationis Electoratus Palatini, etiam latinè additam.*

b] *p. 21. a. in fin. Ulterioris Informationis.*

Primum omnium in illa Tutela (ut verba Resolutionis fideliter retineam [a]) agitur tantùm de adjunctis Tutoribus: an scilicet adjunctio plurium Tutorum valida sit nec ne. In hac autem controversia de Adjunctis Tutoribus non quæritur, aut certè principalis quæstio non est hujusmodi, sed de remotiore uno gradu, vel ulteriore Consanguineo, quem Fridericus IV. proximo & seniori Adgnato prætulit: & ne in illa controversia de Contutela vel Contutoribus; in hac autem de Tutela seniori & proximiori non credita vel non commissa quæritur. Et breviter: In illa Tutela defendebatur, in [b] Aurea Bulla adjunctionem aliorum Tutorum nullo modo reservatam, neque liberam relictam vel permissam esse: in hac autem, remotiorem & ulteriorem Adgnatum proximiori & seniori præferri non posse. Secundo. In illo casu frater defuncti Tutelam Electoralem liberorum fratris sibi vindicabat: In hoc, Adgnatus ultra fratrem, & quidem multis gradibus ab Electore defuncto remotus. Tertio. In illa Tutela agebat frater Electoris defuncti, non tantùm in Aurea Caroli IV. Bulla, sed & in Declarationibus Regis Sigismundi nuncupatus: In hac autem is, qui in Aurea Caroli IIII. Bulla nominatus non est. Quarto. In illa controversia nitebatur frater Electoris defuncti, patris [c], quin & fratris sui, dispositionibus testamentariis. In hac proximus & senior Adgnatus nullius testamento ad Electoralem tutelam est vocatus. Quinto. In illa legitimus Tutor tutelam suam defendebat, fratris etiam Conventione vel Transactione; & quidem fide [d] Principis, & verbo veritatis, & manus datione sive stipulatione munita. In hac autem proximior & senior Adgnatus nullam Electoris defuncti Conventionem, Transactionem, promissionem aut fidem datam potest allegare. Sexto. In illa frater à fratre Ludovico Electore præteriri nullo modo posse videbatur, propter juratam & immutabilem ipsius Ludovici voluntatem. In hac autem simile nihil occurrit, quod Fridericum IV. nuper defunctum testari de liberorum suorum tutela impediverit. denique nihil in hac Tutela fuit, quod præteritionem proximioris Adgnati impedire potuerit vel possit. Septimo. In illa nihil adversus dispositionem Friderici III. frater Electoris Ludovici admisit, sed patris Friderici III. voluntate Tutelam gessit. In hac proximior & senior Adgnatus gerere directò adversus Friderici IV. expressam dispositionem voluit, aut sanè visus est. Octavo. Illam Tutelam frater qualem casus tulit, (exceptis Contutoribus) a fratre obtinuit. Hanc qualem optavit, proximus & senior Ad-

a) p. 4. a. Resolutionis Casimirianæ.

b) p. 8. a. Resolutionis Casimiri.

c) p. 3. 5. a.

d) p. 5. in fin.

nior Adgnatus non obtinuit, cùm nec Tutor ullo modo ab Electore Friderico IIII. nominatus sit. NONO. Illám Tutelam frater diligentia incredibili & celeritate usus adeptus, & in eius possessione prior fuit, & Contutores testamentarios prævenit: ut mirum non sit, etiam ob bonum pacis publicum, in Tutelæ Electoralis possessione permansisse, & ab omnibus probatum fuisse: Cùm in hac Tutela Testamentarius Tutor, voluntatem defuncti Electoris secutus, prior in possessione Administrationis Electoralis sit, proximus Agnatus non item.

EX HIS apparet, adversarios non rectè scripsisse, Casimirianam illam Tutelam huic similem ita esse, ut ovum ovo, lac lacti similius non sit.

SED PERGAMVS propiùs Resolutionem illam ab Adversariis nunc denuò editam ad Iuris examen expendere. Ex his enim quæ dicturi sumus constabit, Ducem Iohannem Casimirum tunc temporis à suis non rectè informatum fuisse, & XIV. argumentis & Obiectionibus Contutorum Testamentariorum minùs commodè responsum. An res ita sit, Lector æquissime & legum perite, quæso, judica. A PRIMA Obiectione Contutorum & Casimiri contraria Refutatione initium (DEO præeunte) faciamus, & paginas singulas prædictæ Resolutionis subnotemus, ne quid à nobis dissimulatum vel corruptum possit aliquis dicere.

PRIMÆ OBIECTIONIS CAsimiriana Refutatio, & ad illam Refutationem Responsio.

DICEBANT[a] Contutores, Ioh. Casimiro testamento Ludovici Electoris adjuncti: *Per Auream Bullam Electori plures Tutores dandi facultatem non ademptam, sed locum dispositioni Iuris Communis esse.* a] p. 6.

QVID Adversarii? *Necessarius* (aiebant[b]) *& certus in Aurea Bulla designatus est Tutor. Igitur per Auream Bullam Adjunctio aliorum Tutorum nullo modo reservata est, nec libera relicta, nec permissa.* b] p. 8. a.

RESPONDEO, vitium hîc evidens esse. Dicunt enim Adversarii simpliciter, Aureâ Bullâ necessarium & certum Tutorem desi-

gnatum esse: cùm tamen simpliciter non sit necessarius & certus, sed uno tantùm casu designatus: ab intestato scilicet, & quoties nullus testamento Tutor datus est.

a] p. 8. b.

BVLLA AVREA licet animo deliberato ad lites præcidendas in Successionibus & Tutelis Electoralibus lata sit: non sequitur tamen, ut Testamentarias Tutelas sustulerit.

NEC PRIMVM omnium obstat, quod aiunt [a]: *Hæc duo Capita de Successione & de Tutela atque Administratione* (successoris scilicet minoris) *Bulla Aurea capite* VII. *constituta fuisse deliberato animo, prægnantibus ex causis, ad præcidendas lites, turbas & dissensiones Electorales & alias Imperii.*

DIFFERENTIÆ Successionis & Tutelæ Electoralis variæ.

Nam perperam inter se exæquant constitutionem de Successione & Tutela, quasi paribus rationibus nitantur, vel (ut vulgò dici solet) quasi paribus passibus ambulent, & pares existant: cùm tamen Successio & Tutela res sint diversæ, & Sigismundi Regis præsertim Declaratione separentur. Successionis enim Electoralis natura simplex & pura est: Delatio verò Tutelæ Electoralis pura non est, sed per Sigismundi Declarationem restricta, & (ut ita dicam) qualificata, coarctata & revocata ad legem, naturam & conditionem cæterarum DE IVRE Tutelarum. Successio Electoralis, quia pura est (& id quoque seculorum aliquot experientia docuit) mutari testamento non potest: cùm tamen in Tutelis successio mutari possit. Quia per Sigismundi Declarationem proximior & senior Adgnatus nullum jus Tutelæ Electoralis sibi sumere vel adrogare potest, nisi deficiente Tutore Testamentario: quia proximior & senior Adgnatus DE IVRE Tutor esse jussus est: sicuti de Iure, vel de Iure Communi ordinariè proximi Adgnati legitimi sunt Tutores. Ideoque limites & cancellos illos Sigismundi Declarationibus præfixos proximior & senior Adgnatus Electoralis egredi non potest: alioqui Tutelas confundit, & Ius Commune Tutelarum tollit & evertit: denique plus juris sibi sumit, quàm vel Ius Commune, vel etiam Carolus IIII. vel Sigismundus (Caroli IIII. Bullæ interpres) ipsi dedit aut contulit. Nam ex verbis Sigismundi & eius Declaratione mentem Caroli IIII. colligimus. Et id ipsum quoque frater Electoris Ludovici (mirum sanè quo modo) locis aliquot formaliter agnoscit: cùm ait [b]: *Bullam Auream Tutorem & Administratorem appellare: hac autem verba* IVRIS ESSE COMMVNIS: *& omnem illam potestatem, & omnia illa jura, quæ de* IVRE COMMVNI *illis vocabulis inesse solent*: Et post [c]: *Verba illa Bullarum: Proximus Adgnatus debeat esse Tutor & Administrator*: VERBA SVNT IVRIS COMMVNIS.

b] p. 14.

c] p. 16.

Ex quibus

Ex quibus apparet, Clausulam illam: *Proximus & senior consanguineus* DE IVRE *Tutor & Administrator esse debeat*: ex Iure Communi, Latino & Romano, etiam Cæsareo, Adversariorum sententiâ sumendam & exponãdam esse: ut scilicet proximus & senior Adgnatus Electoralis, sit Electoris Minorennis Adgnati Tutor: sicuti Iure Communi Romano, Latino, adgnati adgnatorum suorum solent esse Tutores, & sic Testamentariis tantùm Tutoribus deficientibus & non existentibus.

CLAVSVLA DE IVRE TVTOR ESSE DEBEAT, etiam Neoburgicorum sententia ex Iure Communi interpretanda est.

SECVNDO non obstat sequens Adversariorum argumentum. *Si* (inquiunt [a]) *in arbitrio Electoris esset aliquid in uno capite mutandi, minuendi, restringendi vel limitandi, per Adiunctionem, vel* ALIO MODO, *in Bulla Caroli IIII. & aliis eam secutis; unico saltem verbo eius mentio facta fuisset. Fuerunt enim illæ Constitutiones benè deliberatæ a Carolo IIII. Sigismundo & Imperij Statibus consultatæ & sancitæ: alioqui Imperfectionis essent arguendæ. Mens itaque prædictarum constitutionum est, ut solus proximus Adgnatus in Electoratu Tutor & Administrator esse debeat.*

a] *p. 8. b. & 9.*

Nam ut hoc primùm respondeam, etiam in benè deliberatis, consultatis & sancitis constitutionibus, multi casus omittuntur, & persæpe ex prolixis & longis illis deliberationibus magnæ & prolixæ dubitationes & lites oriuntur, ut illis casibus liceat etiam constitutiones ipsas imperfectionis arguere. Eadem ratione ex benè deliberatis & conceptis Senatusconsultis lites magnæ nonnunquam nascuntur: ut & Testamentis, adhibito quantumvis Iurisconsulto conditis: ut interdum [b] simplicis hominis sani voluntas rationem animi sui simpliciter sequentis, nimiæ & miseræ testandi diligentiæ præstare & ea potior esse videatur. Et experientia quoque docet ipsa, legibus interdum multos casus deesse: sed tamen lacunas illas suppleri postea vel constitutionibus sequentibus Principum, vel interpretatione Prudentum aut Iudicum. Et quidni Auream Bullam Caroli IIII. imperfectionis arguere liceat, cùm nisi suppleta & ampliata per Sigismundi Declarationes postea fuisset, proximior & senior ultra fratrem Electoris Adgnatus nullum jus in Tutela ab intestato hodie haberet? Imò nullum dubium est, quin natura [d] deproperante novas formas rerum & negotiorum edere, novæ posthac cum tempore adhuc aliæ imperfectiones in prædictis Bullis occurrant.

PERFECTÆ nullæ leges vel Bullæ ita sunt, ut omnes casus contineant.

b] *l. Lucius Titius. 88. in fin ff. de legat. 2.*

c] *neque leges 10. & duabus sequentibus. ff. de legibus.*

d] *l. 2. §. sed quia divina. 10. Cod. de veteri iure enucleando.*

TERTIO non obstat, quod aiunt [e], *per Auream Bullam adjunctionem aliorum & plurium Tutorum prohibitam esse, non quidem verbis*

e] *p. 9. b. & p. 10.*

expreßis, sed æquipollentibus, & tacitè, ex ipsius legis sententia: quòd illa duo paria sint & tantundem præstent, verbis expreßis & æquipollentibus aliquid statuere.

Primum enim quod de Adjunctione Tutoris proximo & seniori Adgnato prohibita dicunt, nihil ad causam præsentem facit. Alterum itaque tantùm notandum puto, quòd scilicet fatentur Adversarij, *Nihil interesse, utrum quid verbis expreßis exprimatur, an æquipollentibus, & tacitè, vel sententiâ legis*. Hoc enim adversus Neoburgenses admodum facit, ut alibi [a] diximus. Ajunt quippe, nullum caput expressum & speciale in Caroli IIII. Bulla esse, quo legitima Tutela per testamentariam excludatur, ac proinde unam tantùm speciem esse Tutelæ Electoralis, nempe legitimam. Sed nos vicissim dicimus & regerimus, verbis æquipollentibus plures species Tutelæ in prædicta Bulla (addita præsertim Sigismundi Declaratione) expressas esse, & quæ verba illa æquipollentia essent, subiecisse, & legenda discutiendaque omnibus exhibuisse: ut hîc repeti vel inculcari minimè sit necesse.

ÆQVIPOLLENTIBVS verbis aliquid exprimi-tur, etiam Neoburgicorum sententia nihil interest, & quid inde sequatur.

a] *libro 3. huius Tractatus. Refutat. 9.*

b] *p. 10. a.*

SVCCESSIO & Tutela Electoralis an eodem fundamento & jure nitatur?

QVARTO non obstat, quod aiunt [b]: *Succeßionem & Tutelam Electoralem eodem fundamento* (Aureæ Bullæ scilicet) *niti: & eandem causam finalem habere* (*videlicet conservationem tranquillitatis & pacis in Imperio*)*: denique utramque eiusdem Iuris esse, eodem iure censeri, ut quod de uno statuitur, de altero quoque statui debeat.*

Distinctione quippe adhibita, nodus ille facilè dissolvi poterit. Largiri namque possumus, Successionis & Tutelæ Electoralis mentionem in Bullis Imperatoriis sæpius occurrere. Sed addimus, non eodem sed diverso modo id fieri. Verbi gratia: Omnem successionem Electoratus semper & regulariter ab intestato esse, concedi possit: Tutelam tamen non semper ab intestato esse, sed interdum etiam vel testamento paterno, vel conventione aliqua Tutelam deferri. Ac primum quidem *Electoris testamento*; quia Tutela fratri Electoris per Bullam Caroli IIII. delata, ad proximiorem & seniorem Adgnatum Sigismundi Declarationibus, nec simpliciter, nec purè extenditur, sed cum appendice & additamento omnium æquissimo, *ut scilicet* DE IVRE *Tutor & administrator esse debeat*. denique ut hæc Tutela sit non alia quàm de Iure Tutela, hoc est legitima, Testamentariæ cedens. Possit etiam aliquando accidere, ut summi Principis autoritate [c] Tutor Electoralis dandus sit, velati deficientibus omnibus Adgnatis Electoralibus. Ex quibus apparet, captiosum esse, quod ab Adversariis traditur:

c] *arg. l. unica Cod. de Tut. & Curat. Illustrium.*

ditur: *succeßionem & Tutelam Electoralem eodem fundamento Inreq; niti.*

Est & præterea cautè admodum legendum, quod aiunt, *Succeßionem & Tutelam Electoralem eandem causam finalem habere, tranquillitatis scilicet & pacis in Imperio.* Quia concedere id quidem possumus, inspecta Constitutionum illarum causa finali generali. Alioqui causæ finales successionis Electoralis & Tutelæ, in specie considerataæ admodum sunt diversæ. Quia Successio respicit Adgnatos & Adgnationem totam, ejusque favorem & commodum: Tutelæ verò liberos & subditos Electoris spectant, & eorum causâ sunt inductæ. Successio proprietatem transfert: Tutela verò nudam tantùm Administrationem. Successio, ætatem succedentis nullam respicit: Tutela verò, certam & aliquam. Successio lucrum est cum onere: Tutela sui naturâ onus est sine compendio. Successio perpetua est: Tutela verò temporaria. Successio ad liberos & hæredes transit: Tutela non item. Successio in rem magis quàm in personam est: Tutela verò in personam magis quàm in rem. Successio facit rem propriam succedentis: Tutelæ verò vis & potestas est ad tuendum tantùm alium & aliena comparata. Ad hæc, licet concedatur, *Succeßiones & Tutelas Electorales habere eandem causam finalem, Tranquillitatis & pacis in Imperio*: ex eo tamen non sequitur, Tutelas legitimas Electorales, testamentarias excludere. Quia perabsurdum est putare, pacem & tranquillitatem in Imperio constare non posse, nisi Electores ipsi omnimodo intestabiles fiant, id est ut & de bonorum proprietate, & de liberorum ac subditorum bonorumque Tutela testari nullo modo possint.

SVCCESSIO & Tutela Electoralis an eandem causam finalem habeant?

DIFFERENTIÆ Successionis & Tutelæ Electoralis.

QVINTO non obstat quod aiunt[a]: *Duo capita in Aurea Bulla esse: unum de Succeßione, alterum de Tutela Electorali: & in primo capite Electorem non posse primogenito suo ius primogenitura auferre vel minuere, licet* [b] *minus gratus vel obediens sit quam secundogenitus: alioqui* [c] *primogenitum posse Testamentum patris sui impugnare: & quod inde colligunt, Electorem non posse in altero capite,* (quod ad Tutelam Electoralem pertinet,) *fratri minus relinquere, quam quod ipsi ratione tutelæ debetur: quod* [d] *Succeßio & Tutela Electoralis ex eodem fundamento sit, & eandem causam finalem habeat, &c.*

a] *p. 10. b. vers. pr. indubitato.*

b] *p. 11. a. vers. Nam si aurea.*

c] *p. 11. vers. & quemadmodum.*

d] *p. 11. a. in fin.*

Potest enim ex contrario tentari, Electori per Bullas etiam Aureas licere, filium minùs gratum, & minùs obedientem, præterire & le-

PRÆTERIRE vel exhæredare filium suum an possit Elector?

& legitima privare. *Primò*, quia quemadmodum pater potest ingratum filium exhæredare, licet filio hæreditatem ad legitimam saltem debeat[a]: ita & Elector: quia utroque casu & pater est, & offensus: & crescit alioqui contumelia ex eius persona [b] cui infertur. *Secundò* pateret alioqui sanè liberis occasio parentes suos superstites contemnendi, & iniuria impunè afficiendi. Et inventa erit ratio, quemadmodum audacissimus quisque iniuria patrem adficiat, quod [c] esse non debet Viam namque [d] malitiis aperire non oportet, sed præcludere potius. *Ad hac. Si propter ætatis defectum* filius rerum Electoralium Administratione privatur, potest & poterit eodẽ modo vel multò magis propter pietatis & reverentiæ [e], patri iure divino, gentium, omni denique debitæ defectum, patris testamento filius præteriri. *Et rursus*. Si mentis [f] alienatio, fatuitas, vel alius famosus & nobilis defectus in primogenito existens, eum in perpetuum & ipso iure privat primogenituræ jure: non video cur non etiam ingratitudo primogeniti erga patrem Electorem, quem & Patrem & Iudicem habet, & cui [g] subditus est, non possit inter famosos illos & nobiles defectus censeri vel referri? Imò plus quàm credibile est, sub illis vocibus indefinitis Aureæ Bullæ, *alter famosus & nobilis defectus*, Carolum IIII. causam ingratitudinis subintellexisse. Veluti si filius de capite patris Comitia egerit, patrem armis & bello infestaverit [h], classicum ad patrem feudis, bonis, iuribus & privilegiis omnibus spoliandum, vel ad eum banniendum, capiendum, multandum cecinerit, & quoscunque scriptis editis informaverit & incitaverit, & nihil tale cogitantibus viam aperuerit: non video cur non talis in primogenito defectus, famosus & nobilis defectus appellandus sit, ut à patre filius abdicari, præteriri, exhæredari & remotioribus postponi possit. Adde, vix videri rectè vel justè Electoralem Administratorem, qui rebellis & contumax erga patrem ita fuerit. Patris [i] enim spem qui turpiter ita fefellit, decepit, & eum contempsit, multò magis sanè cæteros contemnere audebit.

Proinde in utroque foro divino & humano dici defendique poterit, prædictis vel similibus ex causis Electori permitti, filium ingratum, rebellem, contumacem, abdicare, præterire & exhæredare, & obediẽtem magis filium ei præferre, illumque etiam legitimâ privare: ut illis casibus nullam inofficiosi querelam adversus patris testamentum primogenitus habeat. Quinimò nec alimenta eo casu inimico ita filio pater debet vel debebit. Quibus [k] enim ex causis exheredare licet, iisdem & alimenta denegare liberum est: nisi filius fortè pœniten-

a] *Novel. 1.*

b] *l. aut facta. 16. §. persona 3. π. de pœnis.*

c] *l. 1. §. sed & si quis π. de Carboniano.*

d] *l. cum his 8. §. si cũ his 20. π. de Transf. l. ordinata 24 §. 2. π. de liberali causa. l. 1. §. 1. π. de litigiosis.*

e] *l. filia Cod. de patria potestate. l. in suis π. de liberis & posthumis.*

f] *Aurea Bulla Caroli IIII. Ca. 23. Vel 24. p. 35.*

g] *Doctores, & in his Cuiacius in c. per Venerabilem 13. in fin. Extra qui filii sint legitimi.*

h] *Extat in hanc rem gravissima constitutio Friderici II. Imp. lata Teutonicè in Curia habita Moguntia anno M CCXXXV. edita Venetiis, Basilea, Francofurti.*

i] *Terent.*

k] *l. ult. Cod. de alendis liberis.*

tentia non fucata ductus, patrem supplex adierit, & veniam errati seriâ constantique pœnitudine flagitaverit. Expedit enim, & Reip. admodum interest, fulmen huiusmodi paternum à liberis timeri, & legitimis quibuscunque remediis, jus licet succedendi à lege habentes, ad præceptum illud divinum, HONORA PATREM, adigi. Ac propterea videant omnes, nimium ne credant successionis à lege ipsis destinatæ colori. possent enim patres suos ita proterviter, & iniustè contemnentes, pariter ab ipsis jure contemni, repelli, præteriri vel exhæredari.

¶ *SECVNDÆ OBIECTIONIS CAsimiriana Refutatio: & ad Refutationem illam Responsio, seu Replicatio.*

TESTAMENTARII Tutores à Ludovico Electore dati Duci Ioh. Casimiro adjuncti dicebant [a], *Auream Bullam principaliter directam esse ad vocem atque Electionem: in cæteris verò relinqui Electoris arbitrio, quos velit Tutores dare.*

a] p. 6. a.

Adversarij contra dicebant, *Boni* [b] *publici causa, & ad evitandas discordias & dissensiones in Imperio, Electionem Romanorum Imperatorum vel Regis ad certos Ducatus, & certas familias ordinatam & alligatam: Electionem illam neque* [c] *jure proprio neque Tutorio ad aliam transferri posse, aut per alium expediri: Hujus rei causa Bullis Imperatoriis proximos Adgnatos successores, hæredes & Tutores constitutos. In nullius* [d] *Electoris potestate esse, proximiorem Adgnatum præterire* [e] *vel excludere, vel Contutores illi addere, ne numerum Electorum alioqui augeant, & plures Electores quàm septem faciant. Ius* [f] *illud fratri, velut proximiori Adgnato, Bullis AC MAXIME quidem vigore vltimæ voluntatis Elector. s Friderici quæsitum, auferri invito non posse. Bullas* [g] *non tantùm de successione, sed & de Tutela loqui: Tutoris* [h] *& Contutoris vocabula Iuris Communis esse: Et omnem illam potestatem omniaque illa jura complecti, quæ Iure Communi vocabulis illis continentur: omnem & plenam administrationem proximo Adgnato competere. Filium secundogenitum Testamento patris Tutorem scriptum esse: mentem* [i] *etiam illam patris fuisse, de qua possint viri fide digni, si foret opus, testari. Adhæc fratris Electoris conventione seu transactione fratrem Tutorem confir-*

b] p. 12. a.
c] p. 12. b.
d] p. 12, b. in fin. & p. 13.
e] p. 13. a.
f] p. 13. a. in fin. & b.
g] p. 13. b. in fin.
h] p. 14. a.
i] p. 14. b.

a] p. 15. a. *matum, ut vigore Bullarum, testamenti*[a] *paterni, conventionis & transactionis fraternæ, uni & soli fratri Tutela competeret. Ius illud neque in totum, neque pro parte, superstiti fratri adimi vel minui posse, nec in*[b] *jure eligendi, neque in reliqua Tutelari Administratione. Vocem ipsam ac præterea potestatem eligendi, & rursus Tutelam & Administrationem, ipso iure Communi coniunctas in Bulla Aurea esse, & inter se habere ut*[c] *causa & effectus. Vocabula Tutoris & Administratoris, verba Iuris Communis esse, plenissimam Tutelarum Administrationem tribuentia: Potestatem in Ducatus, terras & homines proximo & seniori Adgnato Bullis tribui: hanc potestatem in Ducatus, terras, homines, ut nec ius eligendi proximo & seniori posse adimi, nec alium ipsi, licet pari gradu, & multo*[d] *minus remotiore, adjungi. Bullas illas bono publico ad evitanda scandala certitudinem præscribere voluisse tam in Successione quam in Tutelis: certitudinem perpetuam nullam esse in his, quæ mutari vel minui possunt: Bullas latas esse per modum Decreti*[e]*, ut perpetuæ sint. Habenti Tutorem necessarium à lege, alium Tutorem dari non posse. Absurdum esse, ac omnibus juris principiis repugnare, ut quis simul legitimum & Testamentarium Tutorem agat*[f]*: Adjunctionem Tutorum, cassationem & destructionem esse totius Tutelæ fratri defuncti Electoris competentis; qui frater unus & solus, & larva & muta persona inter alios Contutores (utpote numero plures) sit futurus. Prædicta absurda repugnare Bullæ Aureæ, Constitutionibus Sigismundi, antiquo stylo & consuetudini, & paternæ dispositioni, & eam secutæ fraternæ dispositioni, legibus*[g] *denique. Auream Bullam proximiorem Adgnatum vocare generaliter, & sine*[h] *distinctione, non tantum ad Electionem & jus eligendi, sed & ad aliorum omnium Administrationem: Verbi gratia: Ducatuum, Terrarum &c.*

b] p. 15. b.
c] p. 16. a.
d] p. 17. a.
e] p. 17. b.
f] p. 18. a.
g] p. 18. b.
h] p. 19. a.

Et hæc quidem à Ducis Ioh. Casimiri Consiliariis, Contutoribus eius Testamentariis, olim sunt responsa. Sed in illa plenius & exactius nunc inquiramus, & prędictis abuti Neoburgicos demonstremus.

PVBLICI Boni causa, non est sufficiens ad tollendam Electoribus testandi facultatem.

PRIMVM omnium non sufficiens est ad excludendas Testamentarias Tutelas, & ad auferendum Electoribus jus de Tutela testandi, ratio, dicere: *Boni publici causa, & ad evitandas discordias ac dissensiones, proximos Adgnatos Tutores Bullis constitutos esse.* Quia longè mitiores aliæ commoditates & viæ dissensionibus & discordiis occurrendi, excogitari possunt, quàm ut necesse sit, propterea jus de Tutela testandi innocentibus, & aliud longè meritis de liberis & universo Imperio, Electoribus auferre. Alioqui posset eadem opera dici, patribus-fa-

bus-familiâs omnibus ex æquo jus illud, de Tutela scilicet testandi, admendum esse, vitandis nempe cognatorum & adgnatorum offensis, dissensionibus & discordiis. Vnde colligitur, prædictam Adversariorum rationem, non tantùm absurdam esse, sed etiam impiam, & cum evidentissimo Principum Electorum spolio conjunctam.

NEC OBSTAT, quòd hac instantia utuntur [a] Adversarij. *Non possunt Electores Laici plures quam tres esse: Igitur Electoribus non licet (ac maximè quidem proximo & seniore Adgnato præterito, qui ad Tutelam & Administrationem per Bullam Auream vocatus est) testari de Tutela. Quia hoc admisso poterit Elector tribus vel pluribus jus Electoratus committere, & Electorum numerum Bullis præstitutum augere.*

Quod enim dicimus, Electoribus *per Bullam Auream licere de Tutela testari*, cum mica salis (ut vulgo dici solet) & cum temperamento quodam intelligendum est: nempe ut in testando leges & Bullas Imperij, & quod præcipuum in legibus & Bullis est, earum mentem atque sententiam proximè sequantur. Atqui Bullis Aureis constat Laicos Electores plures quàm tres non existere: Et rursus, unicum tantùm ab intestato Tutorem esse: ut inde colligere liceat, unum etiam tantùm Tutorem testamento relinqui posse: ut à numero Laicorum Electorum certo finitoque minimè discedatur: & ut ab intestati jure apertissimo, jus in causa testati non expressum suppleatur: ut plures Tutores Electorales testamento facto non sint, quàm ab intestato. Et ita quoque sæpius [b] ab intestati causa ad causam testati (licet res diversæ sint, argumentum duci potest & solet: quando scilicet eadem in utroque casu ratio est: aliàs [c], secus dicendum foret. Testatoris namque dispositio [d] in dubio ita accipienda est, ut videatur testando voluisse id, quod ab intestato ex juris dispositione Iuris Communis vel Municipalis servandum esset. Potest & hæc proferri ratio, Electori non permitti plures Tutores dare, sed unum tantùm: quòd in huiusmodi causis turba periculosa sit, & propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem [e] per unum res melius quàm per plures expediri possit: Vel quia reliquis Electoribus multùm detraheretur, duobus tribus, vel pluribus uni oppositis: Vel quia semper ita receptum in familiis Electoralibus fuit, ut unus tantùm Tutor detur. Aurea etiam Bulla Caroli IIII. numerum illum septenarium velut mysticum commendat. Ait enim septem Electores referre septem candelabra lucentia in unitate Spiritus septiformis, & septem columnas.

a] *p. 12. b. & p. 13.*

PLVRES Tutores an possit Elector testamento dare?

b] *l. causa cognita 40. π. de vulgari. l. pater instituto 10. §. si mortuo π. de captivis.*

c] *l. quod si filius 11. π. de captivis.*

d] *l. quidam cum filium π. de verb. oblig. c. quanto, extra de iureiur. c. causam de rescriptis.*

Bart. Angelus Raphael Castrensis in l. heredes mei 57. §. cum ita π. ad Trebell. Everardus lo. o à causa intestati ad causam testati. 15.

a] *p.13.a. & b.*

NEC RVRSVS obstat quod aiunt [a] Adversarij: ***Ius competens vel quæsitum proximo Adgnato, sine eius voluntate vel consensu auferri non posse, sed jus suum cuique tribuendum ex ipsius iustitiæ fontibus, & Bullis, Constitutionibus, antiqua consuetudine & observantia***, ET MAXIME [b] VIGORE RELICTÆ VLTIMÆ VOLVNTATIS ELECTORIS.

b] *p.13.b.*

DVX IOH. Casimirus inter cęteras causas, Testamentum patris maximè ac præcipuè allegavit.

Primùm omnium ex superioribus constat, quòd tunc frater Electoris defuncti superstes, inter cæteras causas Tutelam Electoralem sibi adseruerit, MAXIME [c] VIGORE RELICTÆ [d] VLTIMÆ VOLVNTATIS ELECTORIS Friderici: & sic, quòd Tutelas Testamentarias Electorales, Administrator etiam Electoralis, & quidem defuncti frater, tunc agnoverit. *Secundò*. Negatur, proximiori & seniori Adgnato jus ullum competens [e] aut quæsitum in Tutela Electorali esse, stante vel existente aliquo Tutore Testamentario. Quinimo dicitur, Testamentarium Tutorem, Tutelam testamentariam sibi adserentem, jure suo uti, & nemini jus suum aufere, & ut specialiùs loquar, nullum jus legitimo Tutori quæsitum adimere. Quia Bullis Imperatoriis proximo & seniori Adgnato Tutela non purè vel simpliciter, sed sub conditione defertur: ut scilicet de Iure Tutor sit, id est ab intestato tantùm vocatus & admissus.

c] *p.13.b. Vers. at negari, ibi & quidem maximè.*

d] *Aliis etiam locis Dux Casimirus allegat Testamentum patris ut p.14.a. & b. p.15.a in fin. & b.*

e] *p.13 vers. quarto facit.*

EXISTENTE aliquo Testamentario Tutore Electorali, nullum ius competit Tutelæ Electoralis Proximiori Agnato.

NEC ETIAM obstat, quod Adversarij dicunt [f]: ***Auream Bullam non tantùm tribuere fratri*** (vel proximiori Adgnato) ***jus Electionis, sed etiam Tutelam & Administrationem, & illa duo verba, verba Iuris Communis esse, &c.***

f] *p.14.a. linea 1. & p.16.a. in pr. ibi Quo verba Iuris Communis.*

Nam ex illa Adversariorum confessione discimus, proximum & seniorem Adgnatum Electoralem, aliam sibi sperare Tutelam Electoralem non posse, quàm quæ Iure Communi sit inducta, delata, recepta. Quia fatentur Adversarij, illa verba Aureæ Bullæ, *Proximus & senior Adgnatus Tutor & Administrator esse debeat*, verba Iuris Communis esse, & omnem illam potestatem, omniaq; illa jura, quæ de Iure Communi illis vocabulis inesse solent, complecti. Et ita constat, Adversariorum etiam confessione Tutelam Electoralem Adgnato proximo Bullis Aureis delatam, ex Communi Iure interpretationem admittere debere: & consequenter, huiusmodi Tutelam non esse (ut Adversarij tamen constanter adserunt) præter & contra Ius Commune, sed ex Iure Communi declarandam: casibus illis tantùm exce-

PROXIMVS Adgnatus, Neoburgicorum etiam sententia non potest aliam sibi adserere Tutelam quam quæ iure communi inducta est.

exceptis, qui præter & contra Ius Commune sunt in prædictis Bullis specialiter expressi, de quibus alibi plenissimè diximus.

NEC RVRSVS obstat, quod aiunt [a] Adversarii, *Tutori & Administratori Electorali omnem & plenam Administrationem Ducatuum & hominum Bullis tribui*. Hoc enim concedimus facilè: Et hanc omnem potestatem Tutori Electorali adserimus, sive ab intestato Tutor, sive testamento datus sit: sic tamen, ut plena illa potestate secundùm leges utatur, non abutatur.

a] *p. 14. a. vers. atq; hac.*

ADMINISTRATOR Electoralis omnem & plenam Administrationem Ducatuum, terrarum & hominum habere debet.

NEC ETIAM movet quod aiunt [b] Adversarii: *Administratorem Electoralem, unum & solum esse debere: ita ut Testamento Contutor, vel adjunctus aliquis alius, sive [c] frater sive Adgnatus sit, sive alius, puta Extraneus, ei adjungi non possit, ne potestas Administratori in totum vel pro parte adimatur*. Hoc enim concedimus: nempe Administratorem Electoralem unum & solum esse debere, nec alium ei adjungi posse: ut scilicet adjunctus ille jus vocis & dignitatis Electoralis etiam in minimo habeat usurpare. Alioqui defendi potest, Electori licere, Tutori & Administratori, quem ipse Testamento nuncupaverit vel scripserit, alios Honorarios tantùm (velut consiliarios & adsessores) adjungere posse. Quia ut id fit sine diminutione juris, unius illius, veri & propriè sumpti Administratoris: ita contingit cum maximo & evidenti liberorum & subditorum & bonorum Electoralium commodo, & ipsiusmet etiam Administratoris honore: cui tam Illustres & eminentes personæ sunt adjunctæ: inter quas tantus eminet, quantus inter Adsessores suos Prætor [d], Præses aut Proconsul: *quantum [e] lenta solent inter viburna cupressi*. Et breviter, fatemur & adserimus, Administratori Electorali, sive ab intestato sive testato talis sit, nec in totum nec in parte jus administrationis adimi posse. quod adimi videtur vel minui, si adjunctus æqualis, pari potestate aliquis ei datur: quòd eadem sit ratio partis quæ totius: & æquè contra IVSTITIAM agat, qui de alterius jure partem adimit, quàm qui totum ei præripit.

b] *p. 14. b. vers. insuper & vers. adhac. & p. 15. a.*

ADMINISTRATOR Electoralis, unus & solus esse debet sine adiuncto æquali.

c] *p. 16. b.*

d] *V. Theophilum §. Eadem. l. 4. Inst. quibus ex causis manumittere.*

e] *Virg. Ecclog. 1.*

NEC ETIAM obstat, quod aiunt Adversarii: *Administratori Electorali neque vocem [f] & potestatem eligendi, nec reliquam administrationem & gestionem eius, (verbi gratia in [g] Ducatibus, Terris & hominibus) Electoris testamento posse minui: quòd illa [h] jura sint inter se conjunctissima vel adnexa, ut causa & effectus, & coniunctorum eadem sit ratio, & idem jus.* Hæc enim fatemur omnia.

f] *p. 15. b vers. Sexto pro ulteriori.*

g] *p. 16. a. Versiculo. Vnde sequitur.*

h] *p. 15. b. Vers. Von autem potestas.*

a] *p. 17. a. vers. Septimo facit. & b.*

CERTUS an sit æque Tutor testamento datus, ac si lege datus sit?

Nec rursus obstat quod aiunt [a] Adversarii: *Bullas Aureas CERTITUDINEM personæ in successionibus & Tutelis Electoralibus quæsivisse, affectasse, procurasse, ad vitanda successionum & Tutelarum scandala. Cæterum CERTITUDINEM nullam Successoris vel Tutoris fore, si permittatur Electori, testamento sibi successorem vel Tutorem eligere. CERTITUDINEM enim nullam esse in his rebus, quæ mutari possint, vel minui. Hanc itaque CERTITUDINEM Tutoris Bullis procuratam, mutandam non esse, præsertim quod prædictæ Bullæ per modum Decreti latæ sint, & legis vim habeant.*

Possumus enim concedere, Carolum IV. & Sigismundum *Certitudinem* aliquam in Tutelis Electoralibus ab intestato quæsivisse: ut & leges Romanæ quæsiverunt: hoc est, qualem scilicet potuerunt homines prudentissimi. Sed addimus, *Certitudinem* illam valde lubricam, si cum certitudine Testamentaria comparetur. Maior enim certitudo est in Tutelis Testamentariis ex judicio paterno, quàm in legitimis ullis vel adgnatitiis, ut alibi multis argumentis demonstravimus. Et sanè nisi certiores visæ Romanis fuissent Tutelæ testamentariæ, nunquam legibus Romanis iam inde à XII. Tabulis permissæ parentibus fuissent, sed omnes Tutelæ Romanis extitissent ab intestato, legitimæ & adgnatitiæ. *Secundò*. Nunquam in Tutelis pupillorum, personæ *Certitudo* ita spectanda est (verbi gratia proximioris & senioris Adgnati), quin potior semper esse debeat utilitas pupilli: ut quod utilius pupillo sit, id & *certius* ei sit dicendum. *Tertiò*. Certæ personæ in Tutelis contemplatio non adeò consideranda est, quin & justitia quoque, pudor, honestas, & æquitas spectetur. Atenim proximioris & senioris Adgnati *Certitudinem* ita spectare, ut parentibus ipsis jus de Tutela liberorum & bonorum Electoralium statuendi auferas, sine pudoris, honestatis justitiæque labe, & impietatis nota facere non possis. Omnem enim providentiæ usum parentibus adimis: amorem, sollicitudinem & pietatem eorum erga liberos, cassam, inanem, & sine effectu juris aliquo, reddis. Ac propterea nunquam à quoquam Bullæ Principales & Imperatoriæ ita sunt torquendæ, ut proximiori & seniori Adgnato Tutelam Electoralem deferant, nisi testamentariis Tutelis (id est, ab Electore ipso provisis & nominatis) deficientibus & penitus non existentibus.

b] [illegible] Octa- [illegible]

[illegible] ha- [illegible] [illegible] posset?

Nec rursus obstat, quod aiunt [b] Adversarii: *Tutorem habenti Iure Communi, Tutorem non dari: Igitur nec legitimum, certum & neces-*

& necessarium habenti. Nam si vera hæc illatio extaret, dicendum esset, Iure quoque Romano Tutorem testamento dari non posse. Quia eodem prorsus modo lex Romana ad Adgnati Tutelam proximos adgnatos vocat, si plures eiusdem gradus sint; proximum verò, si solus sit: & sic habenti lege Romana Tutorem, Tutor testamento nunquam dari posset. quod utique dici absurdissimum est, & contra juris fundamenta incogitanter per Neoburgicos allegatum. Ac præterea, hanc ulterius rationem, supra Refutatione XXVII. sustulimus.

NEC MOVET etiam quod aiunt [a] Adversarii: *Neminem simul Tutorem legitimum & Testamentarium esse posse: (id enim regulis Iuris omnibus repugnare, & absurdum esse:) & consequenter, legitimo Tutori Testamentarios adjungi non posse: quòd [b] huiusmodi adjunctio, ipso facto cassatio & destructio totius Tutelæ sit, sic ut legitimus Tutor larva & muta persona futurus sit, votorum pluralitate nunquam non vincendus, & cogendus scilicet ea probare, quæ cæteri Contutores numero plures statuerint. Id [c] autem legibus, Bullis, consuetudinibus repugnare.*

a] *p. 17. b. Vers. Novo inauditum est.*

TVTOR an aliquis possit esse simul Legitimus & Testamentarius?

b] *Vers. Tandem Id omnis.*

c] *vers. An hoc non repugnet.*

QVIA HÆC instantia nihil ad præsentem Tutelam facit, & hîc non quæritur, an Serenissimus Bipontinus sit legitimus simul & testamentarius. Quinimo quid proferant minùs attentè, spectant Adversarii. Quia ex prædicto Adversariorum Responso compluribus admodum locis apparet, fratrem Electoris Ludovici Tutelam Electoralem sibi adseruisse, non uno sed multiplici jure: nempe & legitimo (quasi datus esset à lege): & testamentario (quasi Tutor nuncupatus esset à Friderico patre, & à Ludovico fratre): & ex conventione vel transactione inter vivos cum fratre Ludovico habita, fide principis, dexterarum datione vel coniunctione, quin & juramento firmata. Ideoq; ex ipsorummet Adversariorum scriptis apparet, nec contra regulas Iuris, nec absurdum esse, unum & eundem simul & legitimum & testamentarium esse, inque unius persona utrumque jus concurrere (ut etiam heredis, quando idem tabulis scribitur qui ab intestato futurus erat) optimè posse: cùm frater Electoris Ludovici mixto & triplici adeò jure Tutor fuerit: lege scilicet, & testamento, & pactione.

¶ *Tertiæ Refutationis Replicatio.*

HACTENVS ad primam & secundam Adversariorum (Tutelam Electoralem proximiori Adgnato uni & soli, partim lege, partim duplici

duplici ultima dispositione, partim etiam contractu adversus Contutores eius adserentium) instantiam vel Refutationem, plurima capita continentem respondimus. Sequentes nunc instantias & Refutationes eorundem, tertiam scilicet & reliquas, etiam expendamus.

DICEBANT [a] Contutores Testamentarii: *Auream Bullam principaliter directam esse ad vocem atque Electionem: in cæteris verò relinqui Electoris arbitrio, quos velit Tutores dare: Adhac* [b] *Aurea Bulla satisfieri, si proximo Adgnato vox & Electio relinquatur.*

Quid Adversarii [c]? *Proximum Adgnatum Tutorem & Administratorem per Auream Bullam constitui, non per distinctionem, quantum ad vocem & potestatem Electionis, sed sine distinctione, absque discrimine, & in genere. Adhæc verba illa juris,* TVTOR ET ADMINISTRATOR ESSE DEBEAT, *pro lubitu & passione non interpretanda vel restringenda, nec prædictam Contutorum distinctionem admittendam. Id etiam clariùs* [d] *Sigismundi Declarationibus ostendi, quæ Administratori Electori tribuunt, non tantùm jus vocis & suffragii, sed etiam Administrationem Ducatuum, terrarum & hominum. Verba illa,* TVTOR & ADMINISTRATOR, *in proprio suo significatu posita esse. Aurea* [e] *Bulla non satisfieri, si Adgnato sola vox & potestas Electionis relinquatur, & ei cætera vel adimantur vel minuantur. Plura* [f] *conjunctim per Auream Bullam proximo Adgnato tribui, & proinde non* [g] *sufficere nec Bulla satisfieri, si ipsi aliqua saltem relinquantur, vel si non omne ipsi relinquitur quod a lege datum sit. Denique Auream Bullam Adgnato proximo tribuere Tutelam & Administrationem omnem, & quicquid inde dependet, cum Administratione Ducatuum, terrarum & hominum: Vt* [h] *hinc appareat, qui Consiliarii huic dispositioni adhibiti, quoque consilio illa deliberata dispositio fuerit.*

SED HÆC non obsunt præsenti controversiæ. Fatemur enim, omnem Administratorem Electoralem, sive sit ab intestato (quod facilè ferunt Adversarii) sive ex testamento (quod nos dicimus, illi negant) Administrationem omnium jurium Electoralium, nullis exceptis, habere. Deniq; licet prædicta concedamus omnia Tutori legitimo Electorali: non tamen sequitur, per illam concessionem jus de Tutela testandi Electoribus adimi. Quia voluntas & mens Bullarum nunquam talis fuit, ut multis supra docuimus: & ultra mentem, leges nunquam extendere debemus, ne [i] torqueamus eas alioqui, non interpretemur.

¶ *Quarta*

a] *p. 6. a. in fin.*

ADGNATVS proximior & senior, an Administrator solus esse debeat in voce & Electione Imperatoris & Regis Romanorum: & in cæteris Electoralibus iuribus Adiunctos habere possit?

b] *p. 6. b. in pr.*

c] *p. 18. b. vers. Auream enim Bullam sibi: non per distinctionem.*

d] *p. 19. a.*

e] *p. 19. a. vers. pari ratione.*

f] *p. 19. a. in fin. vers. Nam si lex aliqua.*

g] *p. 19. b. in pr.*

h] *p. 20. a. vers. Ex quibus omnibus.*

OMNEM Administrationem Tutelæ, Administrator habet: sed ex eo non sequitur, Electores testari non posse.

i] *l. quod favore 6. C. de legib. c. quod ob gratiam 61. de regulis in 6.*

¶ Quarta Refutationis Replicatio.

DICEBANT [a] Contutores Testamentarii: *Bullas favore Electorum introductas: proinde in eorum odium (verbi gratia, ut de liberorum suorum & bonorum Tutela testari non possint) detorqueri non posse: Et posito, propter favorem publicum Bullam Auream factam fuisse, dationem tamen Tutorum aequè favorabilem esse.*

a] *p. 6. vers. Auream Bullam.*

Quid Adversarii? Negabant [b], *constitutionem de successione & Tutela liberorum defuncti Electoris in favorem Electorum factam esse. Quinimò dicebant, ex capite* VII. *Aurea Bulla constare, praedictam Constitutionem propter alium finem, nempe propter bonum publicum, & salutem patriae, & conservationem pacis publicae factam esse, & consequenter cessare regulam juris vulgatam: Quod favore aliquorum constitutum est, id in eorum damnum torqueri non debet.* Quinimò [c] *dationem Tutorum non aequè favorabilem, ut publica tranquillitas est. Ait enim lex inter haec duo tantum interesse, quantum inter publicum & privatum. Dationem quippe Tutorum, ad specialem aliquam familiam referri, publicam verò pacem & tranquillitatem ad totum Imperium pertinere.* Adhaec, *id* [d] *tantùm favore dignum esse, quod lege factum sit: Adjunctionem autem Contutorum legitimo Tutori Electorali odiosam esse, quòd nulla lege, nullo jure, imò contra legem & contra jus in tertii notorium praejudicium fiat.*

b] *p. 10. a. vers. Quarto nec conceditur.*

FAVORE adgnati senioris & proximioris an Aurea Bulla edita: an potius favore Electorum & pupillorum?

c] *p. 10. vers. Quinimo nec illud concedi potest.*

d] *p. 10. b. vers. insuper id saltem.*

SED HAEC Adversariorum responsa non obstant. Vitia namque multa continent.

PRIMUM omnium dico, verum non esse, quod Adversarii defendunt: *Constitutionem de Tutela liberorum defuncti Electoris in favorem Electorum factam non esse.* Cur enim aequè, vel multò magis, favore digni non sint Electores liberos habentes, non video: ac maximè de liberorum suorum Tutela testantes. Nam toto [e] jure patres liberos habentes praemiis potius ornati sunt, quàm depressi vel poenis adfecti. Interest [f] enim, Rempubl. liberis Electoralibus repleri: liberos Electorales arbitrio patris potius quàm aliorum regi, quòd optimum pro liberis consilium pater capere soleat & praesumatur.

FAVORE Electorum, non minus imo magis Constitutiones Imperatoriae editae sunt, quàm Adgnatorum favore.

e] *v. l. 1. l. 2. C. de iure liberorum. Vlpianus in fragmentis Titulo de decimis.*

f] *l. 1. π. soluto matrim.*

SECUNDÒ vitiosa admodum Adversariorum collectio est. *Tutelae Electorales bono publico sunt inductae, ut cap* VII. *Aureae Bullae continentur.* Igitur *Elector de liberorum suorum Tutela testari Bulla Aurea prohibitus est.* Quae enim consequentia haec est? Aliena prorsus.

PUBLICO Bono Tutelae Electorales licet sunt inductae: ex eo tamen non sequitur, Electoribus adimendam fuisse potestatem de liberorũ Tutela testandi.

Quasi verò bonum publicum, salus, pax & tranquillitas publica in eo consistat, ut Electoribus contra jus fasque omne testamenti factione interdicatur, & testandi jure innocentissimi spolientur, ut unus proximior & senior Adgnatus eorum Electoratum administret. Ac præterea, quis credat Bullas favore potiùs unius proximioris & senioris adgnati editas esse, quàm ipsius Electoris, qui plus juris in Electoratu quàm talis Adgnatus habet? Ac proinde Tutelarum Electoralium testamentariarum patroni rectè sic colligunt: Bullæ Imperatoriæ favore Electorum latæ sunt potiùs quàm ullius alterius contemplatione. Igitur dicendum est, jus testandi Bullis Imperatoriis Electoribus ademptum non esse, et Adgnati (licet proximioris & senioris) arbitrium patris Electoris arbitrio postponi. Quid hoc jure quæso clarius, vel liquidius, vel justius?

Sic itaque distinguendum nobis potius est, ubi de Tutelis Electoralibus (hoc enim præsentis controversiæ est) loquimur. Personas distinguere Electorum & liberorum Electoralium ab Electoralibus Adgnatis hoc scilicet modo debemus, ut intrepidè constanterque dicamus: Bullas Imperatorias in Tutelis Electoralibus generaliter bonum & favorem publicum spectâsse: non inde tamen sequi, bonum illud publicum, & favorem illum publicum in eo uno versari, ut Electoralis Tutela proximiori & seniori Adgnato deferatur. Nam scopus ille non est publicus, sed privatus tantùm, proximioris scilicet & senioris Adgnati rem & votum & utilitatem privatam spectans. Atqui ridiculum est dicere, Bullas Imperatorias in Tutelis Electoralibus magis spectâsse proximioris & senioris Adgnati commodum, quàm vel Electorum vel liberorum eius. Imò quia (quod vox [a] *Tutela* & *Administrationis* demonstrat) Tutela & Administratio, propriè, principaliter & immediatè, bonum liberorum Electoralium spectat, & per consequens bonum omnium Electorum, quorum voto vel dispositioni ultimæ satisfieri meritò debet: in hoc concursu boni publici sanè præferendum est Electorum ipsorum & liberorum Electoralium bonum, bono commodoq; proximioris & senioris Adgnati. Dico itaque, Bullas Imperatorias in Tutelis Electoralibus generaliter bonum & favorem publicum spectasse: Specialiter verò bonum votumque Electorum & liberorum Electoralium potiùs, quàm bonum, commodum & votum, proximioris & senioris Adgnati. Denique licet verum & certissimum omnium sit, Bullas in Tutelis Electoralibus ad bonum & favorem publicum spectasse; propriè tamen, specialiter, principaliter & imme-

a] *l. 1. de Tutelis.*

& immediatè, bonum, favorem & solatium ipsorum Electorum & liberorum Electoralium, non autem bonum proximioris & senioris Adgnati pro scopo fineque habuerunt. Nec enim causa ulla est apparens, cur Bullæ uni Adgnato proximiori & seniori plus juris tribuant vel faveant, quàm Electoribus ipsis & eorum liberis. Descendant in se quicunque sunt parentes, & liberos habent hodie: &, utri melius aut justius loquantur, nos an Adversarii, judicent.

SECUNDÒ non fero Adversariorum hoc [a] Axioma: *Tutoris datio non adeo favorabilis est, ut publica tranquillitas.* Hæc enim duo Adversarii opponunt velut contraria, cùm tamen subordinata sint hoc modo. Publica tranquillitas favorabilis quidem est: ideoque lex vigilat, ut in Tutelaribus causis, liberis Electoralibus consulatur, & consequenter ut ad bonum publicum liberorum Electoralium perveniatur, Tutorum liberis Electoralibus utilium datione. Cæterùm longè utilius est liberis Electoralibus testamentarios Tutores accipere, quàm legitimos habere: ut alibi multis argumentis & rationibus probavimus, & in se evidens est. Ideoq; præsumendum est, Bullas non sustulisse Tutelas testamentarias Electorales, sed permisisse potiùs: quòd per Tutelas testamentarias certiùs & meliùs ad bonum illud publicum perveniatur, quàm per legitimas. Et breviter, quòd testamentariæ Tutelæ utiliores & commodiores sint pupillis, quàm ab intestato vel legitimæ.

a] *p. 20. b. vers. Quinimò.*

TUTORIS datio an adeo favorabilis sit, ut publica tranquillitas, inepte quæritur: & negatur.

TERTIÒ probari non potest quod aiunt [b] Adversarii: ***Dationem Tutoris, privati commodi vel juris esse, & ad specialem aliquam familiam pertinere.*** Non enim video, quo sensu, vel quo modo Tutoris testamentarii datio dici possit ad specialem aliquam familiam pertinere. Hoc enim apertè juris principiis & experientiæ repugnat. Nam Iure Communi licet etiam testamento Tutores dare eos, qui extranei sint, quemcunque [c] denique, dum ne specialiter lege sit prohibitus. Deinde si Tutoris testamentarii datio ad specialem aliquam familiam pertinebit, quantò magis prætensa ab Adversariis Tutela legitima proximioris & senioris Adgnati, ut cui uni, & soli, & semper, & sic quarto modo, Tutela Adgnatitia destinata esse debebit?

c] *p. 20. b. Vers. quinimò. ibi Datio Tutorum.*

DATIO Tutoris privati commodi vel juris esse, & ad specialem aliquam familiam pertinere, impertinenter ab Adversariis dicitur.

d] *l. Tutor. 20. l. Testamento 21. ff de testam. Tut. §. 1. Inst. qui testamento Tutores dari possunt.*

QUARTO quod aiunt [d]: *Id tantùm favore dignum esse, quod lege factum est:* ***Contra: non pro favorabili, sed potius pro odioso haben-***

e] *p. 20. b Vers. Insuper id saltem.*

dum esse, quod nulla lege, nullo jure, imò contra legem, & contra jus, & tertii notorium prajudicium factum sit. Sanè districtè contra ipsos Adversarios facit. Hinc enim colligitur, prætensam ab Adversariis legitimam Tutelam odiosam esse partim, quòd præter & contra jus commune sit inducta; partim quòd Electoribus & eorum liberis sit admodum noxia, affectum paternum omnem postponens & eludens, patrem suo jure liberis Testamento prospiciendi, & summè favorabili ista facultate spolians & exuens. Nam ut odiosus [a] est omnis à Iure Communi recessus: ita odiosum valde jus est, quo pater liberis (tametsi maximè velit) testamento suo consulere nequit: quo patri liberis cavendi facultas est adempta: quo denique patri (quæ vox apud omnes gentes sacrosancta esse debet) jura sua subducuntur, vel potiùs eripiuntur.

FAVORABILES an sint Tutelæ Testamentariæ ut legitimæ? Hoc perperam negant Adversarii.

a] *c. 1. de filiis presbyter. Abbas c. dilecti. de donat. Vide Manticam. 7. de coniect. n. 8. ubi plures allegat.*

SED AD quintam Adversariorum Refutationem veniamus.

¶ *QVINTÆ REFVTATIOnis Casimirianæ Replicatio.*

DICEBANT [b] Contutores Testamentarii: *Sæpe circumstantias occurrere, quæ Electores ad diversam dispositionem movere queant.*

Adversarii contra negabant [c], *in potestate Electoris esse, propter circumstantias aliquas Tutori per Auream Bullam designato Tutelam Electoralem adimere.*

MALE. Novi quippe & de novo succrescentes & emergentes casus (ex circumstantiis variis incidentibus) nulla lege (quamvis exactissima & omnium accuratissima vel oculatissima) continentur. Et cur quæso? Quia novi & insoliti casus illi nunquam à lege provisi fuerunt, & ideò nec decisi. Ac propterea dici [d] solet, de novo emergentia novo remedio egere: novo (inquam): quia per legem latam remedium nullum habuerunt, & post latam legem nunc primùm emerserunt, velut ex profundo aliquo maris gurgite. Et sic cùm ex facto jus oriatur (ut IC. dicit) super facto nondum nato nullum jus condi potuit. In facto quippe consistunt casus huiusmodi. Et eo sensu Marcianus [e] scripsit: *An mora facta intelligatur, neque constitutione ulla neque juris auctorum quæstione decidi posse, quòd sit magis facti quam juris.*

b] *p. 6. a. vers. Adesse.*

c] *p. 20. b. in fin. vers. Nihil facit. & p. 21.*

ELECTOR potest propter circumstantias aliquas Tutori per Auream Bullam designato Tutelā adimere.

d] *l. de ætate 8. §. ex causa 8. π. de Interrogat. act. l. 1. in pr. ibi si nos quoq; novum consilium & remediū π. de ventre inspiciendo: c. nullis 8 de Electione in 6.*

e] *l. mora 32. π. de usuris.*

juris. Et huc pertinet quoque quod à nostris dici solet [a]: *Quatenus cuiusque intersit, in facto non in jure consistere*. His addantur, quæ de præteritione liberorum, Refutatione prima supra diximus.

a] *l. quatenus 24. ff. de regulis iuris*.

SED AD Sextam Refutationem descendamus.

¶ Sextæ Refutationis Replicatio.

DICEBANT [b] Testamentorum Electoralium patroni: *Tutelam atq; Administrationem res esse diversas* (id est, ut existimo, unum Tutorem esse posse, nec tamen omnia administrare.) *& à separatis nihil inferri*.

b] *p. 6. b. Vers. Tutelam*.

Adversarij quid? *Mirum* [c] *hoc auditu esse aiunt*. Cur? *quia Administratio Tutelæ necessaria sequela est: quia alterum ab altero separari non potest: quia sese habent, sicut causa & effectus (ut is apud quem Tutela sit, administrare pariter debeat): quia cuilibet Tutori onus reddendæ rationis in solidum incumbit, si pupilli sui res & negotia minus sincera fide gesserit*.

c] *p. 21. Vers. quod pro sexto: ibi Mirum est*.

SED FACILIS est responsio. Potest enim dici, Tutelam apud aliquem esse, & tamen dici, Administrationem apud alium extare. Verbi gratia, Tutores honorarij [d], notitiæ rei gratia ad instruendos Contutores dati, non gerunt nec administrant, quia alij qui gerant dati sunt. Quinimo Tutor honorarius interdum [e] sic dari potest à Prætore, ut interdicta sit ei administratio. Planè si ad eum modum quidam existant Tutores, ut non administrent, sequetur utique, ut Administratio non sit Tutelæ semper sequela necessaria: item ut à Tutela separari possit & debeat Administratio: & rursus ut Administratio semper non sit Tutelæ effectus, & omni omnimodo Tutori reddendæ rationis onus in solidum non incumbat.

TVTELA & Administratio an res sint diversæ, & an Administratio necessariò sit sequela Tutelæ?

d] *l. quod si forte 14. §. 1. ff. de fideiuss. l. 3. §. 2. ff. de adminis. Tut*.

e] *d. l. 14. §. 1*.

NVNC DE septima Refutatione videamus.

¶ Septimæ Refutationis Replicatio.

ALLEGABANT [f] Contutores testamentarij, *Legitimo vel legitimi Tutoris juri nihil detrahi, adjunctis ei Contutoribus*. Adversarij contra detrahi contendebant.

f] *p. 6. b*.

ADIVNCTO dato Tutori legitimo, an Jus legitimi minuatur?

Sed nos ad hanc Refutationem superiùs pleniùs respondimus. Hanc tantùm facti speciem addemus in præsenti. Elector (ex veriore Bullarum sententia & interpretatione, usu & consuetudine etiam in domo Palatina Electorali receptis) de liberorum, subditorum & bonorum Tutela testari potest, & ulteriorem proximiori præferre, ut variis locis probavimus. Finge Electorem, Adgnatum proximiorem Tutorem dedisse, & ulteriorem Adgnatum ei adjunxisse? Sanè adjunctus ille jus proximioris & senioris Adgnati minuisse videri non potest. Quia proximior, hoc casu, jus Tutelæ non à lege, sed ab Electore habet. Si potuit Elector proximiorem Tutorem dare, potuit & alium ei adjungere, sic tamen, ut Adjunctus sit Adgnatus, & Adjuncti concursu, Tutela proximioris, id est principalis Tutoris, non multiplicetur, sed jus vocis & Electionis apud principalem solidùm maneat, cætera communi consensu vel suffragio gerantur.

De alia Refutatione videamus.

¶ *Octavæ Refutationis Replicatio.*

a] *p. 6. b. Vers. Auream Bullam.*

b] *p. 21. b. Vers. De eo quod octavo.*

Dicebant [a] Contutores, *Bullas Sigismundi confirmationes esse Bulla Caroli IIII.*

Adversarij [b] contra, *nudas confirmationes esse* pernegabant: *sed leges per se subsistentes, & privilegia clausulis omnibus necessariis munita, quibus in nonnullis Aurea Bulla declaratur.*

SIGISMUNDI Bullæ an sint leges per se subsistentes? an nudæ confirmationes Bullæ Caroli IIII?

Sed licet concedi possit, Sigismundi Declarationes nudas confirmationes non esse Bullæ Caroli IIII: potest tamen negari, Sigismundi Declarationes, & Renovationes, leges per se subsistentes esse. Quia notissimum & certissimum est, Sigismundi Declarationes Bulla Caroli IIII. velut fulcro niti: & in Caroli IIII. Bulla, Sigismundi Declarationes & Innovationes velut in solo & fundamento consistere. quod & ipse Sigismundus non obscurè fatetur illis verbis: *Prout HOC IDEM per præfatum dominum Carolum IIII. Imp. lege & imperiali edicto in Aurea Bulla publicè sancitum esse dignoscitur.* Et id quidem vel ipsum Declarationis nomen per se satis ostendit. Omnis enim cujuscunque dicti scriptiue declaratio, ab ipso dicto scriptove principali, origine dependet, & eius velut appendix, superficies & sequela est. Et ita fit quoque, ut posteriores [c] leges regulariter ad prio-

c] [illegible] *& posteriores* [illegible]

priores pertineant, & pertinere dicantur.

NUNC AD Nonam Refutationem transeamus.

¶ Nonæ Refutationis Replicatio.

DICEBANT [a] Contutores testamentarij, *Per Auream Bullam Electori testamenti factionem ademptam non esse.*

a] p. 6. b. in fin. verf. per Auream Bullam.

Adversarij quid? Id etiam fatentur [b]. Sed addunt, *Electorem non posse alios Tutores, præter eum, quem Aurea Bulla, & alia Electoralis domus Palatinæ ordinationes Imperatoriæ volunt, in Testamento dare, vel adjungere, aut legitimo Tutori aliquid Aurea Bulla vi competens adimere.*

b] p. 21. b verf. quod nomo obiectum fuit.

SED SANE dici potest, Electori Testamenti factionem adimi, si non possit alium Tutorem dare, quàm qui Aurea Bulla sit expressus. Nam Iure Civili patri-familiâs sanè adempta Tutoris datio esset, si nullum alium Tutorem dare ei liceret, præter proximum Adgnatum, qui lege XII. Tabularum nominatus est: & adhuc multò magis, si nullas omnino conditiones dato Tutori adiicere posset, quàm quæ Tutori dato placerent.

ADIMITUR Electori testamenti de tutela factio, si Tutorem dare alium non potest quàm qui Aurea Bulla sit expressus & est.

NEC OBSTAT quod aiunt [c], *Hoc consequens non esse: Non habet Elector dationem Tutoris: Ergo non habet Testamenti factionem.* Est enim certissimum, consentaneum & necessarium hoc: ut qui scilicet Tutoris dationem non habeat, idem Testamenti quoq; factionem hac parte non habeat, liberam nempe, qualem testatori leges omnes tribuunt. Et sanè ridiculum est, patri-familiâs testandi de bonis suis potestatem concedere, & Tutoris tamen dandi jus ei auferre. Imò probari potest evidentissimè, Adversarios omnem omnino testandi potestatem Electoribus adimere, hoc argumento à sufficienti partium enumeratione deducto. Adversarij non concedunt Electori potestatem testandi de bonis Electoralibus, sed nec de liberorum & subditorum suorum Tutela & Administratione: quinimo non concedunt Electori conditionibus certis Tutelam Adgnato proximiori & seniori deferre, nisi quas putaverit iustas & legibus consentaneas. Igitur Adversarij Electorem faciunt aut omnino intestabilem, aut in his sanè, quæ præcipua sunt omnium, bonis (veluti bonis & juribus

c] p. 22. a. verf. prout etiam.

ribus Electoralibus, & rursus in liberorum & subditorum Electoralium tutela) intestabilem reddunt: ac maximè quidem, si nulla alia Allodialia vel feudalia Princeps Elector habeat, quàm bona Electoralia. Hoc enim casu Princeps & Elector prorsus in effectu intestabilis ab Adversariis reditur.

a] *p. 22. a. Vers. adde quod dici nequeat.*

NEC OBSTAT quod aiunt [a] Adversarij, *Non omnem dationem Tutoris Electori ademptam esse: quòd scilicet possit eum, qui lege Carolea designatur, dare: modò non deteriore conditione constituat: ut & pater potest primogenitum in jura primogeniture instituere, & haredem facere, modo nec deterioris conditionis faciat, quàm ab intestato primogenitus futurus esset.*

Hæc enim dicta per absurda & ridicula sunt. Nam in potestate cuiusquam positum esse, dicere non potes, quod ipsi arbitrarium aut voluntarium non sit. Et utique huiusmodi potestas (instituendi scilicet primogeniti, vel dandi Tutoris proximioris & senioris legitimi, quem instituere vel Tutorem dare necesse prorsus habeas) non est potestas; quia nec libera est, (qualis in testamenti factione, & Tutoris datione requiritur) sed coacta prorsus & necessaria. Opponuntur [b] enim hæc duo, *posse* & *cogi*, quia verbum *posse* liberæ facultatis est. Sicuti in necessitatibus nemo liberalis censetur: nec [c] donari videtur, quod jure vel obligatione cogente conceditur, id est legis necessitate, ut Cyrillus [d] exponit. Ac proinde pater-familiâs filium in legitima (quam legibus ei debet) instituens, & nihil aliud ei relinquens, quàm quod lex ipsi filio vult relictum aut jubet relinqui, id jure potestatis suæ & affectu paterno fecisse non intelligitur, sed legis & juris & tantum necessitate [e].

b] *l. sæpe audivi 8. π. de offic. præsidis.*
c] *l. donari 29. π. de donat. l. 67. §. 1. π. de legat. 2. l. 18 in fin. π. de adimendis legatis l. 67. in fi. π. de V. signif. l. 35. in fin. l. 82 π. de Regulis iur. l. 53. Cod. de revoc. donat.*
d] *Ad l. 29.*
e] *l. obligationum 52. 8. l. 3. π. de obligat.*

SED AD aliam Refutationem pergamus.

¶ *Decimæ Refutationis Replicatio.*

f] *p. 7. a. Vers. paternam.*

g] *p. 22. b.*

DICEBANT [f] Contutores testamentarij, *Dispositionem quondam Friderici referre se ad Auream Bullam, ac propterea ulterius extendi non posse.*

Adversarij contra contendebant [g]: *Electoris Friderici III. testamentum non aliter intelligendum esse, nisi secundùm intentionem ipsiusmet Friderici, secundùm Auream Bullam, secundùm Sigismundi constitutionem,*

nes, & usum antiquum ac observantiam Palatinæ familiæ, & postremò secundùm [a] id, quod Consiliarij (qui ipsi testamentum facienti adfuerunt) testari potuerunt.

a] *p. 22. a. ibi quod testimonio consiliariorum.*

SANE ITA est. Elector aliter quàm ex legibus testari de Tutela non potuit. Sed adversus leges non testatur de Tutela, qui remotiorem Adgnatum proximiori prætulit. Quia leges illæ proximiorem & seniorem Adgnatum DE IVRE tantùm Tutorem faciunt. Quæ verba (etiam Adversariorum confessione) Iuris Communis verba sunt, ac proinde secundùm Ius Commune intelligenda: ut scilicet proximus & senior Adgnatus ad Tutelam Electoralem vocatus censeatur, quemadmodum aliàs proximi Adgnati ad adgnatorum Tutelam Iure Communi sunt vocati: id est, testamentario Tutore non existente. Quod quidem jus testandi de Tutela, non præsumuntur Bullæ, Electoribus ademisse. Sicuti princeps [b] in dubio non præsumitur diminuere officium ordinarium, vel derogare eius potestati. Ac maximè quidem illud adhuc verum fuerit, & obtinere jure debebit, si pater-familiâs, Elector scilicet, justissimas & necessarias Tutoris dandi causas habuerit: quia leges & Bullæ, quæcunque sint, necessitati & æquitati cedere solent & debent. quia Necessitas summa lex est, cui resisti non potest, ut alibi plenius diximus.

ELECTOR remotiorem Adgnatum proximiori in Tutela præferens, nihil adversus leges facit.

b] *l. sæpe audivi 8. ubi Baldus π. de officio præsidis.*

SED DE alia Refutatione videamus.

¶ *Vndecimæ Refutationis Replicatio.*

DICEBANT [c] Contutores testamentarij, *Ludovicum Electorem conventionem quidem & transactionem cum fratre secundo-genito habuisse: sed illam conventionem relativam esse, id est se referentem ad dispositionem paternam, quæ id (ad quod inducitur) non inferat.*

c] *p. 7. a. vers. Conventionem quoque.*

Adversarij contra statuebant [d], *Ludovicum Electorem dispositionem Tutelarem patris, pacto vel fide data confirmantem, jus ipsi Tutori (dispositione patris scilicet) dato quæsitum auferre ei invito non posse.*

SED MIRVM sanè est, quod hîc ultro quoque fatentur Adversarij: nempe *Electorem de Tutela Nepotis sui rectè testari*: & rursus: ***Electorem de Tutela** liberorum suorum cum fratre suo pacisci vel transigere*

ELECTOREM de Tutela Nepotis rectè testatum fatentur etiam Adversarij.

posse: cùm tamen negent hodie, Fridericum IIII. de Tutela liberorum suorum disponere potuisse: ut ea parte admodum inter se contrarij videantur Adversarij. Ac præterea videntur id Adversarij contra juris omnes regulas proferre. Non [a] enim potest avus, licet [b] miles sit, de Tutela nepotis sic testari, quin eo (id est avo ipso) mortuo in potestatem patris sui recasurus sit. Ad hæc negari potest, teneri me conventione vel transactione, qua Tutelam liberorum meorum tibi promisi. Nam hoc genere liberam testandi facultatem mihi abstuli. Nec teneor sanè, licet [c] contractu vel fide data te Tutorem liberorum meorum feci. Quia Iusiurandum hoc adversus leges est, quæ liberam testandi facultatem alicui eripi pacto posse non permittunt. Valeat & hæc ratio. Si de rebus meis testandi facultatem pactione vel transactione mihi præripere non possum, possum & multò minus de liberorum meorum Tutela testandi jus auferre. Quia jus hoc illo inæstimabilius, charius & periculosius est: & mea magis interest, Tutorem idoneum liberis, quàm rebus inanimatis gerendis Administratorem relinquere. In hoc casu maior utique mihi libertas est & esse debet, quàm illo.

a] *l. in fin. π. de Testament. Tut. § permissum 3. Inst. de Tutel.*

b] *l. nec militem 2. π. de Testament. Tut.*

CONVENTIO vel Iusiurandum non valet, ut non possim de tutela liberorum meorum testari.

c] *V. l. 59 § 9. π. pro socio. l 61. π. de V. oblig. V. l. 5. Cod. de legib. l ult. Cod. de pact. & ibi Doctores. l si quis in principio 22. π de legat. 3.*

Sed de duodecima Refutatione videamus.

¶ DUODECIMÆ REFUTATIONIS Replicatio.

Dicebant [d] Contutores Testamentarii, *Exempla Ottonis & Friderici Comitum Palatinorum (quorum uterque Tutor & Administrator fuit) aliena esse: quia tum temporis nulli alij Tutores dati fuerunt, prout Ludovici testamento factum fuit.*

d] *p. 7. a. Vers. Allegata exempla.*

Adversarij contra [e] contendebant, *rem aliter se habere.* Secundò, *licet adhuc illa duo exempla minus ad rem facerent, inde tamen id colligi videri posse, quòd in omnibus antehac evenientibus Tutelæ casibus Aurea Bulla strictè observata, & nunquam contra eam quicquam factum fuerit.*

e] *p. 23. a Vers. quod in duodecima.*

Sed de Ottonis exemplo & alijs plus satis jam diximus libro II. Et sequenti quoque dicturi sumus aliquid.

OTTONIS & Friderici Exempla.

Aliam Refutationem nunc discutiamus.

¶ DECI-

¶ DECIMÆ TERTIÆ REFVtationis Replicatio.

DICEBANT [a] Contutores Testamentarij, *nullum dubium esse, quin Elector Ludovicus testamentum faciendo, & Contutores fratri adjungendo, recordatus quoque Bullæ Aureæ fuerit: nec præsumendum, quòd ipsi Aureæ Bullæ contravenire voluerit, cùm in eam antea juraverit.*

a] p. 7. vers. Nullum dubium.

Adversarij contra [b]: *videri prædictum Electorem non probè Bullas Aureas considerasse, nec de iis sufficienter admonitum fuisse. patére namque ad oculum, Ludo[illegible] testamentum ex diametro Bullis Aureis repugnare, & cassationem [illegible]structionem eius esse, quod in Bullis Aureis & cæteris documentis de Tutela & Administratione successoris in Electoratu dispositum fuit.*

b] p. 24. a. & b. & 25.

LVDOVICVS Elector Bullas Aureas legit & novit.

SED LVDOVICVM Electorem Bullas Aureas & legisse, & probè considerâsse, possumus ita facilè demonstrare. *Primò*: quia Bullæ illæ Aureæ toties allegatæ nihil aliud sunt, quàm præcipuæ & selectissimæ de Tutelis (inter cætera quædam capita) constitutiones ab Imperatoribus editæ: quas Elector, ætatis præsertim justæ (uti prædictus Ludovicus fuit) ignorasse nunquam præsumendus est. Quia sunt jus publicum (si quod aliud): & (ut dixi) ad statum publicum Electorum Laicorum pertinent: & sunt præterea de rebus omnium gravissimis (de successionibus scilicet, Tutelis & cæteris iuribus Electoralibus huiusmodi) specialiter editæ. Solent etiam frequentiùs in Auditoriis Electoralibus, & aliis Cameris & Iudiciis ventilari: nec ullis de legibus extra ius sermo frequentior inter Electores, Proceres, Nobiles & alios, quàm de Bullis illis Electoralibus est: ut iura ac privilegia sua, & quidem tanta ignorâsse, Ludovicus tanti nominis Princeps præsumendus non sit, nisi pariter præsumatur nomen [c] suum ignorâsse. Vt nihil dicam, præsumendum [d] non esse, tantum principem & paterni testamenti, & fidei fratri unico datæ oblitum, testamentum condentem, immemorem salutis æternæ & periurum esse voluisse.

c] *l. cum in libris C. de hæredib. instit.*
d] *l. ult. in fin. Cod. ad l. Iul. repetundar. c. sanctiorum. 1. q. 7. c. litteras de præsumptionibus. c. significasti 18. Extr. de homicidio. Vide Alciatum, 3. præsumptionum 4. & Menochium, 5. de præsumptionibus. 5.*

AD VLTIMAM Refutationem transeamus.

DECIMÆ QVARTÆ Refutationis Casimirianæ Replicatio.

a] *p. 7. a. in fin. & b.*

DICEBANT [a] Contutores Testamentarij, *Testamentum Ludovici Electoris à Cæsare confirmatum fuisse, nec verisimile esse, Cæsarem id confirmaturum fuisse, si existimasset huiusmodi dispositionem Aureæ Bullæ repugnare.*

b] *p. 25. vers. quod ultimo loco.*

c] *p. p. 25 b.*

d] *p. 26, a.*

Adversarij contra dicebant [b], *non esse novum, ut Testamentorum Electoralium dispositiones per subreptionem & obreptionem à Cæsaribus confirmentur; & per falsas suggestiones falsaque narrata obtineantur. Rescriptis huiusmodi tacitam semper hanc conditionem* [c] *inesse*, Si preces supplicantis veritate nitantur. *Cæsarem (fontem justiciæ) non præsumendum esse, confirmationibus talibus sine causæ cognitione emissis, absentis juri nec citati nec auditi derogare voluisse. Cæsarem confirmare non posse, quod per se invalidum & nullum sit. Confirmationes* [d] *huiusmodi excogitatas adversus Bullas, per ipsasmet Bullas cassari & annullari. Electorem liberorum suorum Tutelam fratri solenniter sub fide & dignitate Principis, & quidem irrefragabili jure & cum omnibus clausulis derogatoriis promittentem, præsumi fraudes omnes & attentata per huiusmodi pactionem & transactionem cum fratre habitam, tollere voluisse, & sic renunciasse testamenti factioni, ut postea testari nullo modo potuerit: nec testamentum eius valere posse, licet à Cæsare confirmationem obtinuerit, quod huiusmodi confirmatio adversus transactionem excogitata sit.*

e] *l. 2. Cod. si contra ius vel utilitatem publicam.*

SED PRÆDICTIS facilè responderi potest.

CONFIRMATIONES Obreptitiæ, nullæ sunt.

CLAVSVLA, Si preces veritate nituntur, in rescriptis omnibus intelligitur.

f] *l. ult. Cod. de diversis rescriptis.*

INAVDITO penitùs Absenti ius adimi etiam à Principe non potest.

Primùm enim concedo, Confirmationes (etiam Cæsareas) per subreptionem [e] & obreptionem impetratas, nullas esse. *Secundò* concedo quoque, in omnibus rescriptis Cæsaris, clausulam illam vulgatam & æquissimā omnium semper inesse [f], *Si preces veritate nitantur*, *Tertiò*, non potuisse Cæsarem (quòd justitiæ fons sit) sine causæ cognitione

ctione, jus absenti, inaudito [a] & non citato adimere. *Quartò*, Cæsarem non posse confirmare id, quod per se prorsus invalidum & nullum est, si modò ita comparatum sit, ut præceptis divinis repugnet. Verbi gratia: Nuptias iure divino prohibitas confirmare Cæsar non potest, ut scilicet consistant, perdurent, continuentur, retineantur hujusmodi Nuptiæ: liberos [b] tamen ex huiusmodi complexu natos potest clausulis *non obstantiarum* (quas omnes Pragmatici norunt) additis legitimos reddere. quia jure divino non ita prohibita est talium liberorum legitimatio, ut sunt incestæ nuptiæ prohibitæ. *Quintò* fateor etiam, Confirmationes adversus Bullas, ipsis Bullis cassari, & irritas ita fieri; ut possit tamen Cæsar (qui rerum potitur) plenitudine suæ potestatis interdum uti. Quia Cæsar (Princeps scilicet, electione talis, non successione) potestatem Imperatoriam successoribus suis non potest auferre, qui jus non ab eo, sed ab Electoribus ipsis habent; quia par [c] in parem imperium non habet, & paulatim potestas omnis Imperatoris concideret. *Sextò* possum etiam concedere, Electorem cum fratre suo sub fide & dignitate Principis paciscentem vel transigentem, fraudem velle facere fratri non præsumi.

CONFIRMARI id quod prorsus in validũ & nullum est, a Principe non potest.

a] *l. de unoquoque π. de re judicat.*

b] *l. qui in provincia 57. §. 1. π. Rit. Nuptiar.*

CONFIRMATIONES adversus Bullas, Bullis etiam ipsis cassantur.

c] *l. Nam magistratus 4. π. de arbitriis. l. Iudicium solvitur. 58. π. de Iudiciis. l. ille à quo 13 §. Tempestivum π. ad Trebell.*

Sed tamen quid fiet, si fide solenniter ita data liberorum tuorum tutelam fratri promisisti, etiam patris tui voluntatem in eo secutus, & postea de liberorum tuorum Tutela testatus fueris, & Cæsarem adiisti, & ab eo dubitationibus omnibus tollendis (quæ ex Testamento patris tui, vel transactione cum fratre tuo habita, vel ex aliis rerum circumstantiis oriri possent) Confirmationem testamenti tui impetrasti? Sanè non patereris te perjurum dici & intestabilem manere. In hanc itaque sententiam ipse magis, puto, concederes, quàm in contrariam, quam nonnulli [d], vi sola juramenti permoti defendunt: Concederes, inquam, præsertim si Princeps tibi gratiam jurisjurandi adversus leges & bonos mores præsenti fecisset, & te, (ut vulgò loquuntur) dispensasset. Nemo deniq; diceret, illam testamenti tui factionem à Cæsare confirmatam nullius momenti esse, licet ea confirmatio facta fuisset fratre tuo nec citato nec audito: quia te Cæsar jurejurando contra bonos mores præstito solvit ac liberavit: quia jus testandi, pacto contractu, jurejurando, adversus [e] leges bonosque mores à fratre præreptum, tibi restituit: quia res facilè ad primordialem & primariam [f] Naturam ac libertatem suam, beneficio maximè Principis revertitur. Et in huiusmodi

FRAVS inter fratres contrahentes præsumi non debet.

IVRANS non testari de Tutela liberorum, potest per Principi restitui: nec fit periurus.

d] *Petrus Iacobus in praxi c. 100. num 55. qui tamen loquitur de juramento ad sancta Dei Evangelia præstito, & sic de sacramento corporali, & omnium augustissimo.*

e] *l. 5. C. de legibus.*

f] *l. unica C. de imponenda lucrativa descriptione.*

renũciationibus & repudiationibus, ex parte ſtipulantis, animus cum alterius jactura lucri faciendi, facilè præſumitur. Et hanc quoq; ſententiam primæ notæ Iurisconſulti [a] tenuerunt: Neminem ſcilicet poſſe (etiam juramento interpoſito) jus publicum, & conſequenter libertatem teſtandi (maximè liberorum cauſa) ſibi auferre, & huiuſmodi juri renunciare.

a] *Accurſius in l. unica. §. & cum lex Iulia. 15. in verbo alsen. C. de rei uxoria actione. l. pactum 3. in verbo improbatur. C. de collationibus. l. 2. in verbo privata. C. de agricolis & cenſitis. lib. 11. adde l. 61. ff. de verb. Obligat.*




DE TV-



DE TVTELIS ELECTORALIBVS TESTAMENTARIIS
LIBER VI.
quo continetur
RESPONSIO sive REPLICATIO AD RESPONSIONEM [a] APOLOGETICAM NEOBVRGICAM, QVADRAGINTA (ET QVOD EXCVRRIT) RESPONSIONES PRÆCIPVAS COMPLECTENTEM.

a] *Düsseldorpii editam anno* CIↃ IↃCXI. *& scripto cuidam Ambergensi eiusdem anni oppositam.*



NVNC AD RESPONSIONEM APOLOGETICAM Neoburgicorum Defensioni Ambergensi Bipontinorum (sic enim Neoburgici eos qui caussam Serenissimi Bipontini Ducis, Administratoris Testamentarii tuentur, nuncupant) oppositam veniamus: et cùm viam IVRIS non abnuant, Iure pariter (velut Iuris Professores decet) non conviciis & contumeliis agamus, & Bipontinos (quos Heidelbergenses interdum vocitant) defendamus, & ab ipso prædictæ RESPONSIONIS APOLOGETICÆ limine iam faciamus initium.

BIPONTINI [b] scripti sui velut foribus hoc Vlpiani [c] proscripserunt: *Semper semper legitima Tutela Testamentaria cedit.* Et rursus ex Paulo

b] *p. 1.*
c] *Ex l. si Tutor 9. §. si duobus. 1. in fin. ff. de Tutela & rationibus distrib.*

quàm interpretabimur, & Sophistæ magis quàm æqui bonique professores erimus: cùm tamen per [a] legitimos tramites, CALVMNIANTIVM iniquitates expellere debeamus. Quemadmodum ergo non semper (quoties scilicet contrariæ causæ justiores occurrunt) Testamentaria Tutela legitimam vel dativam excludit: simili ratione legitima Tutela præter & contra leges Romanas inducta, Testamentariam non semper evertit. Et ut nonnunquam à voluntate patrisfamiliàs testamentaria recedit Prætor vel Præses: non minùs & à voluntate legis (proximiorem & seniorem ad Tutelam vocantis) Prætor vel Magistratus recedere poterit & debebit. Quia lex generaliter loquens, nunquam [b] talem proximum & seniorem Adgnatum vocasse vel invitasse ad Tutelam intelligenda est: Veluti si ponas, proximiorem & seniorem Adgnatum, cavenda, juranda vel promittenda pupillis, cavere jurare vel promittere noluisse: ut alibi [c] pleniùs scripsimus.

a] *Instit*, *proœmio*.

b] *l.1.§. Ostendimus. §. Vers. quare si legitimus π, de suspectis Tutorib.*

c] *lib. 1. adsertione.*

SVNT igitur & erunt hæc Neoburgicis cum Bipontinis communia, ut scilicet Prætor nonnunquam justis de causis à voluntate Testatoris & Legis in Tutelis recedat. Alioqui si voluntas hominis solennis justaque de liberorum Tutela fuerit, immobile fixumque Bipontinorum θεώρημα fuerit: *Semper, semper legitimam Tutelam Testamentariæ cedere.*

NEC IVVABIT Neoburgicos hæc, quam prætendunt [d], instantia: *Verbis* (inquiunt) *legis XII. Tabularum latißima testandi potestas est inducta, quæ tamen legum interpretatione vel autoritate jura constituentium coangustata est.* Igitur Caroli IIII. Bulla Sigismundique Declaratio jus liberum & commune de Tutela liberorum testandi coercere vel restringere potuit, & proximiorem senioremque Adgnatum Testamentario Tutori præferre.

d] *p. 4. Vers. Et quamvis.*

PRIMVM enim nunquam jure Romano probari poterit, Romanas leges latissimam de Tutela testandi potestatem in legibus XII. Tabularum adeò firmatam & fundatam, eum in modum restrinxisse, ut proximiores & seniores Adgnatos Testamentariis Tutoribus prætulerint, & legitimis Tutelis Tutelas testamentarias excludi sancive-rint. Ac præterea legis, non semper & ubique, & quocunque casu, par & eadem vis & autoritas est. Ideoque non est consequens, ut si latissimam de Tutelis in personis quibusdam & rebus coercendi lex po-

testatem habeat (quod Romanos justè sanxisse concedimus), testamentarias quoque in totum possit tollere: quemadmodum Neoburgici præter & contra jus comune, & omnem omnino gentium omnium consuetudinem, & honestatis rationem prætendunt.

SED PERGAMVS ad alia.

a] p. 4. & 5.

NEOBVRGICI [a] *pravam & deplorandam quorundam consuetudinem* notant, *qui pro desperata causa veritatem oppugnant, & cum ad inopiam venerint Argumentorum, ad effrenatam deflectunt calumniandi licentiam: & exinde POENAS Authori scripti Ambergici minantur Neoburgici, quòd tot execrandas injurias in Illustrißimum Neoburgicum evomuerit, quot maledico suo* (inquiunt) *ore concipere potuit, & venerando Principis senio obtrectaverit, & alias complures contumelias de eo sparserit. &c.*

SED AN HÆC ita se habeant, uti Neoburgici quiritantur, æqui lectores judicent. Nam verbis asperioribus referunt interdum Neoburgici, quod Autor scripti Ambergici conceptis tantùm in factum verbis simplicissimè & innoxiè protulit.

Verbi gratia. Autor Ambergicus scripsit: *Dolendum esse, Principem & ætate & negotiorum suorum periculosißima mole prægravatum, à paucis iustitiæ sacerdotibus in tantum errorem inductum, ut etiam onus Electoralis Palatinæ Tutelæ & Administrationis maximo conatu adfectet.*

Quid Neoburgici? Colligunt exinde, *scripti Ambergici Autorem venerando Celsitudinis Neoburgicæ senio obtrectâsse.*

SANE DVRITER. Nam scriptor Ambergicus *ætate tantùm prægravatum Principem dixit*, nec senio Celsitudinis eius (quem venerandum semper & ubique fatebitur) obtrectavit. Si verba scriptoris alicuius temperata, verbis durioribus & asperioribus efferre vel mutare voluerit eum ad modum aliquis, ex civili causa criminalem sanè faciet, lites augebit, & litigatores Vatinianis odiis & inimicitiis nunquam reconciliandis inter se committet. Sed facinus hoc à nostris, id est, Iureconsultis absit. Imò ipsi Neuburgenses alicubi [b] scribunt, quod res est, *& ætate provecta Principem suum esse, & multis occupatum negotiis.* An propterea & ipsi sunt in Principem suum iniurij? Et interim vehementer probo, quod Neoburgici monent [c], *pravam esse quorun-*

b] *Informatione Düsseldorpiana Germanica. lit. B. 3.* vnd ist swar.
c] *p. 4. vers. Vetus autem est.*

querundam consuetudinem, ut cum ad inopiam venerint allegationum (verba sunt optimi autoris, Ammiani Marcellini) *ad effrenatam deflectant calumniandi licentiam.* Legimus enim proinde huiusmodi hominem (causarum scilicet patronum, alienæ famæ adlatratorem seu conviciatorem) *Canem* [a] *Inferorum* à Poëtis non ineptè constitutum Et inde *Canina facundia* proverbialiter dicta.

SED IN SE quæso descendant Neoburgici, & secum nunc in hac arena spacientur: & quid in Responsionis suæ Apologeticæ vestibulo prætenderint, attentiùs & diligentiùs spectent. Reperient enim Neoburgici à Neoburgicis dici, *Testamentariam Tutelam* (Serenissimi scilicet Ducis Bipontini) *nulliter & INIQVE à Duce Bipontino affectatam esse*: Et alibi [b]: *Manifestæ* VIOLENTIÆ *reum esse, & propterea* RVPTÆ LEGIS *pœnas subire velle*: PER CALVMNIAM *in possessione esse*: *eam* CALVMNIAM *Prætorem impunitam non relicturum*: RAPTOREM *legibus appellandum*: CALLIDE & OCCVLTE *extremum exhalantis animæ spiritum cupidè exspectasse*: *possessionem eius violentam, vel saltem* CLANDESTINAM *& initio vitiosam*: Et alibi [c]: INVASOREM & QVASI DEPECTVM [d], CAVILLARI, & CALVMNIARI: MORAM *eius* FVRTO *comparari*. Mitto cætera similia, & non minoris acerbitatis infinita alia in reliquis Neuburgensium scriptis: quæ qualiave sint, encomia scilicet vel probra, iudicent ipsimet quæso Neoburgici.

Quid igitur? Quod in huiusmodi defensionibus à patronis causarum, maximè provocatis, pro litis defensione dicitur vel scribitur, pro atroci injuria non continuò sumendum est: si modò pro causæ vel litis defensione adjectum, protestatione maximè præmissa, fuerit, *id non* [c] *injuriandi vel conviciandi animo dici vel proponi*. Alioqui contradictio vel negatio quælibet in jure pro mendacio vel falso parti adversæ objecto accipienda esset, quod nemo sanus admiserit. Quid quòd lex & interpretum nostrorum non minima pars ait, licentiam conviciandi maledicendique (id est, Latinè loquendi, & ut distinctius & apertius loquar, scapham, *scapham* appellandi) patronis permitti, si litis utilitas id poposcerit? Veluti si adversario obieceris, quòd *præter veritatem articulaverit*, quòd *testes falsos instruxerit, vel calumnia-*

a] *V. Petronium, & Fulgentium Planciadem in continentia Virgiliana.*

b] *p. 7*

c] *p. 8.*

d] *In erratis monent legendum esse* despectum: *sed nullo sensu: cum palam sit respectum fuisse ad L. 3. §. 2. D. de calumniator.*

e] *l. si non convicii Cod. de Iniuriis: c. salvo: 9. q. 3: c. Lotharius 31 q. 2: c. quia diligentiam 5. c. Cumana 50. Extr. de Elect. c. cum olim 19. de Censib. c. suggestum 15. Extr. de appellat: Speculator Tit. de Advocato §. Iam nunc videndum 4.*

f] *l. quisquis 6. in verbo utilitas Cod. de postulando.*

tus sit? injuriam te fecisse nemo [a] dixerit: ut post Iohannem noster Accursius scriptum reliquit. Fateor alioqui, ratione [b], non probris certandum esse: & juxta divinæ legis edictum, *Beatum fore, qui in sede scurrarum* [c] *vel derisorum non sederit*. Proinde mitiora deinceps audiantur, velut inter juris Antistites decet. Liceat loqui liberè: veritatem rationibus, testibus, tabulis defendere, non confictis vel conquisitis extra rem vel causam convitiis. *Si* [d] *quis alioqui religiosus inter nos videbitur*, μὴ χαλιναγωγῶν γλῶσσαν αὐτοῦ, *linguam suam non refrenans, suum ipsius cor seduxerit, huius vana religio fuerit*.

a] *l. quisquis 6. in verbo utilitas Cod. de postulando.*
b] *d. l. quisquis & 3. q. 7. c. infames §. item si quis.*
c] *Psalmo 1.*
d] *Iacobi. Epistola 1. Vers. 26.*

Nvnc ad res ipsas accedamus, & quid in quæstione positum sit, consideremus attentius.

e] *p. 6. vers. Verùm omissis.*

Statvs præsentis controversiæ quis sit?

Hoc (inquiunt [e] Neoburgici) *in quæstione non est: An ab intestato soli & unico seniori ac proximiori Adgnato competat Tutela & Administratio in Electoratu Palatino?* Hoc enim utique fatentur utrique, Palatini scilicet & Neoburgici. Quid igitur? *Illud* (inquiunt Neoburgici) *solum controvertitur, An jus illud Administrationis & Tutelæ seniori & proximiori Adgnato ab intestato delatum, per testatoris contrariam dispositionem possit auferri?* Quod Neoburgici negant, Bipontini verò vel Heidelbergenses adfirmant. Vtri quæso melius? Bipontini, meo judicio. Nam fatentur ipsimet Neoburgici, & quidem verbis conceptis (ut retuli), jus illud Administrationis & Tutelæ seniori ac proximiori Adgnato ab INTESTATO deferri. Si ab intestato: consequens est hoc, ut testamento deficiente Tutela Electoralis proximiori & seniori Adgnato sit delata. Nam quod ab intestato defertur, id Iure Communi nisi Testamento deficiente deferri dici non potest. Alioqui si ab intestato deferri dixeris, ut testamentariam patrisfamilias dispositionem excludas, jus novum, & inauditum prorsus, præter & contra Ius Commune, finxeris: quod nisi manifestissimis verbis & sententiis probaveris vel adstruxeris, nunquam cuiquam hominum persuaseris. Nunquam enim res ad intestati causam redire dicitur, nisi patrisfamilias testamento deficiente. Gradatim [f] enim lex ita succedi voluit, ut quamdiu [g] possit valere testamentum, tamdiu legitimus & ab intestato successor vel hæres non admittatur.

f] *l. quamdiu 39. l. in plurium 70. in verb. gradatim ff. de adquir. hæredit.*
g] *l. quamdiu 89. ff. de R. Iuris. l. 2. Cod. Vnde liberi. l. Antequam scriptus 8. Cod. de successionis.*

Hoc

HÆC GENERALITER à Neoburgicis Bipontinis opposita, satis manifestè, puto, diluimus. Nunc RESPONSIONES eorum quadraginta unam vel duas dissolvamus.

¶ AD PRIMAM RESPONSIONEM Neoburgicorum, Replicatio.

AMBERGENSIS Autor scripti defendit [a], *Illustrissimum Ioannem Bipontinum in possessione vel quasi possessione Electoralis Administrationis esse*.

a] p. 4. in pr.

POSSESSIO Administrationis an sit penes Ducem Bipontinum?

Neoburgici quid? *Hoc* [b] *esse principium petere, & id quod nullius est momenti, probare per aquè invalidum: Principem enim Bipontinum, non posse possessorem intelligi.* Primò: *quòd, licet possessionem corpore teneat, ex interposita tamen contestatione, & causa in judicium deducta, super jure possessionis vacillet & dubitet.* Secundò: *quòd lex Aurea Bulla ad possessionem Electoratus neminem admittit, nisi vel defuncti hæredem (si habilis sit & ætatis integræ) aut eius legitimum Tutorem proximiorem & seniorem Adgnatum, & sic Neoburgicum, non Bipontinum; quod Princeps Bipontinus non sit hæres vel Adgnatus senior & proximior, sed Neoburgicus: ac proinde manifestæ violentiæ reum Ducem Bipontinum esse.* Tertiò: *per CALUMNIAM in possessione esse, qui SCIENS prudens sibi nihil juris competere, voluerit in possessionem venire.* Quartò: *possessionem eius VIOLENTAM, clandestinam, & initio vitiosam, & nullam, non attenta interdictione, denunciatione, prohibitione & protestatione Principis Neoburgici, temerè & CONTRA CONSCIENTIAM continuatam: maximè quòd INVASOR & QUASI DEPECTUS data opera hoc agat, ut vocato a lege ad publicam Administrationem negotium faciat, & litem differat, tantisper donec tempus Administrationis finiatur: Ac propterea in jure CAVILLARI & CALUMNIARI dici, quòd res PETULANTER arreptas celeritate muniverit, quòd PER FRAUDEM & FRUSTRATIONEM MORAM nectat & lites protrahat. Eam moram legibus FURTO comparari: & eam ob causam Neoburgico succur-*

b] p. 7. vers. At hoc est principium petere.

rendum esse: nec Citationem ei necessariam, quòd Princeps Bipontinus jus nullum in possessione habeat.

Sed proclivis ad omnia prædicta vel singula responsio. Primvm enim verum non est, quod aiunt Neoburgici, *Bipontinos principium petere*.

Secvndo benè est, quod fatentur Neoburgici, *Serenissimum Bipontinum possessionem Administrationis corpore* [a] *tenere*. Ex eo enim colligimus, prædictum Bipontinum interim (dum de jure suo disputabunt ordinaria via Neoburgici) in Administrationis possessione interdicto vincere debere, & à Magistratu superiore cæterisque omnibus aliis manutenendum esse.

Tertiò non est verum, quod aiunt, *prædictum Bipontinum, ex* [b] *interposita Neoburgici contestatione, & ex causa per Neoburgicum in judicium deducta, super jure possessionis vacillare* [c] *& dubitare*. Nam illa Neoburgicorum sententia necessitatem possessionis statim restituendæ non inducit. (nec enim ex nuda petitoris vel adversarii contestatione possessionem reus omittere cogitur.) sed illâ sententiâ tantùm innuitur, litis illam contestationem & causæ in judicium deductionem facere, ut ab illo interruptionis vel interruptæ possessionis momento, rem usucapere & fructus possessæ rei suos facere possessor desinat: nempe ut postea petitorio victus, eos victori restituere debeat, ut ex Iacobo Butrigario notat [d] Albericus. Et alioqui si ex nuda Adversarii contestatione jus possessoris vacillaret, ut sic protinus eam actori restituere cogeretur, vel sequestro permittere: multò magis vel non minùs jus actoris ex negatione [e] rei sive possessoris ipsius vacillaret. Nam si contestatio actoris jus possessoris vacillare facit, quidni possessoris negatio jus actoris vacillare quoque faciet? Adde quòd Adversario denuncianti [f], nisi probaverit, credere nemo cogitur: & consequenter, ad nudam petitoris vel actoris denunciationem, rei vel fundi vel juris possessionem aut animo aut corpore quis omittere non tenetur.

Qvarto non obstat quod aiunt: *Ad* [g] *possessionem Electoratus neminem admitti, nisi vel defuncti hæredem (si habilis sit & ætatis integræ) aut eius legitimum Tutorem. Cæterum Ducem Bipontinum, nec hæredem, nec proximiorem & seniorem Adgnatum esse, sed Illustrissimum Neoburgicum*. Quia perperam una fidelia duos illos parietes Successionis & Tutelæ Neoburgici semper dealbant, id est confundunt, cùm ex

a] *p. 7. ibi, qui licet possessionem Corpore teneas.*

b] *p. 7. vers. Tamen ex interposita contestatione.*

c] *l. plures. 19. in verbo vacillare C. de fide instr. l. nemo 10. in fin. C. de adq. possess. adde l. 3. in pr. in verbo si fuerit negatione dubium. C. quibus ad libertat. proclamare non licet.*

d] *in d. l. nemo.*

e] *arg. d. l. plures. 19. in verbo vacillare. C. de fide instr.*

f] *V. Speculator. lib. 2. particul. 2. Tit. de citatione 6. §. sequitur videre 4. n. 2. Ecclesiasticum c. 12.*

g] *p. 7. vers. ad possessionem autem Electoratus.*

cùm ex Bullis Aureis illa duo jura distinguere necessariò debeant, hoc modo vel sensu: Ad possessionem hæreditatis Electoralis proximior & senior Adgnatus semper admittendus est, si capax vel idoneus sit: ad Tutelam verò non semper, sed ab intestato tantùm. quia per Declarationem Sigismundi Regis proximior & senior Adgnatus Electoralis DE IVRE *Tutor & Curator esse debet*: id est, debet esse Tutor & Curator, ut sunt alii de Iure Tutores, seu legitimi, vel ab intestato, Testamentario scilicet Tutori cedentes.

QVINTO, ex prædicta Neoburgicorum interpretatione omnium absurdissima constat, eos peius adhuc concludere: *Serenissimum Bipontinum reum* [a] *existere violentia: per calumniam in possessione esse: scientem prudentem sibi nihil juris competere, in possessionem venisse: possessionem eius violentam: eundem contra* [b] *conscientiam possidere: Invasorem & quasi DEPECTVM* [c], *data opera hoc agere, ut proximiori Adgnato per legem vocato negotium faciat, & litem differat, donec tempus Administrationis finiatur: ac propterea dici posse eum cavillari & calumniari: petulanter res arreptas celeriter munivisse: per fraudem & frustrationem moram nectere & litem protrahere, eiusque moram FVRTO comparari: ac propterea proximiori Adgnato succurrendum esse: nec citatione ei opus esse, quòd Princeps Bipontinus jus nullum in possessione habeat.* Nam ex falsa Bullarum interpretatione falsum principium Tutelæ cujusdam Electoralis Anomalæ (quæ scilicet Testamentariam præter & contra Ius Commune excludat) statuunt vel potiùs somniant: & ex illo falso principio, sive somnio vel figmento, primùm omnium maledictorum cumulum in Serenissimum Bipontinum indignissimè evomunt, postremò proximiori & seniori Adgnato succurrendum esse colligunt. His addantur, quæ de bona fide, justaque possessione Bipontini Ducis, locis aliis diximus.

MALEDICTA Neoburgicorum adversus Ducem Bipontinum.

a] *p. 7. Vers. nisi manifesta violentia reus esse.*

b] *p. 8. Vers. Et contra conscientiam.*

c] *in erratis est despectus. quo sensu?*

VERÙM nunc ad alia transeamus.

AD SECVNDAM NEOburgicorum Responsionem Apologeticam Replicatio.

AVTOR

a] p. 4.

HOMAGII sine renitentia à Vasallis præstatio, possessionis iustæ probatio est.

Autor Ambergicus scripsit [a]: *Serenissimum Bipontinum in possessione vel quasi Administrationis esse: enimverò à Consiliariis, Prefectis & subditis omnibus agnitum, & in Rheni Bavariaque Palatinatu illi homagium sine renitentia præstitum.*

b] p. 8. vers. Verùm & hac pars est violentiæ.

Neoburgici verò quid? Primùm aiunt [b]; *hanc partem violentiæ & iniustæ possessionis esse.* Secundò: *facti veritatem testari exactioni huic fidelitatis (præsertim in superiore Palatinatu) VIM & METUM non defuisse.* Tertiò: *non semper voces populi (per quas Rectoribus populi acclamatur) ex veritate proferri.* Quartò & postremò: *Conscientias si interroges Serenissimo Bipontino acclamantium, inventurum te apud unumquenque illorum, Mille capitibus Bipontinum accusatum iri: & ubi cessaverit potestas, & publica pompa fuerit scena resoluta, tunc visurum Bipontinum, quanti eum oblatraturi sint: & hos omnes ex illis esse, qui prius acclamabant & immensis eum laudibus extollebant.*

Sed (ut hoc primùm replicem) negantur prorsus quæ de violentia à Neoburgicis allegata sunt. Nam ut homagia præstita à Vasallis Duci Bipontino, violentiæ partem esse probent Neoburgici, necesse est prius ut demonstrent, possessionis eius initium violentum, & homagia ipsa vi exacta per eum fuisse. Si neutrum ac nec alterum quidem ostenderint, homagii spontanea (quæ præsumitur) præstatione, possessio Administrationis probata rectè fuerit.

c] l. sed & ex dolo 15. in f. l. item exigit Prætor 16. ff. de dolo. l. Prætor. 7. in fin. ff. de Iudiciis. l. libellorum 3. de accusat.

d] p. 42. in pr.

Secundò debuissent unà Neoburgici, personas, res, loca, tempora specialiter edere, quibus præsertim in superiore Palatinatu, vim & metum Serenissimus Bipontinus fecerit vel intulerit, non [c] autem in tantis criminibus & tam famosis actionibus, cum alienæ existimationis crimine, personis, rebus, locis, temporibus non specialiter expressis temere vagari. Nam & hanc sententiam ipsimet Neoburgici in Responsione sua Apologetica [d] velut æquissimam admittunt: ut ex prædictarum circumstantiarum omissione facilè quis confictas Neoburgicorum querelas & allegationes illas esse deprehendat.

ACCLAMATIONES factæ Duci Bipontino à populo spontaneæ fuerunt, & eius possessionem iustam esse demonstrant.

Negatur etiam quod à Neoburgicis dicitur, *voces populi, qui Serenissimo Duci adclamavit velut Electoratus Administratori, non ex veritate prolatas fuisse.* Unde enim probabunt non ex veritate prolatas? & tot capita, tot ora mendacii & simulationis coarguent? Atqui non de nihilo habendum illud vulgatum, VOX POPULI, VOX DEI.

Negatur

Negatur etiam, *conscientias eorum, qui prædicto Duci Bipontino acclamarunt velut Tutori & Administratori Electoratus, coactas, & mutatum deinceps ita iri, ut qui & acclamaverint, eum postea sint mille capitibus accusaturi*. Quod omen despuere fas sit, & (fortunante DEO) meliora etiam in posterum sperare.

CONSCIENTIÆ eorum, qui Duci Bipontino adclamarunt, non fuerunt coactæ, nec eum postea accusabunt.

Negatur quoque, *Ducem Bipontinum in potestate & publica pompa esse*, ut intelligunt Neoburgici, id est subditis Electoralibus vim vel minimam inferre.

Nihil denique prædictorum omnium verum est, nec probatum, nec probabile: sed absurda prorsus omnia sunt, & præter æquum bonumque ad, invidiam Ducis Bipontini innocentissimi, inimico & hostili animo supposita, dicta, scripta, conficta.

¶ *AD TERTIAM RESPONsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio.*

AMBERGENSIS Autor scripsit [a]: *Serenissimum Bipontinum in possessione & quasi possessione Administrationis Electoralis ex eo videri, quòd in Electorali supremo Consilio, & loco solito, more maiorum præsideat, & omnia gerat, quæ fido Administratori conveniunt.*

a] *p. 4.*

PRÆSIDERE in loco supremo Electorali, possessionis probatio est.

Neoburgici quid? *Quasi verò* (inquiunt [b]) *loci sequela sit Administratio: Toties alioqui Principem Bipontinum Tutorem desiturum, quoties in supremo Consilio, in loco solito, more maiorum non præsederit.*

b] *p. 9. vers. Quasi verò loci sequela.*

SANE scriptor Ambergicus nunquam ita crudè vel ambiguè locutus est, ut Neoburgici referunt. Nunquam enim & nusquam dixit, *Loci sequelam esse Administrationem*. sed ex loci qualitate, justæ pro Bipontino possessionis argumentum hoc edere voluit. Serenissimus Bipontinus in Electorali supremo Consilio, & loco solito, more maiorum, vi nulla cuiquam illata, nec milite stipatus, sed omnibus ab uno ad ultimum consentientibus præsidet: & omnia præterea gerit, quæ fido Administratori conveniunt. Est igitur prædictus Bipontinus in justa Electoralis Administrationis possessione, eiusque continuatione; sic ut possessionis eius nec inchoatio nec continuatio sit injusta.

SECVNDO, cùm hîc de possessione Electoralis Administrationis sit quæstio, satis est dici: *Serenissimum Bipontinum in Electorali supremo Consilio præsidere, loco scilicet solito, moreq; maiorum*: ut inde certò colligas, in Administrationis Electoralis possessione eum constitutum esse. Nam hoc etiam modo à sedibus, ab insistendo, à loco, possessio cuiusque probatur: nec aliunde melius, quàm à [a] locis, à sedibus, & insistentia probari possessio potest. Et ita quoque à loco totius provinciæ celeberrimo, præcipuo, omniumque maximè conspicuo Prætorem, Præsidem, Proconsulem, Præfectum in Magistratus possessione constitutum fuisse, rectè dixeris, si in loco solito vel consueto, nullo penitus ibi reclamante, more [b] maiorum, jus eum Magistratus sui tempore dixisse probaveris. Nam si *sedere* alicubi, possessionis probatio est, & multo magis sanè alicubi *præsidere*, eximiæ cujusdam possessionis demonstratio fuerit. Nam plus est *præsidere* quàm sedere. Et *sedere* quidem, ritus omnium Iudicum [c] communis, ut *stare* causidicorum. Præsidere verò est, non inter aliquos tantum, sed vel ante alios, vel præcipuo & honoratiore loco sedere: ut olim [d] Prætor Romanus pro tribunali sedebat medius inter quinque Senatores, & quinque Equites: Proconsul verò vel Præses in provinciis inter XX. Recuperatores cives Romanos. Sic sine dubio in auditorio [e] suo Papinianus, velut Præfectus prætorio præsedit. Possem, si vellem, Historiis pluribus hoc luculentiùs probare, si liceret: sed studio brevitatis omitto.

NON EST etiam otiosum ad probandam prædicti Bipontini possessionem, dici, *eum in supremo Electorali Consilio præsidere*. Vis enim metusque abesse præsumitur, si quid in tali tantoque & Consilio & Iudicio, ut Electorale est, sine renitentia aliqua geritur & administratur: præsertim [f] cùm tot ibi numero Proceres & Adsessores sint, natalium splendore conspicui, virtutum & scientiarum omni genere præditi, qui jus publicum pro seniore & proximiore Adgnato (si quod jus ei competere vel minimum putassent vel credidissent) potuerint hactenus invocare, & Serenissimo Bipontino se subducere, vel ipsi non adesse: ac maximè quidem, cùm nullas vel cohortes peditum, vel turmas equitum, vel legiones aliquas possint ostendere Neoburgici, quibus vim metumve tanto Consilio (Electorali scilicet) Serenissimus Bipontinus incutere potuerit hactenus, vel hodie possit. Proinde licet nudus per se locus possessionem justam non faciat: possessorem tamen interdum demonstrat, & [g] quidem justum, si quædam circumstantiæ

a] *l. 1. l. 3. §. extrario 5. in fin. π. de adq. possess.*

b] *l. penult. in fin. π. de Iustitia.*
l. 1. in fin. π. de offic. eius cui mandata est Iurisdict.
l. 4. π. de Iurisdict.
l. 11 §. 1. π. de his qui notantur, in fin.
l. 4. in fin. π. de interrogat. in jure faciendis.

c] *l. 6. in fine. C. de postulando.*

d] *Theophilus §. 4. Instit. quib. ex causis manumittere.*
Vlpian. in fragmentis, Tit. 1. § 13.

e] *l. lecta est in auditorio π. de reb.*

f] *l. ult. π. quod metus caus.*

g] *arg. l. 3. π. de offic. Prætoris.*

ſtantiæ præterea extrinſecus aderunt: verbi gratia, ſi nulla vis vel nulla renitentia in huiuſmodi loco facta demonſtrari poterit.

NEC AD REM faciet hæc Neoburgicorum inſtantia: *Adminiſtratio* (inquiunt [a]) *non eſt loci ſequela: Toties alioqui dicendum eſſet, Principem Bipontinum Tutorem eſſe deſiturum, quoties in ſupremo Conſilio, loco ſolito, more majorum non præſederit.* Statum enim cauſæ mutant Neoburgici. Loquuntur enim Bipontini de Adminiſtrationis Electoralis poſſeſſione, quam ex ſpontanea, quieta, & pacifica (ut ita loquar) præſidentia Ducis Bipontini in Conſilio ſupremo Electorali rectè probari contendunt. At Neoburgici ſtatum cauſæ mutantes, de jure Tutelæ loquuntur hoc modo: *Tutor Electoralis eſſe quis non deſinit, licet in ſupremo Conſilio Electorali non ſemper præſideat.* Sanè fatemur, Tutorem eſſe non deſinere. Sed negamus, poſſeſſorem Adminiſtrationis Tutelæ manere, ſi in loco ſupremo Electorali re ipſa vel actu non præſideat quoties velit, vel præſidere non poſſit. Res enim in Imperiis Regnis & Principatibus ita comparatæ ſunt, ut qui ſupremum locum Principatus poſſideat, ipſum Principatum poſſidere quoque cenſeatur. Quinimò locum ſupremum Principatus hîc non ſemper eum intelligo, in quo Maiores præſidere conſueverunt, ſed quemcunque alium, in quo ſalvo more maiorum, nemine ibi contradicente, Rex vel Princeps præſidet. Solet enim vulgò dici, ibi Romam eſſe, ubi Curia [b] Romana ſedem habet vel conſiſtit: & rurſus, ibi Romam [c] eſſe, ubi ſit Princeps & comitatus eius. Quia ſemper Romæ Princeps eſſe non poteſt: ſed in quemcunque locum ſe confert, Roma (ut ita loquar) eum ſequitur, & Roma ibi eſt, ubi ſupremus Princeps & patriæ pater rerumque dominus eſt.

a] *p. 9. verſ. Quaſi verò.*

b] *l. quiſquis. 5. in pr. C. ad l. Iul. l. Etſi 7. ibi, in comitatu meo. C. de Maleficis. Canoniſtæ in c. 3. §. porro de Electionibus in 6. & Clement. 3. de reſcriptis. Gloſſ. c. 2. in verbo ſedem eandem de privilegiis in 6.*

c] *Herodian. lib. 1.*

NEC OBSTAT quod aiunt [d] Neoburgici: *Non ſtatim Tutorem eſſe, qui munere Tutoris fungatur.* Hoc enim ſciunt etiam Iuſtinianei. Verùm Neoburgici debent antea probare, Sereniſſimum Bipontinum Tutorem non eſſe, ſed munere tantùm Tutoris fungi. Hoc autem nondum evicerunt Neoburgici, nec in perpetuum evincent.

d] *p. 9. verſ. Neque verò ſtatim.*

MVNERE nudo Tutoris non fungitur Dux Bipontinus, ſed re vera Tutor eſt.

NEC AD REM facit quod aiunt [e]: *Sereniſſimum Bipontinum FALSVM TVTOREM eſſe, & PRO TVTORE gerere, & ſe TVTOREM non eſſe ſcire, ſed tantùm FINGERE.* Hæc enim fingunt ipſimet Neoburgici, nec demonſtrant. Imò falſus Tu-

e] *p. 9. verſ. Imò falſus.*

FALSVS non eſt Tutor Bipontinus, ſed verus.

tor dici non poteſt, ſed verus dicendus eſt, cùm teſtamento ſolenni, neque inſcio Cæſare, Tutor datus, & nullo jure prohibente eius tutelæ ſatis capax ſit: ut hinc appareat, bona fide Tutorem eſſe, cùm ſolennem & juſtum Titulum habeat. Et quæſo qua conſcientia, vel qua fide poſſunt Neoburgici dicere, *prædictum Ducem Bipontinum ſcire, ſe Tutorem non eſſe, ſed tantùm fingere* [a]? An haruſpices ſunt, aut in pectus eius deſcenderunt intimum, ut conſcientiam eius exploratam habeant? Hoc ſanè comminiſci eſt, non probare. At quanto juſtius proximiori & ſeniori Adgnato agenti hæc ſolennis exceptio poteſt opponi? *Si* [b] *Tutor non es*. Quia ſciunt, & ſcire poſſunt & debent Conſiliarii Neoburgici, proximiorem & ſeniorem Adgnatum per Bullas Aureas nonniſi DE IVRE *Tutorem & Curatorem eſſe debere*, ut ſunt ſcilicet alii de Iure Tutores & Curatores: ac propterea jus Tutelæ gerendæ vel adminiſtrandæ non habere, ſi Tutor aliquis teſtamento datus ſit. Bullarum Aurearum clauſulam illam ignorare Neoburgici non poſſunt. patet enim omnibus: & aperta, & Iuris Communis eſt: et ex illa clauſula ſciunt & ſcire debent, Tutelam ab Adgnato ſuſcipi & geri non poſſe, quamdiu Tutor aliquis Teſtamentarius fuerit.

a] *l. 1. §. 1. in fin. π. de eo qui pro Tutore, paſſim π. quod falſo Tutore autore geſtum eſſe dicetur*.

b] *l. 2. C. de eo qui pro Tutore*.

Nec prætereа juvat Neoburgicos, quod ex Damhauderio proferunt [c]: *Periculoſam ſemper fuiſſe & eſſe Tutelæ Curave adminiſtrationem, & à paucis decenter geſtam. Et ea propter hac in provincia ſuſcipienda frigidos & tardos omnino, non veloces & alacres quoq; eſſe debere. Velocitatem enim ſeu feſtinationem ut plurimum incommodo eſſe ſolere. Idq; Conſiliariis Bipontinis diligenter notandum eſſe: quorum fuerit, in tempore monere, hortari & obſecrare Principem, NE SVB SPECIE RELIGIONIS vel cuinſcunq; etiam commodi ſeſe ingereret rei ad ſe non pertinenti, & quidem cum injuria Patrui, qui Parentis loco eſſe deberet*. Non (inquam) hæc atrocia Neoburgicos ad aliquid juvant, quòd in ipſos torqueri poſſint rectiùs.

c] *p. 9.*

PERICVLOSÆ Tutelæ & à paucis decenter geſtæ.

Primum enim, ſi (ut dicunt Neoburgici) *periculoſa ſemper fuit & eſt Tutelæ Curave adminiſtratio, & à paucis decenter geſta*: cur igitur hanc Tutelam Electoralem tantopere adfectant, & Dominum ſuum (cui ſunt obſtricti) in tantum periculum coniiciunt? aut cur non potius ea re velut periculoſa abſtinent? cur in illa provincia Tutelæ ſuſcipienda frigidi & tardi non ſunt? cur ex contrario adeò veloces &

ces & alacres in ea gerenda existunt? cur non cogitant, velocitatem & festinationem (quam in Bipontinis accusant) Neoburgicis quoque incommodo esse posse? cur Neoburgici Consiliarij monita illa diligenter sibi non notant? & cur Dominum suum in tempore non monuerunt, ne sub specie Religionis, vel cujuscunque etiam commodi, sese ingereret Tutelæ Testamentariæ ad se non pertinenti, & quidem cum injuria fratris filij, qui Filij loco ipsi esse debeat? Vident omnes, mutato nomine, de Neoburgicis justiùs prædictas fabulas quàm de Bipontinis narrari. *Secundò*. Licet fateamur, *Tutelas & Curas periculosas plerunque esse*: non ideò tamen accusandus est, qui Tutelam testamento sibi delatam & impositam, rogatus, & ordinatus, & juramento adstrictus, in testatoris simul & pupilli gratiam haud gravatim suscipere, & fideliter gerere cupiat: cùm Episcopatus, res sit quoque difficilis ac periculosæ plenum opus aleæ, & Episcopatum tamen desiderare [a] vel appetere, res laudabilis & præclara, bonumque opus sit. *Tertiò*. Licet etiam concedamus Neoburgicis, velocitatem & festinationem ut plurimùm incommodam esse solere: negamus tamen, incommodo fore vel esse, si cum Octavio [b] & Tito [c] Græcum illud monitum vel præceptum, σπεῦδε βραδέως, *festina lentè*, Tutor servaverit & secutus fuerit. Debent [d] enim Tutores partibus suis fungi, non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoria cunctatione. *Quartò*. Imò scimus (& hoc alibi fatentur etiam Neoburgici) Tutoris festinationem in gerenda tutela Tutori non imputandam esse, si pupillis suis protinus adesse, & res eorum gerere festinavit: qui nisi protinus ad tutelam gerendam properaret, culpę desidiæq; nomine pupillis teneretur. Nam ex [e] quo aliquis scit, vel innotuit se tutorem esse, si cessaverit, sanè suo periculo cessaverit. *Quintò*. Et quid si Neoburgici priores possessionem Electoralis hujus tutelæ fuissent adepti, & priores in eam remis velisque, ut nec aves nec venti citiùs, pervenissent: an hujusmodi velocitatem & festinationem sibi vitio verti paterentur? Minimè gentium, puto: cùm vigilantibus [f] jus scriptum sit. *Sextò*. Non video, cur pium Religionis in Palatinatu protegendi studium, quod in Serenissimo Duce Bipontino fuit, & est adhuc hodie, *speciem Religionis* invidiosè & contemptim appellent Neoburgici: cùm & inveterata à multis annis in Palatinatu fuerit illa Religio, & à piæ memoriæ defuncto Electore moriente tam sanctè prædicto Duci Bipontino commendata. Si fas Neoburgicis visum foret, cultum illum quem dixi mutare: quidni prædictus Dux Bipontinus laudandus sit, qui pupillis & sub-

a] *1. ad Timotheum 3. vers. 1.*

b] *Sueton. Gell.*

c] *V. Erasm. Adagiis.*

d] *l. Tutor qui repertorium 7. §. 1. in fin. ff. de administr. tut.*

e] *l. 1. §. 1. l. 5. in fin. ff. de administr. Tut.*

f] *l. Nec enim ff. ex quib. caus. maior. l. pupillus ff. quæ in fraudem credit.*

TVTELÆ Electorali se immiscere Dux Bipontinus debuit velut rei ad se pertinenti.

ditis Electoralibus cultum eundem servare properavit? *Septimò* Neoburgici aiunt, *Ducem Bipontinum tutelæ se Electorali immiscere non debuisse, velut rei ad se non pertinenti:* cùm ex contrario potiùs proximiorem & seniorem Adgnatum monere ipsi Neoburgici Consiliarij debuerint, ne se tutelæ Duci Bipontino Electoris defuncti judicio delatæ (velut rei ad se non pertinenti) misceret: quòd per Bullam Auream Sigismundi proximior Adgnatus non nisi DE IVRE Tutor & Curator esse debeat, id est, legitimus tantùm, & testamentario cedere. *Octavò*. Probo quod aiunt Neoburgici, *Patruum fratris filio Parentis loco esse debere*. Nam ex eo tacitè vicissim ex relatorum natura supponunt, fratris filium patruo Filij loco esse, & mutuam inter utrumque vicissitudinem amoris constare oportere.

Sed pergamus ad alia.

a] *p. 9. in fin. & p. 10. in pr.*
FALSVM & NVLLVM defuncti Electoris Testamentum quoad Tutelam probari nunquam potest.

NEC RVRSVS obest, quod aiunt [a] Neoburgici: *Serenissimum Bipontinum non excusari, licet testamentum pro se habeat: Testamentum quippe hoc casu adsertum, quoad tutelam, NVLLVM & FALSVM esse, inferius demonstratum iri.* Nunquam enim id Neoburgici demonstrare poterunt. Imò verum, nec falsum esse, multis iam rationibus evicimus.

b] *p. 20. Vers. Et quamvis falsa.*
CALVMNIA abest à Duce Bipontino, nec scivit nec scit se malè agere.

NEC ETIAM movet, quod aiunt [b]: *Serenissimum Bipontinum non excusari à CALVMNIA, NEC VENIAM MERERI, quòd aut olim intellexerit quid ageret, aut postea agnoverit, quid acti esset, & abstinere cum posset, noluit.* Negatur enim, Serenissimum Bipontinum aliud facere vel fecisse, quàm quod facere jure debuerit vel potuerit. Hoc enim sine atroci injuria dici adversus Ducem Bipontinum non potest, quasi meliora videat & deteriora secutus fuerit.

ABSTINERE Tutela Dux Bipontinus non debuit.

c] *§ item si propter inimicitias 9. vers sicut per contrarium Inst. de excusat. Tut. l. ex sententia 29. π. de test. Tut ubi Bald.*

Negatur etiam, *eum abstinere hac tutela debuisse vel posse*: ut qui munus hoc tutelæ omnium justissimum & sanctissimum Electori defuncto se recepturum juratus vel adjuratus potiùs, promiserit, & tandem in se receperit. Imò non posset, si vellet hodie, hac se tutela excusare, ut [c] nec is qui se Tutelam administraturum patri pupillorum promisit.

d] *p. 10. vers. Manet ergo.*
PALATIVM HEIDELBERGENSE Dux Bipontinus vi non occupavit.

NEC ETIAM rectè ex præmissis concludunt [d] Adversarij: *Manere inconcussum & firmum, ipsam PALATII HEIDELBERGENSIS OCCVPATIONEM VITIOSAM esse: adhuc, præsentiam corporis aut gestionem pro Tutore, Serenis-*

renissimo Bipontino nihil juris tribuere. Nullis enim vel minimis rationibus aut argumentis vel indiciis id probabunt Neoburgici: sed nudis nituntur tantùm adsertionibus, quas simpliciter & purè negari sufficit.

NEC AD REM facit, quod aiunt [a]: *Exceptionem* [b] *illegitimi tutoris, non secus ac falsi procuratoris, in quacunque judicij parte opponi posse.* Solet enim prædicta falsi Tutoris exceptio obiici tantùm Tutori non utiliter dato, agere volēti, & possessionem vel rem pupilli nomine evincenti. Denique ut omnis alia, ita & hæc quoque exceptio, *Si Tutor non es*, possidenti adversus actorem non possidentem datur. Igitur non potest à Neoburgicis Duci Bipontino tutelam Electoralem iam possidenti obiici. Imò potest à Duce Bipontino velut possessore, Neoburgicis non possidentibus, agentibus vel agere volentibus, justiùs opponi. Quid amplius? Licet etiam non possideret hodie tutelam Electoralem Bipontinus: posset tamen ultro Dux Bipontinus pupillorum Electoralium nomine agere, nempe Tabulas Electoralis Testamenti non vitiatas [c] & nulla sui parte corruptas exhibens.

EXCEPTIO illegitimi Tutoris licet opponi in quacunq; judicii parte possit, non tamen potest opponi Duci Bipontino, sed Neoburgico.

a [*p. 10. Vers. Et noti praterea iuris.*

b] *l. 2. Cod. de eo qui pro Tutore.*

c] *l. ult. Cod. de Edicto divi Hadriani tollendo.*

Sed prædictum Ducem Bipontinum in possessione Electoralis Administrationis constitutum juvat maximè, quòd ab omnibus omnimodo Palatinatus ipsius Ordinibus, quin & majori potiorique Electorum, Principum Statuumque Imperij parte, & externis aliis Regibus, Principibus, Statibus sit agnitus: ut ad possessionem Administrationis Electoralis retinendam nihil possit amplius in eo exigi: ut omnes exinde sciant, præsentes ac futuri, PALATII HEIDELBERGENSIS occupationem vitiosam antea nec fuisse, nec hodie esse.

VERùM ad alia properemus.

¶ *AD QVARTAM RESPONSIOnem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

AVTOR Ambergici libelli scripsit [d]: *Serenißimum Bipontinum in possessione vel quasi possessione Electoralis Administrationis esse, ex eo videri, quod non solum ab exteris Regibus, Principibus & Ordinibus pro justo & vero*

d] *p. 4. 5. & p. 10. Responsionis Apologetica Vers. Quarto, pratenditur.*

& vero Tutore hæredum Electoralium agnoscatur, sed à Moguntino, Coloniense, Trevirense, Brandenburgico, Electoribus; nec non aliis Imperij Principibus, Ordinibus ac Civitatibus, non obstante Neoburgicorum contradictione, ita salutatus, atque adeò ad actus Electoralis Collegij adhibitus.

a] p. 10 Vers. Ad hanc verò obiectionem.
b] p. 10 vers. Multitudo enim errantium.
c] p. 11. linea. 1.
d] Vers. Quin & ab ipso Prætore.
e] vers. Error.
f] vers. Et sane ut is.

Neoburgici quid? Primùm aiunt [a]: *Superioribus scriptis satis huic allegationi responsum esse.* Secundò: *Multitudinem* [b] *errantium patrocinium errori non parere.* Tertiò: *Tam exteros Reges, quam Imperij Principes & Ordines, pleniùs de utriusque juribus edoctos daturos operam, ut* FALSI TVTORIS *gestio cesset.* Quartò: *Attributionem* [c] *vel usurpationem Tutorij nominis Tutorem non facere.* Quintò: *Compulsum* [d] *à Prætore gerere, Tutorem tamen non effici.* Sextò: *Errorem* [e] *& facti imperitiam veritati præjudicium non facere.* Septimò: *Eum* [f] *qui Tutor non est, nec esse potest, nec tutelam attingere, nec nomine Tutoris uti posse.* Octavò: *Nonnisi unicum Electoratus Administratorem Aurea Bulla admitti, seniorem scilicet & proximiorem Adgnatum, id est, Neoburgicum.* Nonò: *Falsum esse, Ducem Bipontinum ad actus Collegij Electoralis cum consensu omnium Electorum adhibitum: nisi fortè pro actu quis alleget, quòd nonnullis, qui Rhenum accolunt Electoribus operam suam* L O C A V I T *Dux Iohannes Bipontinus in subsignandis quibusdam literis ad Ducatum Iuliacensium, Clivensium & Montensium possessores datis: quæ tamen acceptatæ non fuerunt, sed in vim realis contradictionis ad eum locum remissæ, unde error profluxit. Cæterùm Serenissimum Bipontinum hactenus ad ullum alium Collegij Electoralis actum non vocatum, multò minùs admissum fuisse, nec potuisse salvis Imperij Constitutionibus.*

Sed facilis est ad hæc omnia responsio. *Primùm* enim notandum est, quòd ad superiora scripta nos remittant Neoburgici, ut eos pariter ad nostra remittere jus fasque sit. *Secundò.* Valde quoque notandum est, quòd Neoburgi Magnos illos Reges, Principes & Ordines, qui extra & intra Imperium Serenissimum Bipontinum pro Tutore & Administratore Electorali adgnoverunt, appellent MVLTITVDINEM ERRANTIVM, quæ non pariat errori patrocinium. *Tertiò.* Potest dici, spem in hac controversia Electorali obtinendi Serenissimo Bipontino, quàm Neoburgicis maiorem esse. Nam si sperant prædictos Reges, Principes, Ordines pleniùs de juribus Illustrissimi Neoburgici edoctum iri: quanto magis id sperare

Sere-

Sereniſſimus Bipontinus poterit, poſſeſſione non tantùm, ſed & præjudiciis pluribus, & rationibus in dies magis & magis invaleſcentibus inſtructus? *Quartò*. Negatur, Sereniſſimum Bipontinum præter vel contra jus nomen ſibi Tutoris uſurpare: ſed jure potiùs, ut qui Teſtatoris, id eſt Electoris ultimo elogio munitu ſit. *Quintò*. Quod dicitur à Neoburgicis, compulſum à Prætore tutelam gerere, Tutorem tamen non effici, nihil ad controverſiam præſentem facit: niſi forte dixerint, Sereniſſimum Bipontinum à Cæſare vel alio Tutelam Electoralem gerere compulſum. Sed eo tamen caſu prędictus Bipontinus excuſabitur: nec vim intulerit, ſed potiùs paſſus fuerit: deniq; excuſandus erit: ſive quia [a] parere neceſſe habuit, ſive quia vim quodāmodo paſſus. *Sextò*. Negatur etiam, errorem ullum in Adminiſtratione Sereniſſimi Bipontini eſſe: ſive quis perſonam eius, ſive Regum, Principum & Ordinum ipſorum (qui eum pro vero juſtoque Adminiſtratore Electorali agnoſcunt) conſideret. *Septimò*. Negatur, Sereniſſimum Bipontinum prohiberi per ullam legem, Electoralem Adminiſtrationem attingere. Negatur etiam, nomen ei Tutoris ulla lege denegari. *Octavò*. Fatemur, Aureâ Bullâ unum proximiorem & ſeniorem illum Adgnatum de IVRE TANTÙM Tutorem & Curatorem eſſe debere: id eſt (ut ipſimet alibi [b] Neoburgici ſunt confeſſi) ab inteſtato tantùm admitti: & conſequenter, Teſtamentarium Tutorem eo potiorem eſſe. *Nonò*. Nec eſt quod dicant Neoburgici: *FALSVM eſſe dici, Sereniſſimum Bipontinum ad actus Collegij Electoralis cum conſenſu omnium Electorum adhibitum*. Nunquam enim dixerunt Heidelbergenſes, Sereniſſimum Bipontinum ad actus collegij adhibitum: ſed (ut ipſimet Neoburgici referunt & agnoſcunt) à tribus Eccleſiaſticis (quos vocant Neoburgici, *nonnullos Electores qui Rhenum accolunt*) & à Brandenburgico, factis, verbis, ſcriptis agnitum, probatum, admiſſum: Vt inde ſciant Neoburgici, ab omnibus videri, cenſeri probatum vel agnitum, qui à maiori [c] Electorum parte ſit adgnitus.

a] *quod quis mandato iudicis facit 24. Extr. de regulis iuris l non videntur 167. §. 1. π, de Regulis iuris.*

b] *p. 6. circa fin.*

c] *l. quod maior pars curia 19. π. ad municipalem. l. aliud 160. §. 1, π. de Regulis iuris. Nominationum 46. Cod. de decurionibus.*

¶ *AD QVINTAM RESPONSIONEM Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

AVTOR Ambergicæ Defenſionis ſcripſit [d]: *Spem eſſe, ut Sereniſſimus Elector Saxoniæ Sereniſſimum Bipontinum pro Adminiſtratore*

d] *p. 5.*

Electorali testamentario agnoscat: quòd Augustus Elector Saxoniæ anno cIↄIↄLXXXIIII. *per Epistolam sit professus, testamentariam Tutelam Electoribus esse integram: Adhæc quòd filius eius Christianus Tutori legitimo Electorem Brandenburgicum adjunxerit.*

a] p. 12. linea 3. vers. Sed & hæc Electoris Augusti Epistola.

Neoburgici quid? *Aiunt* [a] *illam Epistolam Augusti Ducis Saxoniæ, & illud testamentum Christiani, si edantur Authentica & incorrupta, planum factura (quod certò scitur) & ipsum Augustum, & ipsum Christianum pro indubitato habuisse & statuisse, seniori & proximiori Adgnato jus Tutelæ ex Aurea Bulla delatæ, per testamentum adimi non posse: præsertim in iis quæ ad Principatus officium, vocem & dignitatem Electoris pertinent: nec alio modo Brandenburgicum a legitimo pro Electore Saxoniæ agnitum.*

SANE non difficilis est nobis ad prædicta responsio. Vident enim Neoburgici, testandi jus Electoribus integrum & liberum prædictis Epistolis & Testamentis probari quidem posse: sed dum illa postulant *Authentica & incorrupta* sibi exhiberi, prævertunt, prædictis Epistolis, Testamentis, Actis, fidem tacitè detrahere. Bipontinis enim Acta prædicta bona fide producentibus, dicent illicò Neoburgici, prædicta à Bipontinis edita, exempla [b] tantùm esse, non Authentica, vel saltem corrupta esse: ne voces illas duas, *Authentica & incorrupta*, Responsioni suæ Apologeticæ frustra inseruisse videantur. Sunt autem exempla litterarum illarum olim in Camera Imperiali in lite illâ Casimirianâ à Contutoribus testamentariis producta, atque ita pars Actorum, & publica. Ibi illa Adversarij quærant, & invenient.

b] Novella 119. c. 3. Authentica Si quis in aliquo. Cod. de edendo.

¶ AD SEXTAM RESPONSIONEM Apologeticam, Replicatio Bipontina.

IDEM QVI supra (scripti scilicet Ambergici Autor) pro Serenissimo Bipontino Administratore Electorali Testamentario profert [c] Epistolam Principis Ioannis Georgij, quondam Electoris Brandenburgici, anno cIↄIↄLXXXXII. Feb. XVI. qua testatur: *Adempto Principibus Electoribus Tutores dandi arbitrio, de quibus optimam fiduciam habeant, & coactis Electoribus omnia dominia sua quasi vacantia, proximiori & seniori Adgnato relinquere (etiamsi cum illo non benè ipsis conveniret) tum inveniri posse Tutores, qui ducti regnandi cupiditate (quæ nonnullos aliquando seduxit) minoribus Gubernationem nunquam, aut sine maxima difficultate & incommodo, resignarent.*

c] 2. s. 6.

Neobur-

Neoburgici quæso quid prædictis contrarium opponunt? *Illam*[a] *Epistolam valere tantum, quantum unius judicium potest in causis publicis determinandis*. Secundò. *Tutorem quidem legitimum posse ob GRAVISSIMAS CAUSAS REMOVERI: adeundum tamen illo casu Superiorem, & eius sententiam expectandam: Neminem enim iudicem in propria causa esse posse*. Tertiò. *Præsumptiones hujusmodi adversus seniores & proximiores Adgnatos, ex PRIVATO CUIUSLIBET AFFECTU metiendas non esse, quòd earum suggestio de charitatis radice non procedat: ac proinde delationibus hujusmodi aures occludendas esse, sed si Prætori proximiorem & seniorem Adgnatum SUSPECTUM esse apertissimis rerum argumentis liquerit vel constiterit*. Quartò. *De tam laudato Principe (qualis Neoburgicus sit) ne id quidem cogitari, nedum dici sine mendacio & summa injuria licere*.

a] p. 12. 13. vers. Verùm & hac Epistola.

SED PERFACILIS est ad prædicta singula responsio. Primùm enim notandum est, prædictam Electoris Brandenburgici Epistolam à Bipontinis allegatam, à Neoburgicis falsam vel suppositam non dici: ut hinc tacitè possit colligi, sententiam de Tutelis Electoralibus testamentariis, jam dudum ante hanc litem ab Electore Brandenburgico receptam & probatam esse.

NEC AD REM facit, quod Neoburgici fidem prædictæ Epistolæ minuere velle videantur, cum aiunt: *eam*[b] *valere tantum, quantum judicium unius potest*. Quia non tam numerus vel multitudo personarum in illa Epistola spectari vel expendi debet, quantum qualitas & ratio, quæ fidem & autoritatem prædictæ Epistolæ tribuit, & eam defendit: quæ ideò prægnans, & honesta & justa est, ut omnium omnino Electorum merito debeat esse communis sententia, resolutio, & decisio. Nam & meritissimis de posteritate sua parentibus jus suum adserit, & Tutelas ad verum Tutelarum finem dirigit: nempe ut ante omnes vel ante omnia pupillis consulatur, & ut eorum personæ, subditi, unà cum rebus in tuto collocentur.

b] p. 12. vers. Verùm & hac Epistola

SECUNDO valde notandum est, quòd Neoburgici fatentur[c]: *posse interdum in Tutore legitimo concurrere tam graves & prægnantes SUSPICIONIS causas, quæ repulsam, præteritionem vel remotionem proximioris & senioris Adgnati suadeant*. Limitatio quippe hæc magna est ad regulam Neoburgicam: *Elector de Tutela liberorum testari non potest*: et ideo Bipontini prædictam limitationem sive exceptionem Neoburgicis opponunt, justam defuncti Principis Electoris ultimam voluntatem allegantes, gravibus & prægnantibus huiusmodi causis munitam.

c] p. 12. vers. Et ut demus.

REMOVERI potest Legitimus etiam Tutor ob graves suspicionis causas.

TERTIO non obstat, quod aiunt Neoburgici: *Patremfamilias*

a] p. 12. Verſ. Et ut demum : ibi, adeundus eſt tamen.

b] Novella 22.

c] l. 5. §. 2. ff. de legat. 1. l. 30. §. 4. ff. de legat. 3.

d] §. Non ſolum 4. Inſt. de pupillari ſubſtit.

e] l. Humanitatis. Cod. de impuberum & aliis ſubſtitut. §. 1. inſtit. de pupil ſubſtit.

(Electorem ſcilicet) [a] *de liberorum ſuorum tutela teſtaturum vel teſtari volentem, & proximiorem Adgnatum prateriturum, cogi eo nomine Superiorem adire. Neminem enim judicem in propria cauſa eſſe poſſe.* Poteſt enim paterfamiliâs ſuo Marte (etiam Superiore non adito vel convento) Tutorem liberis dare, & Adgnatum proximiorem præterire, etiam non additis præteritionis ſeu præteriti Adgnati cauſis: nec expectata Superioris declaratione vel ſententia. Adde nunc, Electoris defuncti Teſtamentum ipſi etiam Cæſari moderno nec ignotum, multò minus à Cæſarea ejus Majeſtate improbatum eſſe: & proinde (quod Neoburgici velut neceſſariumpoſtulant) conſtare, defunctum Electorem, Superiorem ipſum adiiſſe, nec in propria cauſa judicem fuiſſe. His etiam miſſis plus dico: quemlibet patremfamiliâs in hujuſmodi cauſa (licet propria) juſtum moderatorem legibus conſtitutum eſſe: quia non tantùm judex eſt, vel eſſe poteſt, in ultimo ſuo elogio condendo teſtator, ſed etiam legislator, ex illis ſcilicet verbis [b]: *Diſponat teſtator, & erit lex.* Plus etiam dico: non aptam eſſe hoc caſu (cùm ſcilicet de teſtando agitur) à judicibus deſumptam ſimilitudinem, quâ Neoburgici utuntur. Cùm enim dicitur: *Neminem in propria cauſa judicem eſſe poſſe:* id de cauſis contentioſis intelligendum eſt, ne ſcilicet invito adverſario noceamus, qui verbi gratiâ ſe rei dominum vel creditorem quomodocunque, vel ſibi dari oportere prætendit. In hujuſmodi cauſa propria, controverſa, litigioſa, contentioſa judices ipſi eſſe non poſſumus. At enim in teſtamentis (præſertim cùm de liberis noſtris & eorum tutela quæritur) de re noſtra, non de aliena diſponimus, velut parentes ſcilicet & domini. Hanc poteſtatem parentibus denegare quis niſi injuriâ poſſit? Quid amplius? De re nobis cum alio communi [c] diſponere teſtamento, etiam inuito ſocio poſſumus: quia non niſi partem noſtram legamus vel relinquimus, non alienam vel ſocij. Quid plura? Patresfamiliâs de rebus etiam liberorum noſtrorum impuberum pupillariter [d], & certis caſibus puberum exemplariter [e] diſponimus, & ſic (ut ita dicatur) de corio alieno ſeu de rebus alienis, id eſt liberorum teſtamentis ludimus & diſponimus.

Eſt & evidens præterea captio in verbis illis: *in PROPRIA CAVSA*, quib. utuntur Neoburgici. Malè namq; inferunt: *Nemo judex in propria cauſa eſſe poteſt: Ergo non poteſt Elector de liberorum, ſubditorum & rerum Electoralium Tutela ſine Superioris autoritate teſtari, & proximiorem & ſeniorem Adgnatum præterire.* Quia longè aliud eſt, judicare vel jus dicere, & aliud, teſtari: item, aliud eſt etiam, judicare non poſſe,

posse in causa propria controversa cum aliquo, & aliud, testari de liberorum suorum tutela, qui nostri sunt, & à nobis procreati: quos non homo, sed DEUS ipse Maximus & Optimus nobis est largitus: quibus naturali & omni jure consulere possumus: de quibus nobis controversiam facere nullus potest: quos & adiecta [a] causa, velut rem propriam vindicare, & pro eis exhibendis, ducendis interdictis [b] agere licet, ut supra lib. III. [c] diximus. Ex quibus apparet, cùm de testamentis ordinandis, & tutelis maximè testamentariis agitur, ineptam esse judicis & testatoris similitudinem à Neoburgicis prolatam. Potest & hoc insuper addi: Regulam, *Ne [d] quis in sua causa iudicet, vel jus sibi dicat*, multis casibus fallere: & ita quidem, ut plerisque locis possit Princeps [e] sibi jus dicere, vel ad judices alios (licet subditos) causam judicandam remittere. Quinimò potest interdum privatus, si necessitate cogatur, aut si jus suum aliter consequi non poterit, jus sibi dicere, rem vel retinendo, vel etiam [f] alteri auferendo. Sciunt etiam Neoburgici, possessionis & retentionis [g] jura vel privilegia varia multipliciaque esse: ut scilicet possessionis & retentionis jure consequamur nonnunquam, quod actionis jure non possumus adsequi: quia præstat rem retinere, quàm restituere, & eam postea judicio repetere. Vt ex his omnibus in unum coniunctis colligas, Electoribus in possessione Electoratus constitutis licere, gravissimis, justissimis & necessariis de causis testamento suo liberis consulere: licet aliàs alium possidentem & in possessione constitutum, possessione sua exuere vel expellere non possint.

a] *l. 1. π. de rei vindicat.*
b] *l. 1. l. 2 π. de liber. exhibendis. l. 2. § Et cum placuisset 24. π de origine juris.*
c] *Refutatione 10.*
d] *l. Vnic. C. ne quis in sua causa.*
e] *l. proxime ff. de his quæ in Testamento delentur.*
V. Mynsingerum 1. obs. 1. Hartmannum 1. Obs. 1. Doctores in d. l. unic.
f] *l. ait prætor. 16 §. si debitorem fugientem. 20 π. quæ in fraudem creditorum.*
g] *l. per retentionem 4. C. de usur. l. unic. C. etiam ob chirographariam pecuniam pignus teneri posse.*

QVARTO. Licet admittamus, *Præsumptionis adversus proximos Adgnatos non ex privato cuiuslibet adfectu, vel æmulorum delationibus admittendas esse*: non tamen pariter concedam, dato tutore testamentario (velut ab Electore defuncto Serenissimus Bipontinus datus est) *suspicionis causas apud Prætorem proponendas esse*. Quia post tutelam testamento datam nullum jus in tutela sibi vindicanda proximus Adgnatus prætexere potest. Quia satis superque est (nullis aliis rationibus editis) dici, Adgnatum proximiorem Testamento tutorem datum non esse; & patrifamiliàs testari ita visum fuisse, cuius [h] voluntas pro lege sit.

h] *d. Novella 22.*

Nec per eum modum Consanguineus vel Adgnatus præteritus, non vocatus aut non invitatus ad Tutelam, iniuriâ adfectus, quasi suspectus, dici poterit vel debebit. Quia (ut antea dictum est) Testa-

tor eum injuria adficiendi voluntatem non habuit, sed liberis tantùm suis, subditis & bonis, ex animi sui sententia & voto tutore dato consulendi. Hæc primaria Testatoris intentio judicibus est spectanda. Ac proinde licet Testator proximiorem Adgnatum in tutela prætereat; famam tamen integram & illibatam proximo suo Adgnato relinquit: quia Consanguineum suum non mala mente vel nocendi studio præteriit, sed liberorum suorum tantùm gratia, vel causis necessariis adigentibus. Et hoc adeo verum est, & obtinet, ut à parentibus prohibitus tutor esse, si nihilominus postea à Prætore creatus tutelam non recusaverit, tutor tamen esse prohibeatur, EPITIMIA (ut [a] Modestini verbo nunc utamur) ipsi manente, id est, salva eius existimatione salvoque eius honore. Cùm itaque non omnis prohibitio vel præteritio Adgnati in tutela famam eius suggillet, sed interdum expressè conservet, non continuò à præteritione Consanguinei ad iniuriam ipsi illatam argumentum sumere debent Neoburgici: cùm aliâs mitiores longè & æquiores causæ defunctum Electorem movere potuerint ad Tutelam Serenissimo Bipontino deferendam, præterito non tantùm proximiore & seniore Consanguineo, sed & omnibus aliis de familia. Semper [b] enim in dubiis τὸ φιλάγαθον καὶ φιλάνθρωπον, id est benignius præferendum est, & rapienda nobis occasio est, quæ præbet benignius responsum. Quia (ut ipsi Neoburgici nobis scripto suo suggerunt) præsumptio nulla prorsus admittenda est, quoties suggestio non procedit de charitatis radice: sed eiusmodi delationibus potiùs aures occludendæ sunt.

a] *l. scire oportet 21. §. 2. π. de tutorib. & curatorib. dat. Alciat. parerg. cap.*

b] *l. semper in dubiis. 56. & l. capienda 168. π. de reg. juris.*

c] *pag. 12. lin. ult. & pag. 13. lin. 1. 2.*

DE ALIIS jam videamus.

¶ AD SEPTIMAM RESPONSIONEM Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.

d] *p. 13. responsionis Apologeticæ.*

AVTOR Ambergici scripti retulit [c]: *Totum Electoratum Palatinum tàm Rheni, quam Bavariæ, bona pace & quiete non minùs quàm hactenus frui, nec minùs quoque Vnionem cum Sociis Principibus & Civitatibus servari posse sub Administratione Ducis Bipontini, qui & in eo ipso Vnio-*

ipso Vnionis negocio defuncti vices Electoris, cùm adhuc in vivis esset, sine contradictione repræsentavit.

NEOBVRGICI quid? Primùm omnium aiunt [a]: *malè ex eo inferri, Neoburgicum Principem à Tutela & Administratione excludendum: consequentiam enim illam huic similem esse: Rameus turbas movet in Bohemia, & procul abest à Palatinatu: Ergò Bipontino competit Administratio Palatinatus.* Secundò: *Divinari posse, nec pacem nec unionem diuturnam fore, si justitia negligatur, & evertatur Confœderationis fundamentum, quod in conservandis Imperii legibus & constitutionibus consistat. Civitatem enim & multitudinem sine legibus vivere & coalescere non posse.*

a] *d p.13, vers. bella profectò consequentia.*

RESPONDEO. Mens illius Autoris spectanda est, nec in jocos vel risus à Neoburgicis demutanda. *Primùm* enim probent Neoburgici, falsum esse quod Autor ille adseruit: *Totum Electoratum Palatinum tam Rheni, quam Bavariæ, bona pace & quiete non minus sub Administratione Ducis Bipontini frui, quam olim fecerat.* Secundò probent falsum esse, quod Autor Ambergicus scripsit: *Serenissimum Bipontinum olim vices superstitis defuncti Electori aliquoties sine contradictione repræsentasse.* Cùm ex veris Autor Ambergicus talia scripserit & ediderit: quidni hæc consequentia valebit? *Si Serenissimus Bipontinus vices olim superstitis Electoris aliquoties sine contradictione Unitorum Principum atque Ordinum, atque adeo ipsius Principis Neoburgici, egit: quidni ab eodem Electore Tutor Testamento dari potuit? vel quidni Electoris defuncti vices hodie agere poterit, ab eo Tutor solenni Testamento nuncupatus? cum piæ memoriæ Princeps prædicti Ducis Bipontini solertiam, in administrando peritiam & fidem, multis rerum argumentis acceperit & probè cognitam habuerit?* Et quidni rursus Electoratus Palatinus poterit hodie æquè bona pace & quiete, sub prædicto Duce Bipontino frui, quàm olim fruitus fuerit? Spem illam & exspectationem non cassam vel inanem esse dixeris, si prædicti Administratoris integritatem, lenitatem, clementiam, fidem, diligentiam & innocentiam in Electoratu administrando vel gerendo perspexeris. Et ita sanè est: *Remissius [b] imperanti melius paretur.*

b] *Seneca 1. de Clementia 24.*

NEC OBSTAT quod aiunt [c] Neoburgici: *Hac Serenissimi Bipontini administratione justitiam negligi, & fundamentum Confœderationis (quod*

c] *p. 13 vers. Quid vero si divinare: ibi, si justitia negligatur.*

TVTELA testamentaria Electorali non evertitur Iustitia, vel fundamentum Confœderationis.

nis (quod in conservandis Imperii legibus & constitutionib. consistit) everti. Quibus enim documentis id liquidò probabunt Neoburgici: *leges & constitutiones Imperii à Serenissimo Duce Bipontino Tutelam Electoralem gerendo everti?* cùm & legibus Imperii proximus Adgnatus DE IVRE, id est legitimus & ab intestato tantùm Tutor esse debeat, & Testamentario Tutori consequenter velut potiori cedere? cùm & idem Dux Bipontinus solenni Testamento Tutor datus sit? nisi si Neoburgici dicere eadem opera velint, & defunctum Electorem, qui Testamento ritè condito Tutorem Electoralem dedit, & Cæsarem, qui illud Testamentum atque in illo datos Tutores se tuiturum promisit, leges & constitutiones Imperii evertisse. Nam tres illi, Dux scilicet Bipontinus qui Tutor datus est, Fridericus IV. Elector, qui eum Tutorem Testamento dedit, & Imperator Rudolfus, qui Testamentario Tutori vim fieri se non passurum rescripsit, eodem nexu inter se sunt devincti vel connexi. Sed his missis, quomodo etiam probabunt Neoburgici, *leges fundamentales Imperii in eo consistere, ut Elector de liberorum suorum Tutela testari nullo modo possit?* Et, quòd *plus juris in pupillos Electorales proximior & senior Adgnatus habeat, quàm Elector ipse vel pater in liberos proprios?*

FVNDAMENTALIS lex Imperii non est, Tutela legitima Electoralis Testamentariam excludens, & plus Adgnato quàm patri vel Electori tribuens.

Verùm ad alia nunc pergamus.

¶ *AD OCTAVAM RESPONsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

AMBERGESIS Autor scripti libello suo adseruit [a]: *Illustrissimum Neoburgicum suorum consilio, titulum & signum Tutoris & Administratoris Electoris usurpare: non Iure scilicet: cùm* [b] *si quas putet se habere petitiones, actionibus experiri & per Iudicem reposcere debeat, quod sibi deberi existimat; & quidem sub jactura & amissione causæ, & aliarum pœnarum, legibus* [c] *expressarum, damno vel periculo.*

a] *p. 7. & seq.*
b] *p. 9. in fin.*
c] *l. extat. 13. π. quod metus causa. l. meminerint 6. & sequent. C. unde vi: l. 1. l. 2. C. ut nemini liceat. l. unic. C. de his qui potentiorum nomine Titulos prædiis affigunt & eorum nomina in litem prætendunt.*

NEOBVR-

NEOBURGICI verò quid? Aiunt *Principem Neoburgicum, etiam ante sententiam Iudicis, potuisse titulum & signum Tutoris & Administratoris Electoralis usurpare.* Primò: *quòd Tutela & Administratio pupillorum & Electoratus STATIM A MORTE defuncti Electoris in eum translata fuerit, vigore Bullarum Caroli IV. & Sigismundi, quæ proximiorem & seniorem Adgnatum Electoralem DE IVRE FACIVNT TVTOREM.* Secundò: *quòd* [b] *ex quo scit se Tutorem datum, gerere debeat, ne de neglecta Tutela teneatur.* Tertiò: *quia* [c] *Domini* [d] *loco habetur, & mandatum habet cum libera.* Quartò [e]: *quia necessitas hoc flagitat, præsertim cùm intelligat, Serenissimum Bipontinum idem officium Testamenti causa ambire.* Quintò [f]: *quia interest vicinorum vasallorum, judicum, partium, litigatorum, creditorum, omnium denique aliorum, scire, ubi & cum quo, ac cuius autoritate nomine pupillorum agere, contrahere, tutò & sine vitio nullitatis possint: ne sub aliena gestionis prætextu decipiantur & id sapienti sat dictum esse.* Sextò [g]: *quia certi Iuris est, nomen Tutoris non pendere ab Administratione, quæ decretum Superioris ex recessu Imperii An.* CIↃ IↃ XXXXVIII. *in omni Tutela requirit. Honorarium enim Tutorem, Tutorem esse, licet non administret, & tamen negligendo periculum suum facere.* Septimò [h]: *quia novum non est, nec à Iure prohibitum, ut quis sponte, per se, & propria autoritate usurpet titulum & insignia honoris, ordinis, dignitatis, & muneris eius, quod* [i] *sibi delatum deberi & competere novit: cùm nemini iniuriam nec dolo faciat, qui jure suo utatur: imò iniurius sit, qui non patiatur aliquem jure suo uti, & titulos vel signa rebus suis imponere* [k].

a] *p. 14. vers. Adhoc respondetur.*
b] *vers. Deinde juris est manifestissimi.*
c] *vers. Tertio, Iuris quoque est.*
d] *l. 27. π. de Administrat. Tut.*
e] *vers. Quarto, summa hoc flagitabit necessitas.*
f] *vers. Quinto, non solum.*
g] *vers. Sexto, illud certi juris est.*
h] *vers. Septimo, non est novum.*
i] *p. 16. 12.*
k] *Novel. 164.*

SED AD PRÆDICTA facilis est quoque responsio.

PRIMVM enim sibi contrarii sunt hîc admodum Neoburgici. Cùm enim dicant [l], *Tutelam & Administrationem pupillorum STATIM à morte defuncti Electoris in proximiorem & seniorem Adgnatum transmitti*, & paulo post [m] tamen *Tutoris nomen ab Administratione distinguentes, administrationem non transire nisi post decretum Superioris ex recessu Imperii* CIↃ IↃ XXXXVIII. adserant: ex hac utique postrema Neoburgicorum Adsertione constare potest, Administrationem non nisi post Decretum Superioris transire: cùm tamen initio dixerint, Administrationem STATIM à morte Testatoris transmitti. quæ duo sanè inter se admodum contraria sunt. Nec video, quemadmodum ista duo conciliare facilè possint Neoburgici: Administrationem sci-

l] *p. 14. Vers. ad ista respondetur.*
m] *p. 15. vers. Sexto illud certi juris est.*

licet STATIM à morte defuncti Electoris transmitti, & Administrationem tamen non transire nisi post Superioris decretum. SECVNDO. Licet concedatur, Tutelam & Administrationem Electoralem STATIM transire ad Tutorem Electoralem: non tamen ex eo sequitur, semper, & omni omnimodo casu, statim in proximiorem & seniorem Adgnatum vigore prædictæ Aureæ Bullæ tutelam transire. Et cur quæso? Quia Administratio Electoralis tutelæ in proximiorem & seniorem Adgnatum nunquam transit, nisi quo casu de IVRE TVTOR & CVRATOR ESSE DEBET, id est, ut sæpiùs dictum est) nisi cùm legitimus & ab intestato tutor est, non autem, cùm aliquis tutor Testamentarius existit vel datus est. Hoc casu dici potest, nec Tutelam nec Administrationem in proximiorem & seniorem Adgnatum transire, imò nec speciem, nec nomen & titulum quidem Tutoris. Nam si Tutela illo casu ad eum non transit: igitur nec titulum, nec nomen, nec signum Tutoris Electoralis usurpare vel sibi sumere proximior & senior Adgnatus poterit: quòd prædicta Testamentario Tutori, & quidem uni & soli, competant. Adhæc, quòd à quocunq; rei (verbi gratiâ Tutelæ & Administrationis) substantia removetur, ab eodem quoque nomen, titulus, & signum rei, (puta Tutoris & Administratoris) removeri oporteat. Quia nomina [a] rebus convenire debent, & rerum [b] significandarum gratiâ comparata, rerumq; notæ sunt, & à rebus ipsis dependent. Ac propterea *pro Tutore* [c] *gerit, vel gerere dicitur is*, qui se putat vel fingit Tutorem, cùm Tutor non sit. TERTIÒ. Cùm in Tutelæ Electoralis possessione Serenissimus Bipontinus iam constitutus sit, & titulum & nomen Tutoris & Administratoris Electoralis, non modò à defuncto Electore, sed & ab omnibus & singulis Palatinatus Ordinibus, imò ab omnibus propè Imperii Principibus & Statibus, vel eorum maiori parte, quinimò ab Electoribus, & ab ipsa quoque suprema Curia Spirensi, (quæ ipsum Cæsarem, & omnes totius Imperii Status repræsentat) ab exteris etiam Regibus, Principibus, Ordinibus, acceperit, & in possessione nominis huius & tituli sit constitutus: non[d] potest proximior & senior Adgnatus nomen, titulum, vel signum Tutoris & Administratoris sibi insuper sumere, quin & prædictos Imperatorem scilicet, Reges, Principes, Status & Ordines injuriâ adficiat, & Serenissimum Bipontinum in possessione sua nominis illius turbet [d], & vim ipsi contra leges faciat, & eam ob causam interdictis, quin & legibus illis, quæ [e] ab autore Ambergensis scripti allegatæ sunt) teneatur: quòd scilicet id nomen usurpet, in cuius justa possessione alter semel cōstitutus sit, & juris ordinarii vias Adgnatus omittat.

a] *l. ult. C de donat. ante nuptias. §. est & aliud. 3. Instit. de donat.*
b] *l. ad recognoscendos 10. C de ingenuis manumißis. § siquidem 29. Inst. de legat.*
c] *l. 1. §. 1. π. de eo qui pro tutore.*
d] *plures enim rem eandem in solidum poßidere non poßunt. l. 3. §. Ex contrario π. de adquir poßeß.*
e] *l. extat 13. π. quod metus causa l. meminerint. 6. C. unde vi.*

NEC AD REM facit Novella [a] Iustiniani, quam Neoburgici allegant, quam *Rescriptum egregium & aureis literis dignum indigitant* [b], *& quo contra Bipontinos utuntur*. Potest enim non minùs (immò justiùs) Rescriptum illud in Neoburgicos retorqueri. Cùm enim Iustinianus prohibeat, rebus etiam ad successores Testamentarios pertinentibus, titulos & signa ab aliquo imponi, & notet [c] eos, qui testamenta valere non sinunt, & ultimas testatorum voluntates subvertunt: Neoburgicos (puto) vetat Electoris Serenissimi defuncti Testamentum & ultimam voluntatem subvertere, titulos & signacula imponere Administrationi ad Serenissimum Bipontinum Testati jure pertinenti, & ab eo solo nunc possessæ.

a] *Novell. 164. c. 1.*

b] *p. 16. vers. quo pertinet.*

c] *d. Novell. 164. c. 1. ubi & ultimas horum voluntates.*

NEC AD REM etiam facit, quod Neoburgici negant [d], *Bipontinum Ducem in possessione Tutelæ & Administrationis Electoralis Palatinæ esse*, & ad eam rem allegant, quæ suprà ad primum fundamentum Bipontinum ex Iure sunt responsa: ut ostendant, autorem illius Ambergici scripti MALE, IMPERTINENTER, ET INIQVE (sic enim loquuntur [e]) *Rescriptum D. Marci & Constitutionem Gratiani pro Serenissimo Bipontino adversus Principem Neoburgicum allegasse*. Quia (ut paulò antè & quidem immediatè probavimus) & BENE, & PERTINENTER, & IVSTE, Autor ille leges illas pro Duce Bipontino protulit, qui & justo titulo (nempe solenni Testamento defuncti Electoris) & autore [f] prætorum Prætore, (id est Cæsare) non vi, non clàm, nec precariò Tutelam & Administrationem Electoralem possidet. Postremò Neoburgicos eadem scribendi respondendique lege remittimus ad illa, quæ prima Replicatione de vero justoque Palatini Electoratus possessore & Administratore supra diximus.

d] *p. 16. vers. Negatur enim primò.*

e] *p. 16. vers. Octavò ex præmissis.*

f] *l. justè possidet. 11. ff. de adq. possess.*

NEC OBSTAT etiam, quod ex Iustiniano [g] Neoburgici dicunt [h], *Possessores illa solum habere quæ lex eis dat, & extraneis abstinere*. Nam ut omnibus notorium est, Serenissimum Bipontinum possessorem Administrationis Electoralis esse: ita cuiq; notorium est, eundé sibi dato & collato Iure Testamentariæ Tutelæ contentũ esse, & extraneis abstinere, nec aliũ lædere, nec sibi lucrum impium appetere.

g] *Novell. 17. c. 14 in fin.*

h] *p. 16. vers. quibus addendum quod Imperator.*

NEC RVRSVS obstat, quod aiunt [i] Neoburgici, *Leges D. Marci & Gratiani superiùs à Bipontinis allegatas, locum tantùm habere in iis, quæ dubia sunt, quæq; nondum decisa, vel non notoria*. Nega-

i] *p. 16. vers. Deinde allegata leges.*

tur enim, *Bullis Sigismundi, multò magis Caroli IIII. decisum, nec per totum Orbem cognitum, in Electoratu nonnisi seniorem & proximiorem defuncti Adgnatum Tutorem & Administratorem esse posse.* Nam Bulla Caroli IV. fratris tantùm Electoris meminit, non Adgnati: & præter contraque Ius Commune Tutelas Electorales à Neoburgicis prætensas non novit.

a] *p. 17. vers. Quid enim aliud sibi volunt illa Bullarum verba.*

b] *p. 17. vers. Quis enim sana mentis.*

c] *p. 17. vers. Neque novo opus esse processu.*

d] *p. 17. vers. Præsertim.*

e] *p. 17. vers. Vnde doctores.*

f] *p. 17. circ. fin. vers. novo ad rem & p. 18. lin. 3. vers. fallit enim: ibi. aut licentiam.*

g] *p. 18 lin. 1. vers. Fallit enim. Ibi, annullet.*

h] *p. 18. lin. 2. Ibi, contraventionem.*

NEGATVR etiam, illa Bullarum verba [a], DE IVRE TVTOR SIT & ADMINISTRATOR: item: *Quieta & libera possessione gaudere:* adhæc: *Ipse & nemo alius ad Electionem & omnes actus alios omni tempore assumatur, sine contradictione qualibet:* item: *Nulli penitus hominum liceat:* & si quæ similia sunt (ad quorum recitationem vel relationem Neoburgici exclamant: AVDI, ATTENDE) *prægnantia, amplissima, & dilucidissima pro Neoburgensi causâ* (ut illi quidem loquuntur & volunt) verba esse: imò quæ nullum jus Adgnato nisi ab intestato tribuant, & ad excludendum Testamentarium Tutorem Electoralem nihil prorsus faciant, imò contra Neoburgicos rectiùs retorqueri possint. Sic infitias quoque itur, *insana mentis hominem esse* (quod tamen dicunt [b] Neoburgici) *qui neget, supradicta verba paratam executionem adversus Testamentarium Tutorem conferre.* Negatur etiam, *prædicta verba legitimo Tutori sine novo [c] processu adversus Testamentarium Tutorem prodesse.* Imò dicitur, legitimum Tutorem ex prædictis Bullarum verbis nihil adversus Testamentarium Tutorem & possessorem Administrationis Electoralis sine novo eoque legitimo & ordinario processu consequi. Negatur etiam, *in hac [d] Administratione Testamentaria ex parte Serenissimi Bipontini per errorem vel aliàs, processum, judicium, sententiam, vel aliquid huiusmodi, contra Dispositionem Bullarum emanavisse, seu quomodolibet attentatum.* Negatur quoque, *Ius Neoburgicorum pro Tutela Electorali obtinenda NOTORIVM [e] esse.* Imò dicitur, & probatione egere, & sententiam ulteriorem in eo requiri. Negatur etiam, *Bullas Aureas proximo & seniori Adgnato licentiam [f] tribuisse ingrediendi propria autoritate Administrationem Electoralem, existente aliquo Testamentario Tutore.* Negatur pariter, *easdem Bullas, actus Testamentarii Tutoris Electoralis [g] annullare.* Negatur similiter, *Testamentarium Tutorem Electoralem possessionem Electoralis Administrationis prehendentem, Bullis Aureis contravenire [h], & eius possessionem, contraventionem Bullarum vocandam esse.*

Negatur

Negatur etiam, *Bullas Aureas proximo & seniori Adgnato Electorali tribuere* [a] *possessionem Administrationis Electoralis, ipso jure, sine alio facto, sine nova adprehensione, vel sine judiciali processu; stante scilicet aliquo Testamentario Administratore.* Ab intestato namque fortassis hæc concederentur proximiori Adgnato, tutelam Electoralem vindicanti: Atenim testamentario aliquo Tutore Electorali existente, id nullo modo proximiori & seniori Adgnato concedi vel tribui potest.

Negatur eodem modo, *Bullas Aureas proximo & seniori Adgnato Electorali tribuisse Administrationis Electoralis possessionem per* [b] *modum conditæ legis, ut sit sine aliqua apprehensione verus possessor, existente licet aliquo Testamentario Tutore Electorali.* Quia (ut alibi pleniùs diximus) Aurearum Bullarum mens nunquam hæc fuit, Electoribus adimendi jus de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium tutela, custodia, cura. Non est etiam verum quod aiunt [c]: *Bipontini possessionem nullam esse, cùm non possideat, neque administret, qui spoliat.* Dicitur enim, justè eum possidere, legibus scilicet testamentariis & ipso quoque Cæsare [d] permittentibus: ac proinde Neoburgicis non licere sine judicis autoritate signa rebus (quas Tutorio nomine prædictus Bipontinus iam tenet, vel in quarum possessione constitutus est) imprimere, vel res pupillares ipsi detrahere. Negatur quoque, *proximiorem & seniorem Adgnatum pro* [e] *se legem habere perpetuam adversus Testamentarium Tutorem.* Vt & negatur, *actus Tutoris Testamentarij Electoralis contrarios Bullis esse, & per Bullas annullari.* Non est etiam verum, quod aiunt Neoburgici: *Serenissimum Bipontinum titulos* [f] *indebiti honoris usurpare: & ex Novella* [g] *Iustiniani substantiam eius FISCO applicandam, quasi signa sua rebus alienis, aut ad proximiorem & seniorem Agnatum pertinentibus imposuerit.* Imò contenditur & fortiter adseritur, Serenissimum Bipontinum titulos suos & signa sua chartis, actis, foribus, valvis & similibus Electoralium pupillorum rebus Tutorio nomine (Iure permittente) imprimere posse: sicuti Iure solet & potest Tutor signum suum, insigniaque sua imprimere, vel manu sua adscribere vel adsignare [h], apochis, instrumentis, & similibus ad pupillos pertinentibus. Hæc tutoribus Testamentariis licita jureque permissa esse defendimus: & subscriptiones & subsignationes illas, Administrationis Tutelaris partem esse: nec ea re videri Tutorem rebus alienis signum imprimere, eamve ob rem bona Tutoris fisco appli-

a] *p. 18. vers. his enim casibus.*

b] *p. 18. vers. Unde Zasius.*

c] *p. 18. vers. decimò nihil iuvant.*

d] *l. Iuste possidet 11. ff. de adq. possess.*

e] *p. 18. vers. Cum igitur.*

f] *p. 18. vers. Bipontinus itaque.*

g] *Novell. 17. c. 15.*

h] *l. si non subscripsisti 15. Cod. de Administrat. Tut. l. 46. §. 5. ibi apochæ tutoris ff. de administr. tut.*

canda esse: præsertim cùm & paulò ante Neoburgici sint confessi: *Tutorem inspecta providentia, quam rebus pupillaribus gerendis & administrandis debet, loco domini [a], vel vice [b] domini esse.*

a] l. Tutor. qui tutelam 17. π. de ad Administrat. Tut. l. qui fundum 7. § Si Tutor 3. π. pro emptore. l. interd. 56. §. qui tutelam 4. π. de furtis.

b] l. Ad ea 157. π. de regul. iur.

¶ AD NONAM RESPONsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.

AVTOR scripti Ambergensis scripsit [c], *Legitimum tutorem lege quidem fieri, & nihilominus tamen facultatem tutelæ & exercitium administrandi, item titulum vel signum ei non competere, existente [d] contradictore, vel defuncti patris exclusiva dispositione, nisi postquam à Iudice decretum interpositum fuerit. Cæterùm à Iudice hoc nostro casu nullum decretum interponi potuisse, utpote non citatæ nec auditæ parte altera. Errorem enim non parvum (teste [e] Paulo Montano) multorum esse, qui falsò crediderunt, & imperitè putaverunt, satis esse, se proximiores à lege datos esse, neque ad Tutelæ exercitium vel Administrationem aliquo Iudicis decreto atque aliis requisitis opus esse.*

c] p. 13.

d] p. 19. Responsionis Apologeticæ vers. Sequitur nunc novum Bipontinorum telum.

e] lib. de iure tutelæ c. 14.

QVID Neoburgici? *Conscientiam [f] Autoris illius appellant, & si VIR BONVS SIT, confessum iturum aiunt, totum hoc effugium eò tendere, ut protrahatur negotium Administrationis ad eos usque annos, qui tutelam Electoralem finient, & interim præsumptæ gestioni & violentæ fautores & vires adquirantur, ad eludendam Decreti, quod timetur, executionem. Huiusmodi autem patronos indignos, EXECRANDOS, & legibus puniendos esse.*

f] p. 19. Vers. Hic nisi.

BONA VERBA quæso. Parata enim & facilis est ad hæc Neoburgicorum obiecta responsio: Ac primùm quidem, cùm conscientiam Autoris vel scriptoris Ambergici adeò solenniter appellent, nullum iuris aliud remedium est, quàm ut Autor ille Ambergicus

gicus scilicet, de sua conscientia (quis enim alius meliùs aut veriùs?) respondeat: ut ex illius autoris (viri sanè optimi & integerrimi) responso constet, falsò necne coniecerint aut divinaverint ea parte Neoburgici. Conscientiam enim alicujus qui appellat, eum vel iudicem, vel testem, in casu dubio vel controverso facit. Nec aliud nostris remedium est, quàm ut jurantis responso in huiusmodi casu fides habeatur, & res tota sacramento vel simplici responso decidatur. Denique conscientiæ [a] alicuius permissâ, dicto, responso, vel juramento rei conventi solent & debent ita jure decidi.

[a] *l. ult. vers. sin autem dubitatio Cod. de iure domini impetrãdo. ubi Bart. Clement. significasti, extr. de homicidio. Mathesilanus singulari 37.*

NEC AD REM facit, quod fatentur Neoburgici, *se per* [b] *impatientiam à proposita quæstione digressos*. Modestiores enim eos esse oportuit, & huiusmodi probris abstinere tantos Consiliarios decuit: maximè, cùm responsionis huius initio [c] adeò detestati sint eos, qui ad effrenatam deflectunt calumniandi licentiam. Sed his missis ad alia.

[b] *p. 20. vers. Sed redeundum est unde digressi sumus per impatientiam.*

[c] *p. 4. vers. Vetus autem est.*

NEC PRÆTEREA ad rem facit, quòd *prædictam Bipontinorum adsertionem in duo velut capita dividunt, & antecedens* [d] *fatentur, consequens verò negant.*

[d] *p. 20. vers. Respondendo ergo tandem.*

Nam ut ab Antecedente faciam initium, benè sanè est, quod agnoscunt Neoburgici, *Tutori cuilibet, etiam legitimo, decernendam a Superiore Administrationem esse*. Sed ut ex eo colligant, *Serenissimum Bipontinum malè fecisse, quòd non expectata Superioris sententia alienis negotiis festinanter se nimis immiscuerit*, consequentiæ Neoburgicæ rationem non video. Alioquin & ipsi quoque malè fecerint hactenus, & hodie quoque malè facient, quòd scilicet Tutelæ defuncti Electoris ultimo solenni judicio (contra quod vim fieri Testamentario Tutori Cæsar se prohibiturum rescripsit) Serenissimo Bipontino delatæ, se ipsi misceant. Et quid si priores ipsi Neoburgici possessionem Administrationis Electoralis adprehendissent: an eam ob causam se nimis festinanter negotiis alienis immiscuisse dici, reprehendi, vel accusari paterentur? Videant etiam Neoburgici, quid duabus ante paginis scripserint [e] & asseruerint, nempe *Tutorem illico, confestim & statim, ex quo scit se tutorem datum, vel ex quo ipsi qualiter qualiter innotuit, se tutorem esse, debere suo officio fungi: aut si cesset, cessare suo periculo, ita ut periculum tutelæ ad eum pertineat, & te-*

[e] *p. 14. vers. Deinde iuris est & seq.*

& teneatur actione tutelæ pro neglectis: Tutorem domini [a] *vice & loco haberi: Necessitatem* [b] *hoc postulare: Interesse* [c] *non solùm subditorum, sed quorumcunque, id ita fieri.* Hæc cùm Neoburgicorum confessione ita se habeant, non possunt nisi iniuriâ Serenissimum Bipontinum Testamentarium tutorem Electoralem reprehendere, quòd non exspectata Superioris sententia, Tutelam Electoralem gerere festinaverit: cùm ipsimet tutelam gerendam esse dicant ILLICO CONFESTIM & STATIM, & juris authoritates & rationes complures eam in rem proferant.

a] *p. 14. vers. Tertiò iuris quoque est.*
b] *p. 15. vers. Quartò summa.*
c] *p. 15. Vers. Quintò non solùm.*

De Consequente à Neoburgicis negato nunc videamus. Bipontinus dixit, *Nec nomen, nec signum tutori legitimo competere ante interpositum Tutelæ decretum.* Neoburgici quid? *Falsum* [d] *illud esse asserunt: per ea scilicet, quæ in refutatione septimi argumenti latius sunt deducta.*

d] *p. 20. vers. Consequens autem.*

Sed *primùm* omnium notandum est, Neoburgicos debuisse *octavi* dicere, non *septimi*. Nam hoc Neoburgici octava [e] Refutatione, non autem septima tractarunt. *Secundo*. Prædicta Bipontini sententia poterit non improbabiliter (puto) hoc argumento defendi. Si legitimo etiam tutori decernenda est à Superiore administratio (ut fatentur Neoburgici), sanè sequitur ex eo, nomen aut signum Tutoris ante decretum interpositum proximiori vel seniori non competere. Nam ante decretum Iudicis propriè & verè Tutor dici non potest, ideoque nec nomen Tutoris usurpare: ne accidens aliquod sit sine subiecto: sicuti ante lustricum Nominaliorum [f] diem, id est ante nomen impositum infanti, homo simpliciter appellatur, & generis vel speciei suæ nomine *homo* tantùm nuncupari, non autem *Titius* aut *Sempronius* appellari potest: quia nondum nomen illi certum aut speciale impositum fuit. Eadem ratione antequam Titius à Sempronio Domino de feudo (verbi gratia) Tusculano investitus sit, dominus feudi Tusculani dici propriè non potest, licet spem feudi promissi consequendi habeat. Nam cùm [g] ab investitura feudi pendeat vasalli denominatio, sequitur ut nec signum vel nomen vasalli (antequam fuerit à domino investitus) usurpare ipsi liceat. Aliis exemplis omissis (ut ad Tutorem legitimum redeam) similiter dici poterit, Adgnato satis non esse ad hoc ut nomen & titulum Tutoris propriè usurpet, vocatum esse à lege, sed decretum

e] *p. 14. Vers. Octavum adversariorum.*

f] *De quo vide Vlpianum in fragmentis tit. de decimis 15. ibi, post nonum diem. Tertul. lib. de Idololatria. Macrob. 1 Saturnal. 16. Festum in lustricis dies. Plutarchum in quæstionibus Romanis. Suidam.*
g] *Feudor. 2. in pr. & tit. 7. in fin.*

cretum Iudicis præcedere, necessarium esse. Spem tutelæ à lege eum habere fateor, & fatebor facilè. Re autem ipsa vel propriè Tutorem nuncupari ante decretam ipsi administrationem à Iudice, negari poterit: cùm ipsimet Neoburgici legitimo etiam Tutori decernendam esse Administrationem fateantur, & decretum illud præcedens (& ut ita dicatur) præambulum, velut necessarium exigant. Summa summarum: Proximus Adgnatus ad Tutelam lege aliqua vocatus, spe quidem Tutor, re tamen ante decretum Iudicis Tutor dici non poterit: præsertim cùm fragile jus adhuc ejus sit, & nomen revocabile usurpet, quòd (ut fatentur [a] Adversarij) justis de causis recusari vel removeri possit. Et breviter: Proximus adgnatus per legem aliquam ad Tutelam invitatus, ante decretam ipsi à Iudice competente, ordinario, legitimo, proximo, Tutelam & Administrationem, spe tantùm, non re dici Tutor poterit: spe (inquam) sine substantia, sine juris essentia, vel potestate aliqua: spe denique lubrica, mutabili, fragili, & à Iudicis cognitione dependente. Et ita quoque Serenissimus Bipontinus, licet à piæ memoriæ Electore Tutor Testamento nuncupatus, antequam more majorum à supremo totius Palatinatus Consilio Tutor agnitus & confirmatus fuit, spe tantùm tutor extitit: Post huiusmodi verò decretum, & multò magis post omnium aliorum Ordinum consensum & juramentum, non tantùm nomine sed re Tutor & Administrator Electoralis fuit: præsertim cùm & Electorales Tabulas (quibus nititur) Cæsar, & in ipsis scriptos Tutores se defensurum promiserit, quamdiu in solemni & ordinario Iuris processu causa principalis decurret, si proximus Adgnatus actionem aliquam sibi competere existimaverit, & illam, ubi & quomodo oportet, instituerit. Ad eum ita modum mereri, consequi, & obtinere tutelas tutores convenit, non eas ante tempus extra & contra Iuris ordinem sibi licenter præsumere vel de facto usurpare.

a] *p. 12. Vers. & Videmus posse interdum.*

NEC PRO Neoburgicis facit (ad probandam scilicet administrandæ Tutelæ & nominis Tutorij usurpandi differentiam) lex [b] ab eis allegata, quam ipsi *apertissimam & Bipontinis suspectam exosamque esse contendunt* [c].

b] *l. qui testamento. 37. π. de excusation.*
c] *p. 21. l. 1. Vers. Et probac solutione.*

Nam per illam legem non probatur, Adgnatum vel patruum,

antequam sit ei decreta à Iudice Tutelæ administratio, nomen Tutoris usurpare posse: sed in illa lege tutor Testamento (vel ut Cuiacius [a] legit, *a Iudice*: ut eo minùs lex illa faciat pro legitimo adversus testamentarium: cùm sententiâ Cuiacii, de tutore dato à judice, non de testamentario Tutore intelligi debeat) datus, duabus de causis volebat se à Tutela excusare: nempe quòd & trium liberorum parens esset, & præterea pupillus, de cuius agebatur Tutela, patruum legitimum tutorem haberet. Iudex auditis illis excusationibus duabus, sententiam sub conditione (& sic ineptè) hunc in modum tulit: *Si legitimum tutorem habenti datus es, non est tibi necessaria excusatio*. Iudex ibi deceptus falsâ Testamentarij Tutoris allegatione fuit. Credidit enim pupillum habere legitimum tutorem, qui tamen nullum legitimum habebat, fortè in rerum natura non existentem, vel iam mortuum. Et quis quæso inde colliget, Adgnatum, antequam ei decreta sit Tutela à Iudice, nomen & signum Tutoris usurpare posse? Nemo hercule, nemo. nisi Neoburgici putent, Adgnatum in rerum natura non existentem vel mortuum, nomen Legitimi Tutoris usurpare posse.

a] *Ad Scævolam, Responsor.* 2. p. 251.

Potest & aliter lex illa quoque à Neoburgicis allegata accipi. Tutor enim Testamentarius, vel datus à Iudice, se à Tutela volens excusare dicebat*, *quòd pupillus patruum legitimum haberet*: id est, de facto iam haberet, vel etiam habere posset, decreto scilicet Iudicis interveniente. Verbum enim *haberet* decreti judicialis interpositionem non excludit, sed potiùs adstruit, hoc sensu: Tutor Testamentarius dicebat, pupillum patruum suum Tutorem Iudicis decreto jam habere, vel habere posse. Ex hac legis illius interpretatione & expositione colligere nunquam poterunt Neoburgici, Adgnatum (qui ad Tutelam lege aliqua sit vocatus) ante decretum Iudicis nomen Tutoris propriè & verè usurpare posse: præsertim si notorium ei fuerit, alium Tutorem solenni Testamento datum, & in possessione Tutelæ iam constitutum esse.

Potest & tertiò dici: Patruum illo casu ante decretum Iudicis interpositum, Tutorem à Testamentario Tutore (se excusare à Tutela Testamentaria volente) vocari quidem potuisse, sed per errorem, vel spe tantùm, non re, ut paulò ante probavimus. quam pro re præsenti, certa & iam existente ducere, perabsurdum est: quòd

quòd eventus spei lubricus & fragilis esse, & fallere soleat. Ex his apparet, textum illum à Neoburgicis allegatum (pro inducta per ipsos solutione sive distinctione comprobanda) non esse apertissimum, multò minus Bipontinis suspectum & exosum, sed potiùs Neoburgicis contrarium.

¶ AD DECIMAM RESPONsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.

AVTOR Ambergensis scripsit [a]: *Serenissimum Administratorem munitum esse Iure Divino, Gentium, Imperiali sive Communi, & Consuetudine receptissima. Omnibus enim illis Iuribus non tantùm tutelam Testamentariam admitti, sed etiam existente Testamentaria prorsus Legitimam excludi.*

a] p. 16.

NEOBVRGICI quid? Aiunt [b] *mirum non esse, si tam probabili Iuris & pietatis specie nonnulli etiam ex Magnatibus DECEPTI sint. Omnes enim moveri audientes, parentum libertati quasi insidias strui, & denegari Electoribus (præcipuis* [c] *post Cæsarem Imperij columnis) quod etiam infimæ sortis parentibus indulgetur. At huic FALLACIÆ* (sic enim loquuntur Neoburgici) *jam ante a Neoburgicis, scriptis Lavingæ, Dusseldorpij & Coloniæ excusis ex fundamento satisfactum, & ostensum esse, LIBERRIMAM ADHVC HODIE esse Electorum ultimam voluntatem, tam circa Tutelas, quàm circa hæreditates: DVMMODO ea cum pietate, honestate, cum lege, cum moribus non pugnet. Solutam enim legibus Electorum potestatem, neminem sanæ mentis æstimaturum. Totam* [d] *itaque illam Bipontinorum structuram hoc unico ictu concidere, si dicatur: Magnum quidem esse testamentorum & ultimarum voluntatum favorem, immensam in liberos charitatem, simul & potestatem: sed non tantam, quæ le-*

b] p. 21. vers. Decimus Clypeus, ibi, Et sanè non mirum.

c] p. 22, infin.

d] 23. Vers. tamen nemo non videt.

gibus & constitutionibus Principum possit adversari. Ius instituendi, legandi, libertates dandi, Tutelas constituendi, interpretatione coangustatum vel legum vel authoritate jura constituentium. Testatorum voluntatem cum Iuris dispositione convenire tanquam cum sua causa debere, & ab ea dissentientem nullius valoris esse. Quaerendum in Testamentis primum: AN TESTATOR Testamenti factionem habuerit. Filiosfamilias etiam patre permittente, testari non posse. Testatorem rei suae justum moderatorem & arbitrum non esse, quando Iuris praecepta contemnit. Testamenta adversus leges à Magistratibus non admitti: eaque [a] *pluribus exemplis legum probari. Disposita* [b] *adversus leges & bonos mores impossibilia & pro non adjectis & turpibus haberi.* Quærunt [c] tandem Neoburgici, *quid ad hæc tam luculenta testimonia Bipontini sint dicturi?*

a] *p. 24. 25. 26.*
b] *p. 27. vers. Ratio eorum omnium.*
c] *p. 28. vers. Quid igitur tandem.*

SANE PERMVLTA, & illa quidem nonnisi honestissima, justissima, æquissima, & Iuri Divino, Gentium, Imperiali, Consuetudinario, bonis moribus, honestati, pietati consentanea: nempe Iuribus illis omnibus, parentibus de liberorum, subditorum & bonorum suorum Tutela, Cura, & Administratione testari permitti: ex opposito verò Neoburgicorum sententias, (plures enim sunt, ut mox audietur,) Iuribus illis, bonisque moribus, honestati, pietati, contrarias, & consequenter nullius prorsus esse momenti: veluti contra leges divinas, humanas, bonos mores, honestatem omnem & pietatem, & sic impias & inhonestas esse.

PRIMVM enim omnium, cùm dicunt Bipontini, *Patrifamilias (& sic Electori) licere de liberorum tutela testari*, Neoburgici sequentes enunciationes monstrosas opponunt.

PRIMA est, *Specie* [d] *illa Iuris & pietatis tam probabili multos Magnates deceptos esse.* Quasi verò prædicta Bipontinorum adsertio, (Electores scilicet testari de Tutela posse,) Iuris & pietatis tantùm species & apparentia quædam sit, quæ multos (velut larva) Magnates deceperit, (quos tamen tam temerè dicere deceptos esse, satis grave est) non autem jus ipsum merum, æquum, bonum, honestum. SECVNDA: *Huic Fallaciæ* [e] *jam ante responsum esse.* Quasi verò fallacia sit dici, liberum Electori esse de Tutela liberorum suo-

d] *p. 21. vers. Et sanè non mirum, si tam probabili.*
e] *p. 21. vers. At huic Fallaciæ.*

suorum testari. TERTIA: *Electoris voluntatem ultimam non valere, si* [a] *cum pietate, cum honestate, cum lege, cum moribus pugnet: Et neminem sanæ mentis æstimaturum, solutam legibus Electoris in testando de liberorum tutela potestatem.* Quasi verò voluntas ultima Electoris de Tutela liberorum suorum testantis, cum pietate, honestate, lege, & moribus pugnet: & sanæ mentis non sit, qui dicat liberum esse Electori de liberorum Tutela testari posse: aut quasi demens aut non sanæ mentis sit, aut vim legibus inferre videatur Elector, de liberorum suorum Tutela testaturus. QVARTA: *Non obstante magno* [b] *testamentorum & ultimarum voluntatum favore, & immensa in liberos charitate ac potestate, leges & constitutiones libertatem de liberorum tutela testandi patri posse adimere.* QVINTA: *Electorem de Tutela liberorum suorum testamenti factionem* [c] *non habere, & Electorem in illo articulo rei suæ justum moderatorem & arbitrum non esse.* SEXTA: *Testamentum Electoris de liberorum Tutela testantis adversus* [d] *leges conditum esse, & à Magistratibus ideo non admittendum, velut impossibile* [e], *contra* [f] *bonos mores: & sic pro non adiecto & turpi habendum.*

a] p. 21. vers. Dummodo ea cum pietate.

b] p. 23. vers. Magnū quidem esse.

c] p. 23. vers. Vnde si quæratur, ibi, An is qui fecit testamētum haberet testamenti factionem.

d] p. 24. 25. 26.

e] p. 27. vers. Ratio eorum omnium, qua hactenus.

f] p. 28. vers. Adeoq. ibi, vel qua contra bonos mores.

Eant nunc Neoburgici, & Bipontinis insultando, quasi re benè gesta, vel triumphaturi, quærant, *Quid ad hæc tam luculenta juris testimonia Bipontini sint responsuri?* Sanè nihil aliud, quàm lutulenta prorsus testimonia illa esse, id est, luto digna: fanatica, impia, injusta, barbara, & adversus bonos mores, honestatem, pietatem, adversus sanam rationem & sensum communem, imò & DEI ipsius Tabulas concepta, prodita. Videant ipsi, si patresfamiliâs sint, an huiusmodi legem imponi sibi sint passuri, & interim se liberos in testando dici, nuncupari, salutari.

SECVNDO dicunt [g] Neoburgici, *Se jam antè scriptis aliquot, Lavingæ, Düsseldorpii, & Coloniæ excusis, ex fundamentis ostendisse: LIBERRIMAM adhuc hodie esse Electoris voluntatem ultimam tam circa Tutelas quàm hereditates: dummodo cum honestate, lege, moribus non pugnet.* Verùm cùm jam demonstraverimus, libertatem testandi de Tutela liberorum, cum honestate, lege, moribus non pugnare, sed prohibitionem potius Testamentariæ tutelæ barbaram esse, & bonis moribus repugnantem; palàm nunc faciamus alterum, nempe: *Nedum liberrimam, sed ne liberam quidem testandi facultatem Electoribus à Neoburgicis relinqui.*

g] p. 21. vers. At hæc Fallacia.

5 NON LIBERRIma, imò nec libera de tutelâ testandi facultas Electoribus à Neoburgicis relinquitur.

LIBERVM quæso quid est (ut nihil in præsenti de Liberrimo dicam) nisi ut saltem possis ea, quæ de jure possunt plebeij, viles & infimi? denique de liberorum tuorum tutela testari, ut qui tui sint & proprii; & legitimo matrimonio & à Deo instituto per te quæsiti, numinisque divini beneficio vel munere, uni tibi concessi, dati; tuaque in potestate (omnium civilium & humanarum gentium lege) constituti; ut hoc ultimum saltem solatium mortis habeas, & hanc extremam & novissimam pietatem erga liberos testeris, ut personas & res liberorum (& sic subditos & eorum bona) in tuto colloces: si alioqui non possis de bonorum Electoralium proprietate vel dominio regulariter vel liberè quovis casu disponere, utpote Consanguineis perpetua fideicommissi lege destinato: ut Adgnato fortè legitimam tutelam exlegem, enormem, absolutam, liberam ambienti, pias & sanctas omnino conditiones imponere possis, quibus & personas & res liberorum tuorum (unà cum subditis & rebus eorum) regat, disponat, & administret; & quas alii Principes innocentissimi non sint recusaturi. Nisi legibus illis de Tutela liberorum testari Electoribus potestatem fecerint Neoburgici: quæso quo jure audent vel audebunt dicere, se Liberrimam potestatem de Tutela testandi Electoribus etiam hodie permittere? Linguam scilicet habebunt Electores (ut alibi dixi) & pro liberis suis non loquentur? Manus habebunt & calamum, nec liberis quem volent tutorem & administratorem, nec quas putaverint conditiones pias & justissimas omnium, tutori adscribent? An hæc liberrima potestas erit hominis (non dico Principis vel Electoris) *linguam* (ut Psaltes loquitur) *habentis*, & pro liberorum tutela *loqui prohibiti? Manus habentis*, & tutorem tamen liberis *adscribere vetiti*: *Oculos & aures habentis*, & *clamorem* tamen liberorum orphanorum commodum Tutorem à patre Electore gemitibus internis efflagitantium *audire vel videre* Bullis *interdicti?* Hîc vicissim quæro, quo jure, quo colore, qua fide possint Neoburgici dicere, se scriptis Lavingæ, Düsseldorpii & Coloniæ excusis ostendisse, *Liberrimam adhuc hodie esse Electoris ultimam voluntatem circa Tutelas*, si Princeps Elector, nec Tutoris quem velit ex Adgnatis (lege tamen non prohibitum) eligendi, nec proximioris justis de causis prætereundi, imò nec ipsius proximioris Adgnati, conditionibus justis adiectis, Tutoris dandi facultatem habuerit? si nullum alium à proximiore Adgnato eligere

Tutorem

Tutorem poterit, imò si illum necesse eligere habebit, qualiscunq; etiam sit? si nullas ei conditiones pias & justas (& quas alius quisque pius, & sanctissimis non minùs moribus prędítus, admiserit, imponere hodie poterit? Quid quòd Neoburgici paulò ante [a] scripserunt? *Si quaratur, an valeat Testamentum, inprimis animadvertere nos debere, an is, qui fecit testamentum, habuerit testamenti factionem*: & illam sententiam Iuris non alium in finem protulerunt, quàm ut Electoris defuncti libertati velut contrariam opponerent, & cum *Testamenti factionem non habuisse*, tacitè innuerent?

a] *p. 23. vers. Unde si quaratur.*

SED NOS cùm de voluntate Testatorum libera & liberrima alibi dixerimus, ad alia transeamus.

¶ *AD VNDECIMAM RESPONsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Palatina.*

VIDENT [b] Neoburgici eos, qui Testamentarias Tutelas Electorales defendunt, & à thesi ad hypothesin descendunt, hoc inter cætera argumento uti posse: *Aurea Bulla non tollit nec prohibet Testamentariam Tutelam, sed illum tantùm casum decidit, qui ab intestato contigit. Atenim hic versamur in causa Testamenti, Iure Divino, Naturæ, Gentium & Civili adprobati, nulla expressa lege contraria revocati, nec prohibiti.*

b] *p. 28. Responsionis Apologetica vers. Replicabunt fortasse.*

QVID Neoburgici prædictis respondent? Suo more ludunt, & aiunt [c], *nempe subterfugium illud Bipontinorum esse*: Bipontinorum prædictas sententias ex Iuris penetralibus depromtas *malum Nodum* vocant: & *ideò malo nodo, malum cuneum quærendum esse*. Secundò, legibus aliquot allegatis & oppositis innuunt [d]: *Bipontinos jus civile calumniari: verba legum captare: transitoriè & negligenter legem Imperialem audire: in leges committere: verba legis amplecti, & contra legis niti voluntatem: pœnas legibus insertas non evitaturos: contra juris sententiam sæva prærogativa verborum fraudulenter se excusare: in* [e] *fraudem legis facere: Salvis enim verbis legis sententiam eius circumvenire: τὸ ῥητὸν sequi, non διάνοιαν: facta con-*

c] *p. 28. vers. Replicabunt. Et vers. Respondemus.*

d] *p. 28. vers. & inprimis hoc monendum.*

e] *p. 29. in pr.*

facta contra legis sententiam inutilia censeri Iustiniani lege. Quærunt inde, *Quid ad hoc Iustiniani præceptum Bipontini responsuri sint?*

QVID? NVLLAM prædictarum accusationum veram, imò in adversarios retorquendas esse. Negant enim & negabunt semper Bipontini, se Ius Civile calumniari, verba legum captare, & à legis sententia discedere. Nimis enim sciunt & urgent Bipontini, aliis etiam in controversiis (mussantibus licet Adversariis suis) *Literam occidere, & Spiritum vitalem seu vivificum esse.* In hac linea vel statione morantur, & moraturi sunt semper Bipontini, & ad illam legem Neoburgicos semper revocaturi, ut hoc deinceps Neoburgicis sine monitore vel nomenclatore constet.

SECVNDO valde notandum est ex illo Neoburgicorum responso, quòd ipsi Neoburgici tacitè fatentur, Bipontinos *verba legum & Bullarum pro se habere*, cùm Bipontinos à verbis ad mentem & sententiam legum ita seriò revocant, quasi Bipontini τὸ ῥητὸν sequantur, Neoburgici verò τὴν διάνοιαν, mentem & sententiam. Vnde colligas licet, Tutelas Electorales Testamentarias verbis saltem legum & Bullarum (Neoburgicorum tacita confessione) niti: non quòd fateri velint Neoburgici, Bullis Aureis, conceptis verbis, Electoribus de Tutela testari permitti: sed quòd (opinor) Bullæ Aureæ non prohibeant verbis conceptis Electores de tutela liberorum suorum testari. Ex contrario quoq; colligas, Neoburgicos pro fundanda legitima Electorali Tutela, Testamentariam (ut ipsi fingunt) excludente, verbis Bullarum destitui: sed Bullarum sententiam (quemadmodum ipsi putant) pro se prætendere. Vt hinc & tertiò colligas, Neoburgicos hactenus nimis jactabundè adseruisse: *Notorium & manifestissimum jus legitimæ suæ Tutelæ Electoralis esse.* Nam illud notorium, non erit (eorum etiam confessione) de Notorio verborum intelligendum, sed de Notorio tantùm mentis accipiendum. quod notorium mentis, non potest in momento sanè cerni, videri, agnosci: sed cognitione Iudicis ordinarii tantùm deprehendi, decidi, finiri: ut ex eo Neoburgici viam juris Ordinarii solam & unicam sibi superesse & relictam esse deprehendant, qua jus suum prætensum & Notorium mentale non visibile possint obtinere.

NEC OBSTABIT hoc Neoburgicorum argumentum. *Quicquid* [a] *lex statuit cum prohibitione sæpius repetita,* NE QVID VNQVAM

a [illegible] verb. Quidquid lex statuit.

QVAM CONTRA FIAT, illi ne per testamentum quidem contraveniri potest. *At Aurea Bulla Caroli IV. conjuncta cum Bulla Sigismundi mandat, ut senior atque proximior Adgnatus sit pupillorum Electoralium Tutor atque Administrator, & quidem cum prohibitione, NE QVOMODOLIBET CONTRA EATVR. Ergò huic mandato ne per testamentum quidem paternum potest CONTRAVENIRI. Per[a] illa namque verba Aureæ Bullæ expressè & evidenter LIMITATVM est testandi arbitrium circa tutelas Electoralium pupillorum: ut scilicet tunc demum valeat, si ea nominetur persona, quæ per Auream Bullam vocata est, scilicet senior & proximior Adgnatus. Qui enim genus prohibet, is speciem non permittit: & qui vult, ut solus senior atque proximior Adgnatus DE IVRE sit Tutor & Administrator, & quidem* PERPETVIS TEMPORIBVS, QVOTIESCVNQVE SCILICET CASVS ITA TVLERIT, VT TVTELA SIT OPVS, *is omnes alias destitutas hac qualitate exclusisse intelligitur.* Non (inquam) obstabit hoc Neoburgicorum argumentum. Quia (ut à Bipontinis antea rectè responsum est) verbis illis Aurearum Bullarum, CONTRAFACERE, CONTRAIRE, CONTRAVENIRE, in Tutelis Electoralibus prohibentur tantùm CONTRAVENTIONES AB INTESTATO: quia de tutelis, illo tantùm casu delatis, Aureæ Bullæ loquuntur: & hoc ita esse, ex ipsis Bullarum verbis demonstro.

CLAVSVLA, NE quid contra fiat.

a] *p. 29. vers. An non igitur.*

BVLLARVM Aurearum simul conjunctarum hæc verba sunt: *Si contigerit Principem Electorem mori, & liberos masculos relinquere defectum ætatis patientes: tunc senior & proximior consanguineus de jure Tutor & Curator esse debeat.* Singula utriusque legis ita conjunctæ verba (licet paucissima sint) diligenter expendamus, & veram sententiam quoad ejus fieri poterit, eruamus.

PRIMVM omnium notandum est, quod lex ait, *si* [b] CONTIGERIT. Hinc enim colligimus, legem loqui de casu non ordinario, sed fortuito, & in Electoralibus Tutelis contingente, & sic de tutelis ab intestato. Nam casus contingens, rarus & fortuitus in Electoralibus familiis est, ut Elector intestatus moriatur. Contrà, casus ordinarius, familiaris, & in familiis Electoralibus usitatus est, ut tanti Principes (quibus cordi sunt & curæ liberi, subditi, bonaque Electorali familiæ destinata) liberis (præsertim masculis) Tutorem vel Curatorem aliquem relinquant. Et hoc etiam fatentur Neoburgici, in tot adeò Principi-

b] *Vel ut in Bulla Caroli IV. est, si contingeret.*

CLAVSVLA, SI contigerit, in Bullis Aureis quam potestatem habeat.

bus Electoralibus Palatinis, & tanto Principum Electorum numero, vix unum aut alterum intestatum decessisse. Apparet igitur verbis, SI CONTIGERIT, legem loqui de Electoribus intestatis mortuis, & sic de Tutelis Electoralibus ab intestato: quæ *contingentes*, id est, raræ dici possunt, si cum Testamentariis conferantur: quia (ut antea dictum est) Electores rarò intestati, passim verò vel semper testati decedunt.

RELINQVENDI verbum in Bullis Aureis quam vim habeat.

SECVNDÒ notandum est, quod Lex ait, *Si Principem Electorem contigerit RELINQVERE liberos defectum ætatis patientes*. Verbum enim RELINQVENDI casum etiam intestati demonstrat magis quàm testati: tunc quippe maximè liberos suos RELINQVERE paterfamiliâs censetur, cùm intestatus moritur, & nullo testamento liberis prospexit. Nam si testatus Elector fuisse dicetur, vel probabitur, non ita propriè liberos suos reliquisse dicendus est: utpote quibus Testamento condito (paterno quo potuit animo vel affectu) consuluit & cavit. Habent illo saltem casu liberi, si non patrem ipsissimum præsentem, at certè testamentum ejus ultimumque elogium. Pater hoc casu liberos penitus, *orphanos reliquisse* dici non potest [a]. Testamentum enim patrisfamilâs præsentiam ejus supplet: ut & alibi litigatoris absentiam, DEI (id est, divinarum & sacrarum Scripturarum in Judicio vel Jure, ante conspectum & tribunal Judicis & Adsessorum positarum) præsentia recordatio vel memoria supplere dicitur.

a] *l. properandum. 15 §. Cùm autem eremodicium. 4. Cod. de Iudicib.*

TERTIÒ notanda valde est, & prædictis duabus vocibus adjungenda, salutaris illa Sigismundi Clausula, vel (quæ [b] vice nominis fungitur) Demonstratio. Ait enim, *Si contigerit Principem Electorem liberos relinquere defectum ætatis patientes, quod TVNC senior & proximior Consanguineus eorum DE IVRE TVTOR ET CVRATOR ESSE DEBEAT*: Id est, (quod sæpe jam diximus) ut tunc proximior Adgnatus esse debeat Tutor & Curator, sicut alii Adgnati de Jure sunt Adgnatis suis Tutores. At Adgnati tum demum suis Adgnatis impuberibus sunt Tutores, quoties [c] pupillorum parens intestatus est defunctus, non autem quoties est testatus.

b] *l. certum. π. si certum petetur: l. Nominatem. 34. π. de condit. & demonstrat.*

CLAVSVLA: DE IVRE Tutor & Curator esse debeat: expenditur.

c] *Inst. de legitima Adgnatorum Tutela, in pr.*

QVARTÒ notanda est particula TVNC in Bullis posita. Demonstrat enim, proximiorem & seniorem Adgnatum TVNC Tutorem & Curatorem esse debere: id est illo tantùm casu de quo Bullæ loquuntur: nempe quoties contingit Principem Electorem liberos impuberes reliquisse, id est, quoties casus aliquis contingens & fortuitus vo-

PARTICVLA TVNC in Bullis posita, exponitur.

cem

cem vel facultatem patri seu Electori abstulit, ut liberos impuberes sine custode sive Tutore relinquat, id est, ut de liberorum suorum tutela testari non potuerit. TVNC enim, id est, illo casu proximior & senior Adgnatus (regulariter scilicet, & si nihil aliud extrinsecus oberit vel obvenerit) Tutor & Curator esse ab intestato debebit, & ita supplere, quod pater morte præventus non potuit.

Dictio DEBEAT explicatur.

QVINTÒ facit etiam vox & particula DEBEAT, Bullæ Sigismundi non alium in finem inserta, quàm ut proximior & senior Adgnatus intelligat, aliam quàm DE JVRE Jurique Communi cognitam Tutelam sibi adserere non posse, & illa Tutela contentum esse debere; vt præter & contra Jus Commune Tutelam aliquam anomalam, testamentarias subruentem, ne cogitet neve adfectet: quòd scilicet lex velit eum DE JVRE Tutorem & Curatorem esse debere. Debet itaque & cogitur, velit, nolit, illa de jure Tutela vulgari, communi, contentus esse, nec plus ultra quidquam sibi sumere, vel sperare, nisi pœnis Bullarum velit subjici.

NEC JVVARE poterit Neoburgicos clausula[a]: *HÆC LEX PERPETVIS TEMPORIBVS inviolabiliter servetur.* Non enim *primò* dispositioni illi de Tutelâ immediatè annexa vel subjecta est, sed aliis locis posita. *Secundò* etiamsi isthic adjecta foret, non tamen intelligenda esset, (ut Neoburgici perperam exponunt [b]:) *Quotiescunq; casus ita tulerit, ut Tutela sit opus.* Prava enim & contorta hæc interpretio est latior quippe & generalior est legis mente: plusque juris sumit vel tribuit, quàm Aurea Bulla proximiori & seniori Adgnato contulit vel dedit. Quid ita? Quia Bulla uno tantùm casu proximiorem & seniorem Adgnatum Electoralem ad Tutelam vocat, quoties scilicet Elector intestatus decessit: & illo tantùm casu Tutelâ opus est, ut multis paulò ante probavimus. At Neoburgici volunt verbis, PERPETVIS TEMPORIBVS, proximiorem & seniorem ad Tutelam Electoralem, omni casu, generaliter & indistinctè vocari, QVOTIESCVNQVE Tutela opus est: sive Elector intestatus, sive testatus decesserit. Sanè Glossa hujusmodi, textum (ut loquuntur nostri) destruit: quia Tutelam (de qua lex nunquam cogitavit) parit in [c] monstrum & prodigium aliquod declinantem, id est pia parentum ultima elogia funditus evertentem: adeò ut illa Neoburgicorum interpretatione, nec tristior, nec infelicior, nec deterior proferri ab aliquo possit, licet Scytha vel

a] *p. 30. vers. Quid vero. ibi, perpetuis temporibus.*

CLAVSVLA: HÆC LEX PERPETVIS TEMPORIBVS inviolabiliter & sine innovatione servetur.

b] *pag. 30. vers. Qui vult ibi. perpetuis temporibus, quotiescunque scilicet casus ita tulerit, ut Tutela sit opus.*

c] *vide. l. 3. in fi. Cod. de posthumis heredibus instit.*

Tartarus extiterit. Quid igitur? quæ nostra sententia vel interpretatio fuerit? Hæc lex de tutelis Electoralibus ab intestato perpetuis temporibus inviolabiliter servetur, & testamentaria interim tutela patri Electori omnimodis permittatur. Quid hac quæso interpretatione civilius, honestius & sanctius? quid ad jus Naturæ, Divinum, Canonicum, Civile, Electorale, omne denique propius?

a]p 30. vers. Quid verò. ibi. Quomodolibet contraire. & vers. Prohibitus.

CLAVSVLA, huic legi QVOMODOLIBET contravenire non licere.

NEC OBSTABIT rursus Clausula generalis Bullis inserta: *Huic legi QVOMODOLIBET* [a] *CONTRAIRE non liceat*: ex qua colligunt Neoburgici, *ne quidem per testamentum Electoris posse prædictæ Bullæ contraveniri*: *quia* (inquiunt) *qui genus prohibet, speciem quoque prohibet*. Nam ut hoc *primum* respondeamus, prędicta Clausula, quæ ad finem Bullæ de stylo Cancellariæ est addita; etiamsi ad hunc ipsum locum de Tutela specialiter (ut non est) esset adjecta, tamen necessariò foret ex prædictis limitanda. & ad casum de quo Bullæ senserunt, revocanda, non ad casum tutelæ Testamentariæ, quæ nec verbis nec sententiâ Bullarum interdicta vel prohibita est. Sensus itaque hic Bullarum fuerit: *Nulli liceat Bullis tutelam Electoralem ab intestato proximiori & seniori Adgnato deferentibus QVOMODOLIBET contraire*. Nulli, inquam, id est, Adgnato. Nam Bullæ ad Adgnatos directæ sunt: Adgnatos tantùm obligant,& tutelæ onere gravant: atq; ita Adgnatos tantùm prohibent prædictis Bullis *QVOMODOLIBET contravenire*: Electores verò ipsos ne minimo quidem apice tangunt, nec eis testamenti factione interdicunt: ut consequenter piæ memoriæ Princeps Elector, qui Testamentum de liberorum Tutela condidit, Bullis *QVOMODOLIBET* contravenisse censeri non possit. *Secundò*. Clausula, *Nulli liceat QVOMODOLIBET contraire*, quantumvis generalis & lata sit, dispositiones tamen necessarias, (quas scilicet vel casuum novorum vel emergentium incursus extorquet, vel rerum æquitas summa persuadet) non evertit. Quia necessitas ipsa lex est, cui resisti non potest. Nec est credendum (ut ad mentem Bullarum Neoburgicos pari disputandi lege revocemus) Carolum IV. & Sigismundum unica illa voce QVOMODOLIBET (quæ sanam & æquam adhuc interpretationem admittit) vim totam Testamentariarum tutelarum evertere voluisse: & in re tam seria, tantique adeò momenti, unico illo verbulo (temperamentum etiam justum recipiente) jus testandi de liberorum Tutela pium sanctum, honestum, sacrosanctum & inviolabile, & parentibus omni jure non modò concessum, sed etiam debitum, adimere in animo habuisse

buisse [a]. Nefas est enim Clausulis illis, licet latioribus, ad totius juris tutelaris testamentarii perniciem & eversionem abuti: præsertim cùm (ut antea dictum est) ex æquo & bono voces huiusmodi generales & effusæ, & de stylo Curiæ magis consuetæ, quàm magnam emphasin habentes, restrictionem & limitationem patiantur. Maneat itaque & sit hæc prædictæ legis Aureæ Bullæ unica veraque sententia: *Proximior & senior Adgnatus de Iure tutor & curator esse debeat, id est, esto: intra limites illos se contineat, quo cæteri Adgnati de jure tutores, & sic testamentariis tutoribus cedat: perpetuis temporibus lex illa à seniore & proximiore Consanguineo inviolabiliter & sine innovatione qualibet servetur: nec quomodolibet prædictæ legi contraveniat: nec novam & inauditam præter & contra Ius Commune, Tutelæ speciem quovis modo vel colore inducat, petat, urgeat.*

Sed pergamus ad alia.

NON ETIAM obstabit, quod quæritant Neoburgici: *An* [b] *non igitur* (inquiunt) *satis manifestè, disertè, expressè & evidenter limitatur arbitrium circa tutelam Electoralium pupillorum, ut scilicet tunc demum valeat, si ea nominetur persona, quæ per Auream Bullam vocata est, scilicet senior & proximior Agnatus?* Id enim quæritant pessimè, cùm alibi [c] testentur, se scriptis aliquot ex Bullis Aureis ostendisse: *LIBERRIMAM adhuc hodie esse Electorum ultimam voluntatem, tam circa Tutelas, quàm circa hereditates.* Si liberrima (ut dicunt) potestas testandi de Tutela Bullis Aureis Electoribus est permissa: quâ confidentiâ nunc audent dicere, *Electorum circa Tutelas LIMITATVM arbitrium esse, ut tum demum valeat eorum de Tutela testamentum, si seniorem tantùm & proximiorem adgnatum per Auream Bullam vocatum, nominaverint?* Missis sanè Philosophis & Theologis, si nostros, id est, Iurisconsultos audiemus & sequemur: LIBERVM dici non posse reperiemus, quod lege cogente perficitur. Ac proinde donari [d] non videtur, quod Iure cogente conceditur. Facultas [e] necessariæ electionis propriæ liberalitatis beneficium non est. Et nemo [f] liberalis in necessitatibus existit. Eadem ratione liberrimam parentum, liberorum, vel fratrum, voluntatem dicere non possis legitimam tantum liberis, parentibus vel fratribus relinquentium: quòd necessitatem, legitimam portionem relinquendi, velut debitam, prædictis personis lex [g] imponat. Sic necessarium [h] heredem liberrimum vel liberum esse dicere non possis: quòd ipsi non liceat aliud facere, quàm quod lege sit præceptum. Sicuti Liberrimum dicere non possis,

a] *l. si quando. Cod. de inofficioso.*

b] *p. 30 vers. Annon igitur,*

c] *p. 21. vers. At huic fallaciæ.*

d] *l. donari 29. ff. de donationib. l. donari 82. ff. de regul. juris. l. velles nec ne 6. Cod. de revoc. donationeib.*

e] *l. unum 67. §. 1. ff. de legat. 2.*

f] *l. Rem legatam. 18. in fin. ff. de adimendis legat.*

g] *Novell. 1. in pr.*

h] *l. obligamur 52. §. necessitate. 7. ff. de obligat.*

quod contractu [a] obligatus facere sis obstrictus. Contractus enim ab initio, libertatis & voluntatis sunt: ex post facto verò, necessitatis.

a] *l. sicut initio libera 5. Cod. de obligat.*

NEC RVRSVS Neoburgicos juvabit, quod notant [b]: *Quendam ex Bipontinis in privata conversatione dixisse, interdictam quidem Bullis Aureis Electoribus per contractum disponendi facultatem: caeterùm verba* [c] *CONTRAXERVNT & GESSERVNT, ad jus testandi non pertinere: id est Bullam Auream non abrogare Electoribus liberam circa Tutelas disponendi facultatem*: & quòd iidem Neoburgici dicant, *argumentationem illam egregiam & dignam, quae rideatur*: & illum hominem, BONVM HOMINEM appellent *& conformitate Religionis ad partes Bipontini tractum*: adhaec, quòd regulam illam ex Vlpiani XII. ad Edictum exponere conentur hoc modo: *capite diminutum filiumfamiliâs & restitutum in integrum, ita ut contrahere & gerere possit, non* [d] *tamen testari posse.* Nam *primò* non constat, quem hominum hîc designent ac rideant. Deinde nihil obstat, quominus regulam illam Vlpiani latiùs pro generali definitione Juris sumamus, & differentiam inter contractus & testamenta ex illo Vlpiani loco constituamus: ut quod de uno statutum & dispositum fuerit, ad alterum non protinus extendamus. Et verò missis veterum & Neoburgicorum interpretationib. (si licet nobis esse tam disertis & ingeniosis, ut & Neoburgicis) poterimus ex eodẽ Vlpiani libro ad Edictum XII. praedictam differentiam contractuum & ultimarum voluntatum liquidò monstrare: verbi gratia, prohibitum [e] testari non prohiberi contrahere: sumto eum in modo à contrario sensu argumento. Dubitans de statu suo testari prohibetur: Igitur contrahere non vetatur. Et retrò. Gestum [f] vel contractum falso tutore autore à minore XXV. annis Praetor ratum in ipsius minoris praejudicium non habet. Quid si minor XXV. annis, pubes tamen, falso tutore autore testamentũ fecit? Sanè Praetor id ratum habebit omnimodo, etiam non inspecta Tutoris vel Curatoris autoritate. Quia Praetoris edictum pertinet tantùm ad *Contracta Gestaq. falso tutore autore*: non autem pertinet ad testamenta à minoribus puberibus confecta. Vnde constat, verba *Contraxerunt & gesserunt*, ad testandi jus non pertinere.

b] *p. 30. vers. Neque potest Bipontinus.*
c] *l. 20. π. de V. S.*
d] *l. filiumfamiliâs 14. π. de testament. l. nemo. 11. Cod. eod.*
e] *Arg. l. 15. π. qui testamenta facere possunt.*
f] *Vlp. 12. Ad edictum scripsit de eo quod falso tutore autore gestum est ut apparet ex l. 1. 3. 5. 7. 9. 11. π. Quod falso tutore.*

NEC ETIAM juvabit Neoburgicos Syllogismus ab ipsis in Vlteriori Neoburgica Informatione propositus, quem dicunt [g] se PROPTER JVNIORES repetere: Syllogismus inquam hic: *Statutis à lege cum prohibitione, Ne quid vnquam contrafiat, ne per testamentum quidem patris contraveniri potest. Sed Bullae mandant, ut senior & proximior Adgnatus sit pupillorum Electoralium Tutor, & quidem cum sapius repetita*

g] *p. 31. Vers. Aut igitur.*

tita prohibitione, Ne quid contra fiat. Ergo huic mandato & prohibitioni ne per testamentum quidem paternum potest contraveniri. Nam licet JVNIORES Neoburgicis Didascalis videamur, non pigebit tamen pro ætatis nostræ modulo, ad illum Syllogismum breviter respondere, & servatis verbis Aureæ Bullæ præcipuis & fundamentalibus (ita ut à scopo fineque Bullarum non decrremus vel minimùm) Syllogismum illum reformare ad sequentem modum conabimur. *Quidquid lex statuit de proximiore & seniore Adgnato, ut de Iure Tutor & Administrator esse debeat, cum prohibitione sæpius repetita, Ne quid contra fiat: id etiam à proximo & seniore Adgnato servari oportet, ne quid unquam quomodolibet ipse contrafaciat. Sed Aureæ Bullæ volunt, ut proximior & senior Adgnatus de Iure Tutor & Administrator esse debeat, si contigerit Principem Electorem liberos impuberes relinquere: Et prohibet lex, ne quomodolibet tali legi contraveniatur. Igitur proximior & senior Adgnatus inviolabiliter legem illam servare debet nec quomodolibet tali legi contravenire: Et consequenter, non potest Tutelam Electoralem sperare, usurpare, gerere, nisi velut Tutor quilibet alius de Iure: id est ut quivis alius Adgnatus ad Tutelam Adgnati legibus vocatus: & sic ut quivis alius Tutor de Iure (legitimus scilicet & ab intestato) deficiente tantum testamentario Tutore, Tutor est & esse debet: & proinde Tutori testamentario & Testatoris ordinationi cedere tenetur. Hac enim conditio est Adgnatorum omnium, qui de Iure Tutores & Curatores esse debent. Et breviter, tali legi vel conditioni proximior & senior Adgnatus quomodolibet contravenire non debebit: QVOMODOLIBET (inquam): id est ne quidem sub prætextu, specie & colore Tutelæ cujusdam anomalæ, noviter natæ, & extraordinariæ, præter & contra Ius Commune conficta vel inducta: quia DE IVRE tantum Tutor esse debet, non præter & contra Ius.* Et ita quidem nos JVNIORES sive Moderni, ad illum Neoburgicorum Syllogismum respondemus simplicissimè: non decrrantes (ut promissum superiùs fuit) à vero scopo sive quæstione seu controversia præsenti, ut nec à Jure Communi ejusq; Cynosura: Sed statum causæ in proximiore & seniore Adgnato (qui DE JVRE TVTOR & Administrator esse debet) posuimus; adgnoscentes eum liberè & ingenuè pro Tutore DE JVRE, id est, legitimo & in casu juris, quod est ab intestato: non autem somniantes aut fingentes Tutelam aliquam præter & contra Jus Commune, ut faciunt Neoburgici: quòd hæc toto genere contraria sint: *Tutorem de Iure esse debere, & præter Ius, imò contra Ius apertum, Tutorem esse velle.* Bullę quippe volunt, ut proximior & senior Adgnatus de JVRE Tutor esse debeat: Neoburgici contra volunt, ut sit

SYLLOGISMVS Neoburgicorum reformatur.

ut sit præter & contra Ius Commune, novo quodam in Novo orbe novè reperto iure. Quæso quid magis alienum à verbis & sententia Bullarum, quàm hoc Neoburgicorum paradoxon vel magis somnium?

¶ *AD DVODECIMAM RESPONsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

Hariolantur [a] Neoburgici, Bipontinos hoc usuros fortassis argumento. *Omnia statuta exorbitantia à Iure Communi (teste* [b] *Baldo) strictissimè accipienda sunt, ut quamminimum lædant Ius Commune. Igitur & Bulla Aurea deferens proximiori & seniori Adgnato Electorali Electoralem tutelam, à Iure Communi exorbitans, strictè accipienda est: ut scilicet dicatur hujusmodi tutelam proximiori & seniori Adgnato ab intestato deferri, id est, nullo testamento existente Electoris, non si aliquod Electoris testamentum extiterit. Nam ad eum modum statuta quædam & leges restringuntur ad causam intestati, nec locum obtinent testamento facto, nec testamenti factionem prohibent. Verbi* [c] *gratiâ. Statutum vetat fœminas extantibus masculis succedere? Stantibus masculis ab intestato quidem non succedent fœminæ, sed tamen ex testamento paterno succedere poterunt. Societas ita coita est, ut si qua justa hereditas alterutri sociorum obvenerit, ea sit communis? Ab intestato delata successio communicabitur, non tamen testamentaria. Lex defert proximiori & seniori Adgnato tutelam? Eadem ratione dixeris, ab intestato tantùm tutelam deferre, non autem testamento condito.*

a] *p. 31. vers. At ne silere videantur Bipontini.*

b] *l. 1. vers. alio statuto Cod. de legitimis heredib. l. ita nobis pudor 12, Cod. ad l. Iul. de adult.*

c] *p. 32. in pr.*

Neoburgici quid ad hæc objecta respondent? Nihil quod nobis satisfacere possit vel debeat.

Primum enim non movet, quod aiunt [d] Neoburgici: *Statutum excludens fœminas stantibus masculis, non aliter eas ex testamento admittere, nisi hoc expressè permiserit, vel saltem non prohibuerit: secus fore, si statutum velit, ut SEMPER extantibus masculis fœminæ excludantur, vel VT NVNQVAM succedant fœminæ nisi deficientibus masculis, omni contraria ordinatione vel innovatione interdicta. Tunc enim dispositionem testamentariam statuto prohibenti contrariam nullam vim habere, vel ipso Baldo teste.* Hæc enim comparatio tutelis Electoralibus aptari nullo modo

d] *pag. 32. vers. sed utrobique facilis est responsio.*

modo potest. Non enim pariter in Bullis Aureis reperient Neoburgici cautum vel dispositum verbis conceptis esse: *ut testamentarii tutores ab Electore dati SEMPER excludantur à legitimis*: Nec etiam invenient in Bullis statutum esse: *ut Tutores ab Electore NVNQVAM Testamento dentur:* imò ex Bullis hanc consequentiam duci audient Neoburgici: Bullæ volunt, ut proximior & senior Adgnatus DE IVRE tutor esse debeat, id est, ut alii DE IVRE sunt tutores, qui testamentariis cedunt: Ergò Bullæ non volunt testamentarium tutorem semper à legitimo excludi. Vel ita: Bullæ nusquam & nunquam prohibuerunt, tutorem testamento ab Electore dari: Igitur Bullæ volunt proximiorem & seniorem Adgnatum Electoralem à testamentario tutore excludi, ut DE IVRE adgnati à testamentariis tutoribus excluduntur.

NEC CONSEQVENS est: *Aurea* [a] *Bulla non vult tantùm, ut senior proximiorque adgnatus sit tutor, sed etiam prohibet, NE QVID CONTRA FIAT. Igitur Elector de tutela testari non potest.* Nam (ut sæpius ac sæpius diximus) hæc omnia ab intestato, id est, nullo existente testamentario tutore, intelligenda sunt, hoc sensu: ut scilicet intestato Electore mortuo, nihil contra dispositionem Bullarum Aurearum fiat ab Adgnatis. Hæc Bullarum sententia est, sive verba sive mentem earum spectemus. *Verba* (inquam): quæ manifestissima sunt, & proximiorem & seniorem Adgnatum DE IVRE tutorem esse debere volunt, id est, legitimum tantùm, & ab intestato, & in illum gradum post testamentarium detrudunt. *Mentem* verò: quia nec Imperatores ipsi (Carolus IIII scilicet & Sigismundus) sponte sua Testamenti de Tutela factionem tantis Principibus, id est Electoribus ademerunt: nec qui tunc Palatini Electores fuerunt, tam absurdam legem ab Imperatoribus ultro unquam flagitarunt, nedum acceperunt: nec qui Consanguinei Electores tunc extiterunt, duram adeò & iniquam legem Electoribus imposuisse, vel imponere potuisse præsumendi sunt: nec præsumendæ sunt Bullæ quatuor vel quinque vocibus (quæ alioqui æquam & honestam interpretationem admittunt) Ius Commune tutelarum Testamentariarum sustulisse, & Electores infra plebeios ea parte deiecisse vel detrusisse. Nec bonum ullum publicum, liberorumve Electoralium ipsorum, in huiusmodi portentosa & plusquam Tyrannica prohibitione Tutelaris dispositionis, à Neoburgicis notari vel demonstrari potest.

a] *p. 33. lin. 1.*

a] *p. 33. in pr.*

NEC AVDIENDI sunt Neoburgici, cùm aiunt [a]: *Electores non posse de tutela testari, ne quid contra Bullas faciant: nec interim tamen illis adimi testamenti factionem. Liberam enim illis facultatem esse testandi, sed ita, ne in legem impingant. Nec in eo duriorem fore aut deteriorem Electorum quàm cæterorum aliorum hominum conditionem. Leges enim æqualiter ab omnibus observandas esse.* Hæc enim repugnant inter se: liberam testandi facultatem habere, & tamen de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium tutela pro lubitu testari non posse. Quæro siquidem, quid vox *liberum* vel *liberrimum* demonstret? an coactum & necessarium, quod sequi præcisè tenearis, & mutare, licet maximè velis, non possis? vel quod arbitrii tui non sit, sed necessitatis? Antistites suos Neoburgici consulant, & quid αὐτεξούσιον & liberum sit, ab illis audiant. Velle quidem & facere liberè possumus quod jubemur, & jussis voluntatem spontaneam adjungere. Atenim velle vel facere non posse, nisi quod jussus sis, dico nec liberrimum, nec liberum, sed coactum prorsus & necessarium. Et ita quidem velle [b] non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini, id est, qui à patre vel domino cogitur: quia dicitur tunc potiùs pati quàm agere. Et voluntas illa non est simplex, vera, propria, integra: sed vel coacta, vel nulla, nec ex [c] libero mentis arbitrio profecta.

b] *l. velle. 4. π de regulis jur. ubi vide Decium & Interpretes l. nolle. 4. π. de Adq. heredit.*
c] *15. q. 1. c 1. §. ex voluntate.*

d] *p. 33. in pr.*
DETERIORIS conditionis & minùs liberi in tutelis fiunt Electores a Neoburgicis, quàm plebeii sint.

NEC FERENDI sunt etiam Neoburgici, cùm aiunt [d]: *In eo duriorem aut deteriorem Electorum quàm omnium aliorum hominum conditionem non esse: quòd leges æqualiter omnes teneant.* Non enim hîc quæstio est: an Electores legibus obtemperare debeant, ut cæteri alii homines: et in eo sint durioris vel melioris conditionis, quàm cæteri? Sed quæstio est in individuo: Vtrum Electores possint de liberorum suorum Tutela æquè liberè testari, ut alii cæteri homines? Neoburgici negant: ac propterea Palatini in individuo rectè colligunt, Electorum conditionem in Tutelis duriorem & deteriorem quàm plebeiorum hominum à Neoburgicis reddi: & in illam sententiam Electoribus propudiosam Bullarum verba obtorto collo trahi, merisque sarcasmis Electoribus illudi, cùm dicunt Neoburgici, se liberam, imò liberrimam de Tutela testandi facultatem eis permittere, & linguam tamen & manus interim Electorum ipsorum ita constringunt, ut nullum alium liberis suis Tutorem dare possint, præter unum illum proximiorem & seniorem Adgnatum. quid amplius? ut æquissimas licet administrandæ restituendæq; Tutelæ conditiones, non queant illi uni proximio-

proximiori & seniori Adgnato imponere: veluti si constricto loris alicui diceretur, *Ave liberrime Elector*.

NEC MOVET etiam Neoburgicorum ad ea, quæ de coita societate superiùs dicta sunt, Responsio [a]. Nam si (quod fatentur ipsi) coita societate justæ hereditatis delatæ communicandæ, nomen justæ vel legitimæ hereditatis ad testamentariam successionem non extenditur, ne societas contracta ad eam hereditatem porrigatur, de qua contrahentes ne cogitasse quidem præsumuntur: quòd propriè & stricta appellatione *justæ & legitimæ hereditatis* ea solùm successio veniat, quæ ex lege & ab intestato defertur: Idem sanè dicendum fuerit, in hac tutela Electorali proximiori & seniori Adgnato Bullis delata, ut illa scilicet tantùm tutela intelligatur, quæ DE IVRE, id est legitima & ab intestato sit. Cur enim justam hereditatem dixeris eam, quæ ab intestato est: justam verò tutelam eam quæ DE IVRE & ab intestato sit, pariter non censebis?

a] *p. 33. Vers. quod verò de coita societate*.

NEC AVDIENDI sunt Neoburgici, cùm aiunt [b]: *verbis Bullæ repugnare eam interpretationem, quòd hæc vox DE IVRE in Bulla Carolina non habeatur*. Nam licet hæc vox DE IVRE in Bulla Carolina expresse adscripta (quis dubitat, an subintelligenda?) non sit, est tamen in Sigismundi Bulla, quæ Carolinam declarat, & IDEM se repetere, innovare & cõfirmare testatur. Nec illam vocem Sigismundi præterire possunt Neoburgici: cùm ex unica Bulla & Declaratione Sigismundi Consanguineus ultra fratrem sit vocatus: & ex illa unica Bulla proximior & senior Adgnatus Electoralis ad tutelam Electoralem vocetur & admittatur: atque ita non in Caroli, sed Sigismundi solâ Bullâ prætensio Neoburgensium in speciem aliquam pertenuem fundari possit, ut alibi diximus. Nec puto ferrent Neoburgici hoc Bipontinorum argumentum. *Adgnati proximioris & senioris ultra fratrem non fit in Bulla Caroli IIII. mentio. Igitur proximior & senior Adgnatus Electoralis ad tutelam Electoralem hodie non est admittendus*. Non inquam ferrent hoc Neoburgici Bipontinorum argumentum. Sufficit enim illis, in sua imaginativa prætensione, Consanguinei mentionem in Sigismundi Bulla fieri, licet in Caroli IIII. Bulla Consanguinei nulla mentio sit: cùm etiam nihil intersit hac vel illa Bulla vox *Adgnati* contineatur: Quia ita connexa

b] *p. 19. Verbis quidem*.

a] *p. 33. in pr.*

NEC AVDIENDI sunt Neoburgici, cùm aiunt [a]: *Electores non posse de tutela testari, ne quid contra Bullas faciant: nec interim tamen illis adimi testamenti factionem. Liberam enim illis facultatem esse testandi, sed ita, ne in legem impingant. Nec in eo duriorem fore aut deteriorem Electorum quàm caeterorum aliorum hominum conditionem. Leges enim aequaliter ab omnibus observandas esse.* Hæc enim repugnant inter se: liberam testandi facultatem habere, & tamen de liberorum, subditorum & bonorum Electoralium tutela pro lubitu testari non posse. Quæro siquidem, quid vox *liberum* vel *liberrimum* demonstret? an coactum & necessarium, quod sequi præcisè tenearis, & mutare, licet maximè velis, non possis? vel quod arbitrii tui non sit, sed necessitatis? Antistites suos Neoburgici consulant, & quid αὐτεξούσιον & liberum sit, ab illis audiant. Velle quidem & facere liberè possumus quod jubemur, & jussis voluntatem spontaneam adjungere. Atenim velle vel facere non posse, nisi quod jussus sis, dico nec liberrimum, nec liberum, sed coactum prorsus & necessarium. Et ita quidem velle [b] non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini, id est, qui à patre vel domino cogitur: quia dicitur tunc potiùs pati quàm agere. Et voluntas illa non est simplex, vera, propria, integra: sed vel coacta, vel nulla, nec ex [c] libero mentis arbitrio profecta.

b] *l. Velle. 4. π de regulis jur. ubi Vide Decium & Interpretes l. nolle. 4. π. de Adq. heredit.*
c] *15. q. 1. c. 1. §. ex voluntate.*

NEC FERENDI sunt etiam Neoburgici, cùm aiunt [d]: *In eo duriorem aut deteriorem Electorum quàm omnium aliorum hominum conditionem non esse: quòd leges aequaliter omnes teneant.* Non enim hîc quæstio est: an Electores legibus obtemperare debeant, ut cæteri alii homines: et in eo sint durioris vel melioris conditionis, quàm cæteri? Sed quæstio est in individuo: Vtrum Electores possint de liberorum suorum Tutela æquè liberè testari, ut alii cæteri homines? Neoburgici negant: ac propterea Palatini in individuo rectè colligunt, Electorum conditionem in Tutelis duriorem & deteriorem quàm plebeiorum hominum à Neoburgicis reddi: & in illam sententiam Electoribus propudiosam Bullarum verba obtorto collo trahi, merisque sarcasmis Electoribus illudi, cùm dicunt Neoburgici, se liberam, imò liberrimam de Tutela testandi facultatem eis permittere, & linguam tamen & manus interim Electorum ipsorum ita constringunt, ut nullum alium liberis suis Tutorem dare possint, præter unum illum proximiorem & seniorem Adgnatum. quid amplius? ut æquissimas licet administrandæ restituendæq; Tutelæ conditiones, non queant illi uni proximio-

d] *p. 33. in pr.*
DETERIORIS conditionis & minùs liberi in tutelis fiunt Electores a Neoburgicis, quàm plebeii sint.

proximiori & seniori Adgnato imponere: veluti si constricto loris alicui diceretur, *Ave liberrime Elector*.

NEC MOVET etiam Neoburgicorum ad ea, quæ de coita societate superiùs dicta sunt, Responsio [a]. Nam si (quod fatentur ipsi) coita societate justæ hereditatis delatæ communicandæ, nomen justæ vel legitimæ hereditatis ad testamentariam successionem non extenditur, ne societas contracta ad eam hereditatem porrigatur, de qua contrahentes ne cogitasse quidem præsumuntur: quòd propriè & stricta appellatione *justa & legitima hereditatis* ea solùm successio veniat, quæ ex lege & ab intestato defertur: Idem sanè dicendum fuerit, in hac tutela Electorali proximiori & seniori Adgnato Bullis delata, ut illa scilicet tantùm tutela intelligatur, quæ DE IVRE, id est legitima & ab intestato sit. Cur enim justam hereditatem dixeris eam, quæ ab intestato est: justam verò tutelam eam quæ DE IVRE & ab intestato sit, pariter non censebis?

a] *p. 33. Vers. quod verò de coita societate*.

NEC AVDIENDI sunt Neoburgici, cùm aiunt [b]: *verbis Bullæ repugnare eam interpretationem, quòd hæc vox DE IVRE in Bulla Carolina non habeatur*. Nam licet hæc vox DE IVRE in Bulla Carolina expresse adscripta (quis dubitat, an subintelligenda?) non sit, est tamen in Sigismundi Bulla, quæ Carolinam declarat, & IDEM se repetere, innovare & cõfirmare testatur. Nec illam vocem Sigismundi præterire possunt Neoburgici: cùm ex unica Bulla & Declaratione Sigismundi Consanguineus ultra fratrem sit vocatus: & ex illa unica Bulla proximior & senior Adgnatus Electoralis ad tutelam Electoralem vocetur & admittatur: atque ita non in Caroli, sed Sigismundi solâ Bullâ prætensio Neoburgensium in speciem aliquam pertenuem fundari possit, ut alibi diximus. Nec puto ferrent Neoburgici hoc Bipontinorum argumentum. *Adgnati proximioris & senioris ultra fratrem non fit in Bulla Caroli IIII. mentio. Igitur proximior & senior Adgnatus Electoralis ad tutelam Electoralem hodie non est admittendus*. Non inquam ferrent hoc Neoburgici Bipontinorum argumentum. Sufficit enim illis, in sua imaginativa prætensione, Consanguinei mentionem in Sigismundi Bulla fieri, licet in Caroli IIII. Bulla Consanguinei nulla mentio sit: cùm etiam nihil intersit hac vel illa Bulla vox *Adgnati* contineatur: Quia ita connexa

b] *p. 13. Verbis quidem*.

& unita est Sigismundi Bulla, Carolinæ interpres, ut una ferè censenda sit Constitutio, non duplex. Vnde colligo, incivile [a] admodum esse, Neoburgicos Caroli IIII. Bullam, in qua vox illa DE IVRE TVTOR non extat, legere, & Sigismundi tamen Bullam præterire, quæ prædictam clausulam, DE IVRE *Tutor & Curator esse debeat*, expressam continet.

a] *l. incivile. ff. de legib.*

b] *p. 33. vers. Menti.*

INTERPRETATIO Bipontinorum menti Bullæ Sigismundi non repugnat.

CLAVSVLA, DE IVRE TVTOR esse debeat, Neoburgicis non intellecta, sed corrupta.

NEC SVNT audiendi pariter Neoburgici, cùm dicunt [b]: *prædictam Bipontinorum interpretationem* (ut scilicet proximior Adgnatus ad tutelam Electoralem ab intestato tantùm Bullis Aureis sit vocatus) *menti Bullæ Sigismundi liquidò repugnare: quòd per illam adjectionem verborum DE IVRE hoc solum innuere voluerit Sigismundus, seniorem & proximiorem Adgnatum pupillorum Electoralium tutorem solum esse debere, DE IVRE denique, id est, ipso jure & providentia legis, & Aurea Bulla autoritate, sine facto alicujus, & non attenta cuiusvis hominis contraventione aut impedimento: prout quondam solenni consessu defuncti Electoris, & præcipuorum eius Consiliariorum & Officialium Heidelbergæ à Marquardo Frebero Consiliario Electorali, explicata sunt: & huic interpretationi etiam convenire verba illa germanica*, von Rechts wegen, *id est, propter Ius, vel (quod idem est) jure ita exigente, quod testator negligere non potest.* Non sunt (inquam) audiendi in prædictis interpretationibus Neoburgici. Nam & injuriâ Bipontinam expositionem reprehendunt, & suam commendant, cùm tamen sit præter & contra Ius Commune, & sic nova, barbara, impia, omni juri repugnans. Ac præterea esto: fateamur prædicta verba DE IVRE idem esse vel efficere, quod *ipso jure & providentia legis ac Bullarum &c*: nihil dum tamen effecerint Neoburgici. Non enim aliam sententiam exinde poterunt eruere, quàm quòd proximior & senior Adgnatus Electoralis sit ipso jure & ab intestato tutor, testamentario scilicet deficiente. Quia Bullæ eum non faciunt simpliciter & purè tutorem, sed conditione tantùm existente, nempe, *si contigerit Principem Electorem liberos suos impuberes relinquere*, id est, si casu aliquo contingente, morte præventus Elector fuerit, ut liberos suos sine testamento reliquerit, & ultimo elogio eis consulere, providere, & prospicere non potuerit. Eo casu fateri ac largiri possumus Neoburgicis, proximiorem & seniorem Adgnatum

ipso jure

ipso jure, providentia legis & Bullarum, Tutorem Electoralem esse: quia deficiente speciali Principis Electoris providentia, lex partes illas patris supplere voluit, imò & supplevit: quemadmodum lex Romana successiones & tutelas supplevit legitimis quibusdam inductis: quemadmodum & bonorum [a] possessiones Prætor ab intestato induxit, testamentariis deficientibus. Quin ut hoc addamus, illo etiam casu (ab intestato scilicet) negamus proximiorem & seniorem Adgnatum ipso Iure tutorem Electoralem esse, si iustas & prægnantes eum prætereundi causas Elector habuerit: alioqui ne tum quidem (ab intestato scilicet) ipso Iure tutor existet, nec à magistratu dari aut confirmari [b] debebit. Nunquam enim lex aliquid ita præfractè constituit, quin semper æquitatis Iudici clausulam [c] illam sacrosanctam, Si qua mihi causa iusta videbitur, liberam fecerit: ne alioquin summum Ius, summa crux & summa injuria fiat. Ad hæc cùm fateantur Neoburgici se liberam, imò liberrimam testamenti factionem Electori relinquere, quin & ipsum proximiorem Adgnatum justas ob causas removeri posse: non video sanè, cur non illo casu Principi Electori permittenda sit liberrima testandi factio, vel cui magis (quàm ipsimet patrifamiliâs & Electori) permitti debeat, causas justas præteritionis, vel excusationis aut prohibitionis, testamento suo proponendi vel inserendi. Quis enim causas illas prævidere sagaciùs & acutiùs, quis liberiùs, & rebus adhuc integris eas commodius proponere quàm paterfamiliâs ipse, id est, Princeps Elector possit? Necessitas itaque rerum nos eò perducit, ut fateri Neoburgici debeant, illo saltē casu Principi Electori non tantùm liberam, sed liberrimam testandi & prætereundi proximioris Adgnati facultatem, legibus, imò & Bullis (cùm Aureæ Bullæ sint, non æreæ) concedi. Notum est enim illud, γνῶθι καιρόν: Et, quod propius ad controversiam præsentem facit, *Melius* [d] *esse intacta minorum jura servare, quam post causam vulneratam remedium minoribus quærere*: Et, *meliùs* [e] *esse in tempore occurrere, quam post exitum vindicare.*

Negatur itaque, prædictas ob causas piæ memoriæ Principem Electorem, de liberorum suorum Tutela testatum, proximiori & seniori Adgnato impedimentum iniustum vel illicitum intulisse: sed Iure suo legibus vsum fuisse. Quia Princeps defunctus Adgnatum non eo prætereiit animo, ut injurius ei principaliter esset: sed ut suo tantùm jure, (velut liber & ingenuus quivis alius) uteretur: ut liberis suis (quibus scilicet natura legeq; divina se debuit) consuleret: ut res eorum in tuto col-

a] *Inst. de bonorum poss.*

b] *l. 21. D. de curat. l. vn. C. si contra matr. volunt.*

c] *l. 1. π. ex quibus causis maiores.*

d] *ult. Cod. in quibus causis restitut. in integrum necessaria non est. l. antiqua 23. in fin. Cod. ad S. Velleianum.*

e] *l. 1. Cod. quando liceat unicuique sine iudice se vindicare vel publicam devotionem.*

a] *l. 1 in pr. ibi, & ideo nemo mirabitur π. de inspiciendo ventre.*

locaret. Nemo sanè mirari debet (ut ex Rescripto [a] Divorum Fratrum potest colligi) si novis rebus ita nova remedia & consilia quærantur.

b] *V. Doctores in l. unica. Cod. de professoribus qui in vrbe Constantinopolit. lib. XII.*

NEC OBSTAT, quod CL. *vir Marquardus Freherus verba prædicta DE IVRE eo modo antehac exposuerit, quo Neoburgici nunc exponunt.* Sciunt enim, Iurisconsultorum & Oratorum interpretationes folia non esse Sybillæ, sed probabiles [b] tantùm non necessarias esse, nec necessitatem Iudicibus imponere. Et quid quæso facerent hodie Neoburgici, si locus ille Bullarum Aurearum intactus ab eo tum fuisset? prout præteriri sine dispendio causæ principalis, quæ tum ab eo tractabatur, poterat; nec nisi leviter obiterque paucissimis verbis ab eo de superfluo tactus fuit. Sed benè est, quod nuper vir ille clarissimus (nunquam satis ob insignem Iuris & omnis liberalis litteraturæ cognitionem, sed magis animi candorem & ingenuitatem laudandus) Neoburgicorum clangoribus variis excitatus, peculiari scripto vel libello suam sententiam clarè liberéque exposuit: ut quo teste vel suffragatore nitebantur & gloriabantur antea, eodem hodie destituti, causæ suæ imbecillitatem & nuditatem agnoscant. Sciant alioqui Neoburgici, nos nullius in magistri verba addictos, sed liberos solutosque, Veritatem sectari & ipsius Platonis autoritati præferre, si quando veritas Platone nobis clarior & illustrior illuxit.

c] *p. 34. vers. Manet igitur.*

NEC MOVEBVNT nos hæc Adversariorum verba: *Manere* [c] *immotum & firmum hoc Neoburgicorum thema: non esse ademptam Electoribus testandi facultatem etiam circa liberorum Tutelas, dummodo non prætereant eos, quibus hoc jus ex Pragmatica sanctione & lege tam dispositiva quam prohibitiva debetur.* Contrarium enim notorium est & certissimum omninò: ademptam nimirum Electoribus testandi facultatem circa liberorum Tutelas, si præterire eum non possunt, cui hoc Ius ex Pragmatica sanctione, & lege tam dispositiva quàm prohibitiva deberi asseritur: & quem ipsi in frontispiciis libellorum suorum, *verum, unicum & NECESSARIVM Tutorem* subinde indigitant. Liberum enim dici nequit, quod debetur, & omitti, vitari, declinari nullo modo potest sed ab invito potest exigi. Contrà coactum & necessariũ est, quod aliter velle nõ possis, quod facere vel sequi necesse habeas, sive velis sive nolis. Inter liberum & invitum, spontaneum [d] & coactum, perpetua semper & manifestissima pugna fuit, est, & quandiu homi-

d] *l. 1. l. 2. π. de legib.*

nes

nes existent, erit. Et ita quoque servus [a] necessarius heres à domino institutus (sive velit sive nolit) protinus liber & necessarius est. Ad eum modum etiam heres fideico mmisso [b] gravatus, liberam (ut olim) restituendi fideicommissi potestatem habere hodie non intelligitur: quia (velit nolit) fideicommissum restituere cogitur, quòd Augustus fideicommissa ad NECESSITATEM Iuris retraxerit. Obligationes [c] sic omnes ut contractæ sunt, necessitatis existunt, non voluntatis. Quis hoc Dupondius iuris nescit? & quis quæso Neoburgicorum, se liberum vel liberrimum in testando crederet, si aliquem è Bipontinis aut Heidelbergensibus heredem instituere vel tutorem dare lege aliqua, vel conventione, pactione, transactione, ultimave alterius cujusdam voluntate necesse haberet? Illud itaque thema facessat: *Non est adempta Electoribus testandi etiam circa Tutelas facultas, dummodo proximiorem & seniorem Adgnatum non prætereant, cui lege tam dispositivâ quàm prohibitivâ Tutela debetur.* Nam & ridiculum prorsus thema est. Initio quippe speciosum, Principibus Electoribus liberum prorsus arbitrium testandi permittere videtur: in extremo verò, triste & lugubre. Linguam enim & voluntatem manumque Electoris compescit, ne alium Tutorem quàm quem ipsi vellent, nuncupet: et manibus eius manicas innectit, ne præter proximiorem & seniorem illum Adgnatum, ullum alium scribat Tutorem.

a] §. *Necessarius heres ibi, sive velit sive nolit. Inst. de heredum qualitate & differentia.* §. *1. Instit. quib. ex causis manumittere non licet l. lege 12 π. qui testamenta.*

b] §. *& quia prima 12. Inst. de fideic. heredit.*

c] *l. 5. Cod. de obligationibus.*

NEC AD REM facit, quòd *legem tam dispositivam quàm prohibitivam allegant.* Nullam enim huiusmodi legem proferre unquam poterunt Neoburgici. Cedo namque Constitutionem dispositivam huiusmodi, in re tanti momenti, & ad Ius Commune subvertendum, tollendum, calcandum, apertam: *Proximus & senior Adgnatus exclusis aliis omnibus, etiam testamentariis tutoribus Tutor Electoralis esto.* Cedo rursus prohibitivam huiusmodi legem Tutelarem: *Electori de Tutela liberrimum testari jus & potestas non esto, nec id ipsi unquam facere liceto.* Si nullam huiusmodi legem dispositivam vel prohibitivam proferre possunt Neoburgici, quo jure vel colore defendent, Electoribus non licere alium à proximiore & seniore Adgnato Tutorem nuncupare vel scribere? Sed ut omnibus omninò cavillationibus occurram, cedo iam Constitutionem huiusmodi prohibitivam: *Elector Tutorem liberis suis proximiorem & seniorem Adgnatum, nec ullum omnino alium dato vel adiungito: tametsi proximioris & senioris illius Adgnati prætereundi justissimas omnium causas habuerit.*

NEC

a] *p. 34. Verſ. Et hoc eſt quod Imperator Diocletianus.*

NEC RVRSVS obſtabit, quod ex Diocletiano [a], Maximiano & Iuſtiniano referunt Neoburgici: *unicuique de ſua pecunia, de ſuis bonis & ſuper ſuis teſtari licere.* Quò enim ſpectet illud, non video, niſi Neoburgici tacitè velint innuere, Electoribus de Tutela teſtari ideò non licere, quòd eorum liberi non ſint ſui vel legitimi. Imò ex duabus illis legibus à Neoburgicis allegatis haud paullo certiùs colligo, Electoribus permitti de liberorum ſuorum Tutela teſtari: quia liberi (quod omnes ſciunt) juſtis nuptiis quæſiti parentibus ſuis ſui [b] ſint: et ita ſui, ut nec pecuniam ſuam, nec bona ſua, nec cætera quævis alia ſua poſſit paterfamiliâs ita ſua dicere, ut filios & liberos, ſuos nuncupare. Cur itaque (Neoburgicis aptam adeò materiam diſſerendi mihi ſuggerentibus) non poſſim ita dicere: Si legibus mihi licet de mea pecunia vel de meis bonis teſtari, quidni de liberorum meorum tutela? cùm & liberi mei ſint, non minùs, imò magis quàm vel pecunia vel res quævis alia mea? At prius concedunt Neoburgici. Igitur & alterum velint nolint concedant eſt neceſſe. Adde, liberos cuique patrifamiliâs DEI unius largitate, ſine legis ullius humanæ manu vel ope, quęſitos eſſe; ut lex humana, patris innocentiſſimi providentia liberos innocentiſſimos excludere non poſſit. Liberorum [c] enim bona valetudo, felicitas & patrimonium pertinet ad patrem: nec quidquam patri carius, quàm cum liberos ſervatos eſſe viderit. Tunc enim DEO vota ſolvit, tanquam ipſe ſit ſervatus: & de ſervato filio patri ſæpe voces illæ exeunt: *Nihil mea intereſt, me an filium ſervaveris: duos ſervaſti, imò me magis.*

b] *l. in ſuis 11. de liberis & poſthum. l inteſtato 4. l. ſibi non 7. §. ſui & neceſſarii Inſt. de heredum qualitate.*

c] *Seneca 5. de benefic. 19.*

NEC OBSTAT quod aiunt [d] Neoburgici: *Nemini licere Iuriſdictionis mutare formam, vel juri publico derogare &c.* Negatur enim, piæ memoriæ Principem Electorem defunctum Iuriſdictionis alicuius formam mutaſſe, vel juri publico derogaſſe, vel ex Prætorio ſolenni jure aliquid demutaſſe. Imò contenditur acriter & verè, Neoburgicos Iuris publici, Communis, Prætorij ac ſolennis formam mutare conari, cùm præter & contra jus Romanum, Commune, Prætorium & ſolenne (quod ipſimet non uno loco ſunt confeſſi) novam ſpeciem tutelæ Electoralis inducere ſtudent, & ſic jus illud publicum, ſolenne & Prætorium evertunt. Sed inſtituta inter Bipontinos & Neoburgicos collatione fiat hoc evidentius, Bipontinos Iuriſdictionis nullam formam mutaſſe, vel Iuri publico derogaſſe. Bipontini Ius publicum, Commune, Prætorium, ſolenne in tutelis Electoralibus per Bullas Aureas correctum & everſum negant: Neoburgici aſſerunt. Biponti-

d] *p. 34. Verſ. Non autem Iuriſdictionis mutare formam.*

ELECTOR defunctus Iuri nihil derogavit.

NEOBVRGICI Iuri derogant.

COLLATIO Bipontinorum & Neoburgicorum, utri eorum Iuri derogent.

pontini ex Iure Gentium, Divino, Canonico, Feudali, Militari, Electorali, omni denique, Tutelas Electorales testamentarias defendunt: Neoburgici nullum ex illis Iuribus in tutelis Electoralibus admittunt, sed omnia illa Iura respuunt. Bipontini affectum paternum parentibus (velut sanctissimis omnium personis) cum effectu Iuris aliquo (Tutores scilicet liberis suis arbitrio suo dandi) relinquunt: Neoburgici verò affectum illum liberum parentibus denegant, vel inanem sine libertatis effectu concedunt. Bipontini Electoribus (& sic parentibus) honorem aliquem habent: Neoburgici providentia, judicio, consilio, erga liberos, parentes ipsos spoliant & exuunt, & necessitati (proximioris & senioris scilicet Adgnati unius Tutoris eligendi) Principem Electorem (lingua, manibus, pedibus vinctum constrictumque, velut Prometheum Caucaso) alligant: ut neque hunc neque illum Tutorem liberis suis dare, nec conditiones justas ad Statum Electoralem pertinentes adiicere proximiori Consanguineo ullo modo possit.

NEC OBSTAT quod aiunt vel innuunt [a] Neoburgici: *Tutorem ab Electore defuncto datum non esse.* Id enim pernegatur. Negatur etiam quod pariter adserere videntur [b] Neoburgici: *Solam autoritatem Electoris defuncti in hac Electorali Tutela intervenisse.* Dicimus enim, autoritatem & voluntatem legibus & omni Iure munitam, solam dici non [c] posse. Sicuti solus etiam in solitudine dici non potest Christianus, qui (ut loquitur vetus aliquis) Christum sibi comitem habet. Negamus etiam quod velle videntur [d] Neoburgici: *Secundùm leges & jus disposita, arbitraria vel arbitrio Iudicis permitti, ita ut Iudex nec illa omnino spernat, nec omnimodo observet.* Legibus enim disposita certissima sunt, & ea sequi Iudex (nisi litem [e] suam facere velit) cogitur. Quid quòd ipsi Neoburgici paulò [f] ante dixerunt, Electores legibus solutos non esse? ut ex illa sententia Neoburgicorum colligas, Iudices quoque legibus solutos non esse, nec à legibus recedere posse.

a] *p. 34. vers. Et in terminis.*

b] *p. 34. vers. Et rectè Pomponius.*

c] *l. omnium. Cod. de Testamentis.*

d] *p. 34. vers. sed interventu Iudicis.*

e] *l. si qua pœna 244. vers. ex hoc quoque π. de V. S.*

f] *l. filiusfamilias 15. π. de Iudiciis. l. si quis absentis 5. § si Iudex 5. π. de obligat. l. ult. π. de variis & Extr. cognit. Instit. de obligat. ex delicto.*

NEC SPECTANDUM est hoc loco, quod Neoburgici dicunt [g]: *Electore proximiorem & seniorem Adgnatum (ab intestato alias Tutorem Aureæ Bullæ virtute) testamento suo eligente, talem testamenti factionem vel nominationem eius, qui ab intestato tutor futurus est, aliquid tamen reddituram; nec (ut loquuntur) de vento servituram. Satis enim relevare hanc testationem proximiori & seniori Adgnato (per testatorem*

g] *p. 34. vers. Neque attendendum.*

quoque vigore Aureæ Bullæ vocato seu nuncupato), quod habiturus sit omnes illos effectus, qui conferuntur a Iure scriptis & nominatis in Testamento in l. ult. Cod. de edicto D. Hadriani tollendo, nec integrum eo casu fore tutori, à testatoris voluntate recedere: dummodo ea (ut sæpius dictum est a Neoburgicis) cum pietate, honestate, lege & bonis moribus non pugnet. Nam ex contrario dicimus iterum & reciprocamus, talem testamenti factionem vel nominationem servire tantùm de vento. PRIMO quia (quod huius quæstionis potissimum & præcipuum caput est) dici potest, quòd talis nominatio Tutoris ab Electore facta non sit libera, sed coacta prorsus ac necessaria: quia velint nolint Electores, non possunt Neoburgicorum sententiâ alium Tutorem Electoralem nominare, quàm proximiorem & seniorem Adgnatum: & ita Neoburgici à principali quæstione recedunt, & aliam tractant quæstionem, quod est Sophistarum proprium. Principalis quæstio est, An possit Elector de Tutela testari: quæ quæstio causam efficientem spectat. Neoburgici verò respondent, Tutorem ab Electore coacto ita Testamento datum, posse ex Testamento illo agere. quæ responsio causam materialem respicit & ad eam dirigitur, id est, ad Tutorem testamento datum & eius commodum. SECVNDO non est etiam hîc spectandum: utrum proximior Adgnatus, ab Electore necessitate legis Tutor testamento datus, ex illa nominatione beneficium consequatur legis ultimæ Cod. de edicto D. Hadriani tollendo? sed quid Electoribus ipsis sit honestum, & pupillis utile: Adhæc: utrum coacta huiusmodi Tutoris ab Electore datio sit ipsi Electori honesta vel solatio? Iura quidem proximioris Adgnati vehementer adauget hæc Neoburgicorum avara & inhonesta Responsio: sed retrò, Principes Electores vehementer juribus suis spoliat, & in angustias summas eos deiicit, ut neque voto & affectui suo satisfacere possint, neque liberis (licet dulcissimis & carissimis) testamento consulere. Et quæso, quis credat Bullas plus juris Adgnato (licet proximiori) quàm ipsimet Electori tribuere voluisse? maximè Sigismundi Imperatoris, qui flagitanti Ludovico Palatino Electori, (atq; per illas suis heredibus Electoratum contra fratris Ioannis machinationes adserere volenti) Bullas suas concessit? Insuper in huiusmodi quæstione non est spectandum quid huic vel illi Adgnato conducat, sed quid patri pupillorum Electoralium placeat, quid ipsi æquum, bonum, & liberis suis utile, videatur? TERTIO non est etiam hîc spectandum, utrum prædicta Tutoris coacta nominatio, sit ipsi Adgnato utilis, & ipsi beneficium dictæ legis ultimæ Cod. de edicto D. Hadria

ni tol

ni tollendo conferat? sed (qui Tutelarum omnium scopus primus, summus & unicus est;) utrum ipsis pupillis & subditis Electoralibus conducat, hujusmodi coacta & necessaria Tutelæ datio: Adeò Neoburgici, quod Tutelarum & Testamentorum proprium, naturale & præcipuum est, per fas & nefas confundant. QVARTO possum adhuc negare, Adgnatum proximiorem ab Electore coacto Tutorem datum, beneficio legis ultimæ Cod. de edicto D. Hadriani tollendo, frui: quia non prodest lex illa nisi nominatis in Testamento LEGITIME [a] FORMATO. Atqui testamentum omninò coactum, legitimè formatum dici non potest, utpote cui justa & propria sententia testatoris ipsius desit. Quid est enim Testamentum? Sanè *voluntatis NOSTRÆ* [b] *justa sententia*: *Nostræ*, inquam, non alienæ. Atqui nostra voluntas non est, si à lege cogimur, prorsus hunc vel illum heredem instituere vel tutorem dare, non alium. Legis imperium obligationem [c] imponit, Obligatio necessitatem: Necessitas porrò contraria voluntati & arbitrio est, & quidem liberrimo. Hinc puto fit, ut prædicto & allegato à Neoburgicis titulo *De edicto D. Hadriani tollendo* (sumpta scilicet occasione d. l. ult.) proximè & immediatè sit additus à Triboniano titulus, *Si quis aliquem testari prohibuerit*, *vel COEGERIT*. Nam ex lege prima dicti [d] tituli discimus, testamentum justum non esse, si testator sua sponte testamentum non fecit, sed compulsus & coactus ab alio. Nam quod ad libertatem testantis attinet, nihil [e] interest, utrum quis hunc vel illum heredem prorsus instituere vel tutorem dare à lege vel homine cogatur, nec alium: quia utrovis modo LIBERRIMA voluntas & facultas testandi testatori adimitur. Et testamentum dici non potest, quod ab arbitrio prorsus essentiali vel substantiali voluntatis alienæ pendeat: sive privatus, sive lex cogat, & necessitatem omnimodam imponat. Verbi gratia: dico Testamentum liberum non esse, si lege teneor filium unicum & solum heredem in omnibus bonis, nullis additis prorsus conditionibus (etiam bona mente) instituere: Et exinde infero, testamentum liberum non esse, si Titium proximiorem & seniorem Adgnatum meum lege teneor unicum Tutorem dare, nec alium: Et multò magis, si nullas ipsi conditiones imponere possum: Quia voluntas illa testandi liberrima (quam nihilominus Neoburgici jactant se Electoribus relinquere) mea non est, sed aliena, imò nec libera: quia sive velim sive nolim, proximiorem & seniorem Adgnatum heredem instituere, vel tutorem dare, nullis etiam conditionibus additis, sum coactus & obstrictus. QVINTO sanè durum est à Neo-

a] *l. ult. vers. sive enim post annale tempus. ubi tamen ex legitimè formato testamento. Cod. de edict. D. Hadriani tollendo.*

b] *l. 1. ff. de testamentis.*

c] *l. obligamur §. lege ff. de obligat.*

d] *Codicis. si quis aliquem test.*

e] *l. ult. Cod. de rebus alienis non alienandis.*

burgicis dici: *Testamentum Electoris* (qui proximiorem & seniorem Adgnatum legis & Bullarum necessitate Tutorem forte dederit) mereri omnes effectus d.l. ult. Cod. de edicto D. Hadriani tollendo: *DVMMODO* [a] *cum pietate, honestate, lege & bonis moribus non pugnet. Quin aiunt, se hoc sæpius jam dixisse.* Quo fine? nempe (quod apertius infra [b] Neoburgici sunt dicturi) ut Auditores & Lectores occupent paulatim & informent, eisque insinuent, *Conditiones Tutelæ Electoralis gerendæ, proximiori & seniori Adgnato propositas ab Electore defuncto, cum pietate, honestate, legibus & bonis moribus pugnasse: ac propterea conditiones hujusmodi proximiori Adgnato impositas eum obligare non potuisse, & spretis illis conditionibus Tutelam nihilominus pro suo liberrimo arbitratu gerere posse.* Quæ res utique non parum famam & existimationem defuncti Principis vellicat & sugillat: quasi impij, inhonesti, legum morumque contemptoris: vel quasi Censoris partes in ipsum Electorem proximior Adgnatus sibi sumere possit. Eant nunc, & extra se causas ne quærant Neoburgici, præteriti à defuncto Electore in tutela Adgnati.

a] *p. 35. vers. dummodo ea ut sæpius dictum est.*
b] *p. 72. vers. Quasdam etiam conditiones.*

NEC OBSTAT, quòd *solennitates testandi lex inducat, & hujusmodi solennitatibus legum inductis videatur libertas* [c] *testatoris restringi. cogitur enim vel cogi videtur, solennibus Iuris servatis testari.* PRIMO quia solennitates testamentorum & codicillorum, testatoris ipsius & eius liberorum, cognatorum, Adgnatorumque bono legibus sunt inductæ: ne [d] paucioribus testibus, subscriptionibus & signaculis testamento intervenientibus, voluntas testatoris circumveniatur, & falsum testamentum pro vero facili aliqua techna supponatur: ne denique patrisfamiliâs hereditas contra voluntatem eius, præteritis aut oneratis liberorum cognatis, ad extraneos & inimicos fortè transferatur. Et ita solennitates ultimarum voluntatum non fuerunt inductæ ad minuendam testatoris libertatem, sed ad evitanda pericula falsi vel suppositi cuiusdam Testamenti: ut ipsi patrifamiliâs testatori, liberis eius, Adgnatis & cognatis, omnibus denique quorum interest, consuleretur. At hæc testandi de liberorum Tutela libertas (quam Neoburgici conantur inducere) per quam scilicet non permittitur patri, quantumvis Electori, nec liberis tutorem dare, nec tutori conditiones adiicere, dici non potest bono testatoris vel eius liberorum inducta, imò ad eorum summam perniciem & dedecus excogitata. Vt hinc constet, neminem rectè argumentari posse, ab inductis testamentorum solennitatibus, ad adimendam patribus Electoribus

c] *l. nemo π. de legat. 1 hac.*
d] *l. Divus 24. ibi, nec ullorum magis interest. π de testamento milites.*

bus

bus de liberorum suorum Tutela testandi facultatem. SECVNDÒ. Solennitates juris testandi causâ inductæ liberam saltem voluntatem patrisfamiliâs relinquunt, ut servatis servandis, & adhibitis solennibus illis juris, de Tutela saltem liberorum pro animi sui arbitrio disponat. Et ita voluntatem testatoris, solennia juris adjuvant, & testandi de Tutela substantiam testatori permittunt. At lex Tutelaris Neoburgica, substantiam etiam ipsam de Tutela testandi Principibus Electoribus penitus aufert, nec liberam esse sinit: ut tametsi solennia juris omnia servent Electores, non possint (si Neoburgicis credimus) nisi unicum & solum proximiorem & seniorem Adgnatum Tutorem dare, nec conditiones ullas ei imponere. Adeò iniqui rerum æstimatores & judices sunt, qui necessitatem his vel illis solennibus servatis inductam lege, ad stabiliendam necessitatem Tutelæ proximiori & seniori Adgnato omnimodò & necessariò relinquendæ extendunt.

NEC RVRSVS oberit. *quòd parentibus necessitas legibus imponitur legitimæ liberis relinquendæ, & quòd liberorum legitimæ parens onus imponere non possit conditionis, dilationis, modi.* Nam hæc legitimæ portionis liberis relinquendæ necessitas non est universalis, omnium scilicet bonorum liberis relinquendorum, sed particularis tantùm, quæ omne omninò arbitrium patrisfamiliâs non adimit: imò arbitrium testatori adhuc ita permittit, ut certis casibus plus possit pater extraneis quàm liberis ipsis relinquere. Nam si [a] mihi verbi gratia 1.2.3.4. liberi fuerint, trientem id est quatuor uncias eis relinquens, possum de dodrante id est octo unciis liberè disponere, & extraneis tot uncias etiam relinquere: Sin verò sex mihi liberi sunt, possum semissem liberis relinquens, de alio liberè pro animi mei sententia testari. At hæc non testandi (de Tutela saltem liberorum) prohibitio; ita ut non possit Elector alium liberis Tutorem dare quàm qui Bullis dictus & nominatus à Neoburgicis traditur (nempe proximior & senior Adgnatus); item ut non possit paterfamiliâs eidem (licet Tutorem eundem dederit, nec alium) conditiones ullas (etiam justas, & quas innocentissimus & pius alius quisque facilè admissurus sit) imponere: universalis prorsus testandi de Tutela prohibitio est, omnem omninò testandi de Tutela substantiam Electori adimens, & eum prorsus intestabilem reddens, & infra plebeios deiiciens. Ex his apparet, quàm, ut ita loquar, impertinenter, à parte ad totum, &

a] *Novella de triente & semisse 18.*

& à rebus adeò diversis affirmativè ducatur argumentum. A parte (inquam) ad totum hoc modo: *Necessitatem parentibus lex imponit legitimæ portionis liberis relinquendæ. Ergò potest lex necessitatem patrifamiliâs imponere, ut tutelam liberorum suorum, & quidem totam, uni proximiori & seniori Adgnato relinquat: & ut nullas ei conditiones, licet justissimas, sanctissimas & utilissimas, imponat.* A rebus verò diversis: quia necessitas legitimæ portionis liberis à parentibus relinquendæ, liberis saltem ipsis est utilis & patri non inhonesta. At necessitas Tutelæ Electoralis Adgnato proximiori relinquendæ, ut nullum alium Tutorem det Elector præter proximiorem & seniorem Adgnatum, utique talis Tutela liberis testatoris est inutilis, & patri probrosa, inhonesta, durissima & acerbissima. Adhæc necessitas legitimæ porportionis liberis relinquendæ justa est: quia legitimam liberis (ut minimum) relinquere debent parentes, velut debitam, & æs quoddam alienum. At Adgnatus Adgnato nullo jure legitimam debet: cui nec substantiam, nec bona, nec bonorum partem necessitate debeat, nisi forte turpis persona instituta sit. Est itaque à legitimâ liberis necessariò relinquendâ ad Tutelam proximiori & seniori uni Adgnato relinquendam, vitiosa & iniqua admodum collectio.

DE PROPRIETATE bonorum Elect. r non potest disponere: Ergò nec de Tutela liberorum &c. Sed vitiosa est illa collectio.

NEC RVRSVS oberit, *quòd Elector non possit de proprietate bonorum Electoralium disponere.* Nam hoc propter jus perpetui in familia Electorali fideicommissi regulariter fit & accidit. Proprietas enim bonorum Electoralium, Genearchæ (seu Protoelectoris, qui Princeps totius Electoralis familiæ fuit) dispositione (per legem & per Imperatores ipsos & per usum tandem comprobatâ), familiæ, genti & Adgnationi Electorali dicata destinataque est, servatis Adgnationis gradibus, & Electoralium personarum ætatibus. Legem illam proprietatis Electoralis, Elector regulariter mutare Consanguineis invitis non potest, propter jus spei, quod in illa proprietate & illis bonis Adgnati habent. At enim non idem de Tutelis Electoralibus dixeris. Nullum enim Ius Adgnati obtinent in liberos Electorales, ipsis Electoribus invitis. Quia singuli Electores à se, non à Genearcha suo, liberos suos habent: à se, inquam, habent liberos suos justis nuptiis, DEI unius beneficio susceptos & quæsitos: ut non possis eas ob causas, à bonorum Electoralium fideicommisso, ad Tutelæ fideicommissum, idoneum argumentum ducere. Fateor & fatebor semper, Genearcham tuum in bonis suis quæsitis, posse te invito,

vito, quamcunque voluerit, legem dicere, & bona sua Adgnationi suæ gradibus certis & conditionibus constitutis destinare. At enim tibi libero & ingenuo, tuisque liberis jus ita dicere, ut naturalem libertatem testandi de liberorum tuorum (quos non ab eo, sed DEI unius beneficio consecutus es) Tutelà tibi auferat vel adimat, & Adgnato plus tuo quàm tibi cedat vel tribuat, non eodem sanè modo concessero. Nec puto Neoburgici, naturâ æquè liberi ingenuique, talem sibi legem ab aliquo dictam paterentur.

SED DE aliis jam videamus.

¶ AD DECIMAMTERTIAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.

a] *p. 14 in fin. Vers. contradixerit etiam.*

CONTVRORES Electorales non semel à Cæsare admissi.

PRIMO LOCO Autor Ambergensis scripsit [a], *Cæsaream Majestatem non semel Contutores Testamento ordinatos admisisse.*

NEOBVRGICI quid quæso ad prædicta respondent? Primùm [b], *Omnium terribile quidem id fulmen esse, sed vel sola vel simplici negatione posse averti.* Secundò, *Scuto veritatis, & cum majore impetu in adversarios in futurum retorquendum.* Tertiò & in specie, *A fide veri alienum & hactenus inauditum fuisse, quòd Sacra Cæsarea Majestas ullos unquam contra literam & mentem Aureæ Bullæ admiserit Contutores.* Quartò, *Manifestum contra esse, Sacram Majestatem post obitum Ludovici Electoris Palatini, solum ejus fratrem Ioannem Casimirum tanquam unicum legitimum & verum Electoralem Administratorem agnovisse, non attentis Contutoribus a Ludovico nominatis. Nullum dubium esse, suam Majestatem dignitatis suæ & Capitulationis memorem, in præjudicium Aureæ Bullæ nihil committere voluisse.* Quintò, *Post* [c] *obitum Christiani II. Saxoniæ Electoris, Fridericum Wilhelmum Ducem Saxoniæ officium Administrationis in Electoratum & Terras quæ ab eo dependent exercuisse, lubēter tamen admisisse Administratorem, Electorem Brandeburgicum, Ioh. Georgium, tanq̃ Tutorem honorarium, in iis quæ viduã Brãdeburgici filiam,*

b] *p. 35 vers. Sed adhuc videtur obstare. Vers. Quamvis autem terribile hoc fulmen.*

c] *p. 36 Vers. post obitum.*

a] p. 36. verf. de nullis.

gici filium, & nepotes pupillos concernebant. Sextò. *De*[a] *nullis aliis exemplis (quòd a Cæsare Contutores sint admissi) nihil constare.*|

SED DE Contutoribus Administratorum Electoralium & eorum dandorum jure ac potestate libro V. satis superque diximus, ut ea repeti minimè sit necesse.

b] p. 35. verf. Etiam promisisse manutentionem.

– MANVTENTIO Testamenti Electoralis à Cæsare promissa, donec ordinario juris processu aliud obtineatur.

c] p. 36. verf. illud certum est.

SECVNDO LOCO scripsit [b] Autor Ambergensis: *Cæsaream Majestatem promisisse manutentionem Testamentarii Tutoris, donec ordinario juris processu aliud obtineatur.*

QVID Neoburgici? Varia. Primò [c], *Promissionem illam, si qua intervenisse ostendetur, per meram sub & obreptionem, atque ita nulliter extortam.* Secundò, *Confirmationem per se nihil valere, utpote contra leges.* Tertiò, *Testamentum Electoris defuncti vitiosum esse, & quidem initio suo, & consequenter confirmari non posse.* Quartò, *Promissionem illam nondum exhibitam.* Quintò, *Ex eo suspectum esse, quòd Cæsarea Majestas jam ante per internuncios & scribi & significari jusserit Illustrissimo Neoburgico, se nihil in sui præjudicium facturum.* Sextò, *Tempore petitæ Confirmationis Cæsarem Testamentum Electorale nec vidisse nec legisse.* Septimò, *Cæsarem persuasum tantùm adsertione supplicantis, credidisse Testamenti materiam & formam Iuri Communi & Imperii Constitutionibus conformem esse.* Octavò, *Credendum*[d] *non esse, Cæsarem unico verbo, promissione vel confirmatione, totam Aureæ Bullæ observationem multis vigiliis excogitatam evertere voluisse.*

d] p. 37. Nec enim credendum.

SED FACILIS est ad hæc prædicta Responsio. *Primùm* negatur, per subreptionem & obreptionem, prædictam manutentionem impetratam esse. *Secundò* negatur, illam adversus leges esse. *Tertiò* negatur, testamentum Electoris initio suo vitiosum. *Quartò* non obstat dici, prædictam manutentionem nondum à Bipontinis exhibitam: quia contrarium verum est, & potest suo tempore & loco originaliter adhuc exhiberi. Exemplar autem eius ab ipsis Adversariis in ultimo eorum scripto, Lauingæ modò jam edito, insertum videmus. *Quintò*. Promissio Cæsarea, quam aiunt Neoburgici factam per literas & internuncios Illustrissimo Neoburgico de nullo præjudicio ipsi faciendo, prætensa est tantùm, non probata: & si probaretur, posset tamen

tamen dici, pariter per sub: & obreptionem impetratam esse: ac præterea jus prætensum à Neoburgicis præter & contra Ius Commune esse, & consequenter promissionem ipsi factam, præsentem executionis effectum habere non posse, nisi prius Neoburgici probaverint, anomalam & extraordinariam istam tutelam, Testamentarias excludentem, ipsi esse Bullis delatam. *Postremo* novissimum Cæsaris Rescriptum pro Tutela Testamentaria hîc spectandum: sive quia velut posterius nudis prioribus præmissis derogat: sive quia cum causæ cognitione & deliberatione emissum præsumendum est. Imo quòd tacitè Neoburgici fatentur, auditum à Cæsare suum Principem in hac causa fuisse, eo ipso inferunt, cum sufficiente causæ cognitione, atque ita citra sub: & obreptionem Decretum illud emanasse. Quod & in se alioquin tale prorsus est, ut causæ principali, quam ad ordinariam viam Iuris remittit, non noceat, etiamsi interea in possessione tueatur possidentem. Id quod Iuri & ipsi Aureæ [a] Bullæ omnimodo est consentaneum. *Sextò* non obest, quod aiunt Promissionem Cæsaream manutentionis testamenti Electoris ex eo inutilem esse, quòd Cæsar testamentum nec viderit nec legerit. Quia moris non est, à Cæsare testamenta supplicantium videri vel legi: sed sufficit, quod alios legentes, vel substantialia testamenti Electoralis capita recitantes vel referentes audiverit. *Septimò*. Contendunt ex contrario Bipontini, materiam & formam testamenti Electoralis Iuri Communi & Imperii Constitutionibus conformem. Imò videant iam quid dicunt Neoburgici, Bipontinos ad Ius Commune revocantes. Notorium est enim, ipsorummet Neoburgicorum confessione, tutelam Electoralem, quam prætendunt, esse præter & contra Ius Commune. *Octavò*. Districtè potest adversus Neoburgicos repercuti: non audiendos eos esse, tutelam huiusmodi prodigiosam & monstrosam ex Bullis Aureis ambientes. Quia nec verbulum quàmminimum est, quo docere possint, Carolum IV. & Sigismundum jus de tutela liberorum testandi Electoribus Bullis suis ademisse, & totam Iuris Communis circa tutelas observationem tot vigiliis excogitatam, tot seculorum observantia roboratam, obscura vel nulla Clausula speciali inserta sustulisse.

a] *Aurea Bulla ca. 20.*

b] *Arg. l. ult. Cod. de precibus Imperatori offerendis.*

TERTIO LOCO Ambergicus Autor scripsit [c]: *Cæsaream Majestatem manutentionem testamenti Electoralis possessoriam nunquam promissuram fuisse, si notoriè, manifestè, clarè, perspicuè & evidenter constaret (ut tamen Neoburgici aiunt, notoriè constare) sub gravissimis pœnis testamentariam tutelam Electoribus denegatam & prohibitam esse. Nam & huic notorietati cõtradicere omnes Imperii Electores verbis & factis.* Secundò

c] *p. 14. & 15. & p. Responsionis Apologeticæ 35.*

NOTORIUM an sit, Electoribus testamentariam tutelam Bullis denegatam esse?

multa dici notoria quæ tamen non sunt notoria. Tertiò, negando reddi rem dubiam: sicuti instrumentum & privilegium dicitur offuscari, & notorium non facere, quando impugnatur.

a] p. 37. Vers. Quod verò Advocatus.

NEOBVRGICI quid? *Advocatum* [a] *Bipontinum in eo graviter, ne dicatur malitiosè, errasse: cùm sciat vel scire debeat, leges publicas neminem latere: Notorium nihil aliud esse, quam quod omnibus est vel esse debet notum: Tales esse Constitutiones Principum, & leges generales: Notorium ex lege & juris dispositione, sententiæ æquiparari & rei judicatæ, & paratam executionem mereri, & negatione non reddi dubium: Item in notorio Iuris, causæ cognitionem non requiri, nec processum aut sententiæ solennitatem, sed præceptum de exequendo sufficere.*

SED VIDEAMVS an ita sit, ut dicunt Neoburgici. Primùm quæro quibus argumentis probaturi sint, notorium esse, *prohiberi ne Tutor legitimus Electoralis per testamentarium Tutorem Electoralem excludatur?* Et, *Advocatum Bipontinum contra sentientem graviter & malitiosè in eo errasse?* Sanè ne quidem ullo Bullarum apice id probaturi sunt.

b] p. 37. Vers. cùm sciat.

c] l. leges. 9. Cod. de legibus.

d] l. 1 Cod. de Iuris & facti ignor.

e] l. 1 §. 3. vers pueritiam in fin. ff. de postul. l. nemini. 11. §. 1. vers si iurisperitos. Cod. de advocat. divers. Iudic.

NOTORIVM BVLLARVM est, ut Testamentarius Tutor Electoralis legitimum excludat.

NEC OBSTAT quod ajunt: *Bipontinum Advocatum scire* [b] *vel scire debere, leges publicas neminem latere: notorium esse, quod omnibus est vel esse debet notum: tales autem esse Constitutiones.* Quia licet concedam, leges [c] omnibus notas esse debere: non tamen continuò largiar, eum malitiosè errare, qui leges ignorat: cùm possit aliquis, verbi gratia miles [d], Constitutiones propter simplicitatem armatæ militiæ ignorare. Sed esto: Patrono vel Advocato leges ignorare non [e] liceat, & alia ratio sit patroni, alia verò militis: non tamen concedam, Advocatum Bipontinum Bullas Aureas & earum veram sententiam ignorasse, vel dissimulasse. Imò jam probabo, Advocatum Bipontinum Bullas Aureas probè rectéq; percepisse: & notorium Bullis ipsis esse, proximum & seniorem Adgnatum Tutela & Administratione Electorali per Testamentarium (id est Electoris testamento datum) excludi.

Bulla Sigismundi (quæ Bullæ Caroli IIII. quædam Declaratio est & expositio) vult, *ut proximior Adgnatus Electoralis DE IVRE Tutor & Curator esse debeat, si Principem Electorem liberis impuberibus relictis mori contigerit.* Vult igitur Sigismundus, ut sit Tutor & Administrator, quemadmodum alii Adgnati DE JVRE sunt Tutores Adgnatorum impuberum: quoties scilicet contingit patremfamiliâs (Electorem scilicet) impuberes liberos sine testamento, id est, nullo condito testamento

ſtamento ſuperſtites relinquere. Hujuſmodi namque Tutela DE JVRE, Tutela legitima eſt, nec alia. Quia non [a] paterfamilias, ſed lex (& ſic JVS) Tutores hujuſmodi dat: & JVRE [b] legitimo ad eos ſollicitudo Tutelæ pertinet. Vult conſequenter Sigiſmundus, ut proximior Adgnatus, legitimam licet Tutelam adfectet, cedat [c] Teſtamentario: quemadmodum Tutores DE JVRE Teſtamentariis cedunt. Et rurſus vult per conſequentias neceſſarias Sigiſmundus, ut proximior & ſenior Adgnatus novam & inauditam PRÆTER & CONTRA JVS Commune Tutelam ne ſomniet, quæ Teſtamentarias excludat: quia talis Tutela DE JVRE, proximiori & ſeniori Adgnato per Bullas delata, DE JVRE Tutela dici nullo modo poſſet, ſi Teſtamentariam vinceret. Notorium eſt enim, hæc duo oppoſita & inter ſe contraria exiſtere: DE JVRE Tutorem eſſe debere, & tamen PRÆTER & CONTRA JVS Commune Tutorem eſſe velle: Item de JVRE Tutorem eſſe debere, & tamen nolle de JVRE ad Tutelam admitti, vel ad eum modum, quo cæteri Adgnati de JVRE Tutores exiſtunt & Tutelam JVRIS ſeu legitimam gerunt, & gerere omnino debent & adſtricti ſunt. Vnde neceſſariò colligo, Notorium Juris Communis, Bullarum, quin & Juris Germanici eſſe, *proximiorem & ſeniorem Adgnatum Electoralem Adminiſtratione Electorali per Teſtamentarium Tutorem excludi*: ac propterea Neoburgicos in eo graviter (ne quid gravius dicatur) errare, quòd notorium illud juris Cæſarei, Germanici & Communis diſſimulent, quod tamen ipſi ſciunt, vel ſcire debent.

NOTORIVM IVRIS univerſi eſt, ut legitimus Tutor cedat Teſtamentario.

Ac proinde facilè Neoburgicis concedam, *Notorium* [d] *illud Iuris* (quod ex lege Sigiſmundi & Juris Germanici diſpoſitione retuli) *ſententiæ & rei judicatæ æquiparari: adhæc, paratam executionem mereri, & hujuſmodi notorium Bipontinorum negatione non reddi dubium: nec in tali notorio cauſæ cognitionem, nec proceſſum, nec ſententiæ ſolennitatem requiri, ſed præceptum de exſequendo in eo ſufficere*: eoque Juris Communis, Cæſarei, Germanici notorio, Sereniſſimum Bipontinum (Teſtamentarium ſcilicet Electoratus Adminiſtratorem) contra & adverſus omnes, Tutelam hujuſmodi legitimam illegitimam, vel Iuris & tamen non de JVRE, adfectantes, DE IVRE ipſoque IVRE tuendum ac manutenendum eſſe. Quinimo poteſt amplius & adhuc dici, notorium illud TVTELÆ proximiori & ſeniori Adgnato Electorali de IVRE delatæ (ab inteſtato ſcilicet, & nullo Electorali teſtamento exiſtente) & teſtamentariæ cedentis, ELECTORALE NOTORIVM dici poſſe, utpote quod Electores Imperii verbis factiſque & olim agnoverunt, &

NOTORIVM IVRIS ELECTORALIS eſt, ut legitimus Tutor per Teſtamentarium excludatur.

a] *l. legitimos. §. π. de legit. tutorib.*

b] *l. 2. Cod. de legit. tutela*

c] *l. ſi quis ſub conditione. π. de teſtam. Tutela. l. Inteſtato. §. π. de legitimis Tutorib.*

d] *pag. 37. verſ. Iam verò quod notorium eſt.*

runt, & nunc etiam agnituros dubitari non potest: Contrà notorium Iuris à Neoburgicis prætensum, notorium esse, quod Imperii Electores neutro modo, nec verbis, nec factis agnoscunt, quod nuper patronus Bipontinus innuit [a].

a] *p. 14.*

NEC OBSTAT quod aiunt [b] Neoburgici; *Bipontinos probare non posse Notorium illud Iuris Electoribus omnibus cogniti, & ab eis recepti, laudati, firmati: ideoque præstitisse vel fuisse satius, id à Bipontinis sileri:* Cùm [c] in manibus testamentarii Tutoris sint & antiqua instrumenta omnium Electorum; & nova Moguntini, Coloniensis, Trevirensis, nec non & Brandenburgici modernorum, quibus id evidenter & ad oculum demonstrari potest. Quorum editio, cùm causa hæc coram ordinario iudice ventilabitur, non detrectabitur. Nec dubitare quisquam potest, quin omnes ad unum deinceps Electores Laici, notorium illud testandi de tutela liberorum suorum, sibi suisque posteris adserturi sint & vindicaturi: Et quidem eo diligentius ac strictius quàm unquam antea fecerint, ne post litem in hac causa Electorali contestatam, imò tantummodo motam, malæ fidei possessores Neoburgicorum sententiâ fiant, & (vincentibus scilicet Neoburgicis patronis) tanto Iure per suum silentium spolientur: & rursus, quin novis & recentioribus Bullis in posterum sibi suisque caveant ac prospiciant diligentiùs, ne posthac velut nexi vinctique lingua manibusque à proximioribus & senioribus Adgnatis servilem in modum teneantur, vel circumducantur.

b] *p. 37. vers. Quarè præstitisset.*

c] *v. quæ scripsi libro 2. adsertione 10. ubi de Iure Electorali pleniùs & fusiùs diximus.*

ELECTORIBVS NOTANDA.

SED his missis in alias Neoburgicorum Responsiones inquiramus.

¶ AD DECIMAMQVARTAM *Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

BIPONTINOS hoc etiam uti posse argumento Neoburgici demonstrant [d]. *Dux Bipontinus possidet bona fide, & munitus divino omniumque gentium Iure, & receptissima ubique consuetudine, & eisdem defensionibus utitur, quibus Neoburgici sese in controversia successionis Iuliacensis tuentur.*

d] *p. 37. vers. Sequitur argumentum decimum quartum.*

MALÆ FIDEI non sunt Bipontini, licet controversia de tutela mota sit eis à Neoburgicis.

QVID

QUID Neoburgici contra? Primùm omnium aiunt[a]: *Bipontinos MALÆ fidei esse, quod Ius alienum CONTRA CONSCIENTIAM possideant: præsertim[b] post tot Neoburgicorum publicas contestationes, literas & denunciationes, ad eum finem factas.* Adhæc: *Bipontinos*[c] *MALÆ fidei possessores esse post litem contestatam: quinimò post motam controversiam: cœpisse enim scire, rem ad se non pertinentem possidere eum, qui interpellatur.*

a] *p. 38. lin. 2. ibi. Respondemus.*
b] *pag. 38. vers. Præsertim.*
c] *p. 39. vers. Post litem ex l. sed etsi 25. § 7. π. de petit. heredit.*

SED PRÆTERQUAM quod Saxones & Brandenburgici nunquam hoc dederint, quod Neoburgici rem ad se pertinentem possideant, atque jure divino & humano muniti sint, facilis est insuper ad prædicta responsio. Primùm enim dicitur: mera convicia hæc esse, *Serenissimum Bipontinum malæ fidei existere, vel jus alienum contra conscientiam possidere.* Secundò negatur, eundem conscientiam rei alienæ habuisse ex publicis Neoburgicorum contestationibus, literis & denunciationibus ad eum finem factis. Negatur etiam, litem à Neoburgicis contestatam vel motam hactenus ritè, & Iuris ordine servato unquam fuisse, aut si sit, malæ fidei possessorem factum: Et rursus cœpisse scire, rem ad se non pertinentem se possidere. Actoris enim nullo Iure penitus muniti vel nixi contestationes, literæ, vel denunciationes[d], bonæ fidei possessorem malæ fidei non reddunt: alioqui possessor quilibet vel justissimus, per huiusmodi contestationes actoris injusti, conscientiam rei alienæ habere inciperet; & protinus (si vera Neoburgicorum sententia esset) rei possessione cedere deberet: quod inter absurda Iuris sanè reponendum est.

d] *l. Tutor urgentibus 47. π. de minoribus. l. si hominem 30. π. mandati: l. si fundum. 17. Cod. de rei vindicat: l. si major 13. Cod. de rescind. vendit.*

NEC EST QUOD Neoburgici responsum ex Vlpiano[e] à Bipontinis depromtum reprehendant. Aptum quippe Bipontinis est admodum. quod ita se habere verè, facti specie proposita sic demonstro.

e] *l. Sed etsi 25. §. scire ad se 6. π. de hered. petit.*

Putavi rectè factum testamentum, (in quo institutus heres à te fui) cùm tamen inutile testamentum esset: te mortuo bona tua, velut heres tuus, occupavi: & sic in Iure vel facto erravi[f]: quia rectè factum esse testamentum putavi, quod tamen inutile fuit, & ex eo licet inutili, posse me tua bona occupare credidi. Vel ulterior Adgnatus te mortuo bona tua occupavi, cùm alius me præcederet Adgnatus: occupavi, inquam, cùm putarem mihi potius (fortè ob summam quæ mihi tecum intercessit amicitian) bona tua deferri, quàm alteri & sic in Iure erravi[g]? Sanè prædo non sum, quia dolo careo, licet in jure errem. Hæc est Vlpiani sententia; quæ potest Serenissimo Bipontino commodè sequentem in modum aptari.

f] *Accursius in d. §. scire ad se 6. in verbo inutile.*
g] *Accursius in d. §. scire 6. in verbo deferri. Arg. l. 1. §. 1 vers. Item est si frater π. de iuris & facti ignorant.*

Serenissimus Bipontinus, ulterior Agnatus Electoralis remotior Neoburgico, Administrationem Electoralem prior est adeptus, cùm tamen eum præcederet proximior Adgnatus. Ob eam sanè causam in dolo vel mala fide dicendus à Neoburgicis non est, ut passim ab ipsis dicitur: quia potest Iuris errore se justè defendere: dicere denique, se Testamento solenni Electoris defuncti munitum, & persuasum, quòd Testamentarius talis Tutor legitimum longo post se intervallo relinquat, Electoralis Administrationis possessionem adeptum esse: quia Iuris error excusat à dolo & bonam fidem inducit. Vident Neoburgici (jocis quibus utuntur omissis) posse prædictam Vlpiani sententiam servatis terminis (ut ipsimet loquuntur) terminantibus, ad Serenissimi Bipontini causam & defensionem admodum commodè transferri.

Nec obstat quod Neoburgici statim ex eodem Vlpiani [a] loco protinus subjiciunt: *Post litem contestatam OMNES possessores incipere malæ fidei esse, quin imò post controversiam motam.* Abutuntur enim Neoburgici illo Vlpiani loco, quia locum illum ab hypothesi sua ad thesin extendunt. Vlpianus enim de reo sive possessore petitione hereditatis convento loquens tradit, in hereditatis petitione omnes possessores post litem contestatam, imò post motam tantùm controversiam, malæ fidei possessores esse. Et cur quæso? Quia possessor hereditatis caret [b] titulo, & interrogatus cur aut quo titulo possideat, nullum titulum allegat: sed hoc [c] tantùm dicit vel respondet, se possidere quia possidet: ac propterea statim post litem motam, id est, post interrogationem & responsionem illam ineptam, malæ fidei possessor esse censetur: & ob eam causam malæ fidei possessor citiùs præsumitur, ut Albericus ad illum Vlpiani locum notatum reliquit. Igitur non loquitur Vlpianus regulariter de OMNIBVS possessoribus, sed de hereditatis possessore, qui titulo caret, adversus quem petitione hereditatis agitur, qui in Iure interrogatus cur possideat, adeò impudenter respondet, & loco tituli nudum factum allegat, hoc modo: *Possideo, quia possideo.* Erit itaque sententia loci illius hujusmodi: Omnes possessores qui titulo carent, & nullum titulum allegant, malæ fidei possessores fieri incipiunt statim post litem contestatam: imo post litem tantùm motam: quia cùm titulo careant, nec titulum proferre velint, aut possint, citiùs præsumuntur malæ fidei possessores, quàm alii qui titulum habent, vel se habere dicunt. Ex quibus apparet locum illum Vlpiani Serenissimo Bipontino, Tutori solenni testamento dato, à Neoburgicis non rectè

a] *Ex d l. 25. §. Si ante litem contestatam 7.*

b] *l. Cogi 11. Cod. de hered petit.*

c] *l. qui interrogatus 12. ff. de hæreditatis petitione.*

rectè objici, veluti nullum titulum habenti. Quia (ut antea dictum, & notorium etiam est) justum titulum & in omni Iure maximè favorabilem, si quisquam alius, Dux Bipontinus habet, nempe justum & solenne defuncti Testamentum: & quidem (quod bonam ejus fidem auget) à Cæsare in possessorio tacitè confirmatum, lite ad judicium ordinarium remissa: præsertim etiam cùm [a] tot Electorum Principum & Doctorum opinionibus munitus instructusque sit, & sic justas in conscientia credendi litigandique causas habeat.

a] Vers. Menochium 2. de arbitrariis 177. Doctores in l. Qui solidum. 78 §. etiam 2. in fin. ff. de leg. 2. Novell. 81. c. 10 & c. cum venissent. 3. Extr. de eo qui in poss. mittitur causa rei servanda.

Vident itaque Lectores æquissimi, quàm perperam & iniquè Neoburgici Serenissimum Bipontinum illo Vlpiani responso petiverint vel petere velint. Et alioqui, si præcisè (ut volunt Neoburgici) superius Vlpiani responsum ad omnes omninò possessores pertineret, justum titulum vel justam litigandi causam habentes, nuda sanè actoris petitione aut contradictione malæ fidei possessor fieri quis statim inciperet, & rem protinus actori restituere, vel possessioni cedere, vel sequestro committere, & sic re sua vel rei suæ possessione carere ante causam legitimè cognitam & sententiam latam teneretur. Et quid si proximior & senior Adgatus, Administrationis possessionem ex voto prior adeptus fuisset, & Testamentarius Tutor controversiam ei movere necesse haberet; an proximior Adgnatus illicò vel protinus malæ fidei possessor esse inciperet, & audire vellet? Non puto Neoburgicos id unquam cuiquam concessuros. Desinant itaque & ipsi Bipontinis malam fidem objicere ex eo solo, quòd Bipontinis de Tutela Electorali qualis qualis mota sit controversia: & illo Vlpiani loco perperam intellecto, cessent deinceps abuti: & locum illum diligentius & attentius legant & intelligant: nec illo utantur adversus eum, qui interrogatus, Cur Tutelam Electoralem gerat? respondet: *Ideò gero, quia Tabulas solennes Electoris defuncti habeo, Cæsaris rescripto ejusque Camera eatenus firmatas, ut mala fidei præsumptionem excludant*: nisi & ipsam Cæsaream Majestatem mala fide rescriptum sæpe allegatum dedisse, allegare velint Neoburgici.

NEC OBSTAT, quòd Neoburgici *inter* [b] *hanc possessionis vel Tutela controversiam & Iuliacensem, tantam differentiam esse statuunt, quanta sit inter Solem & tenebras*. Et cur quæso, cùm iisdem defensionibus utantur hîc Bipontini quibus in illa causa Neoburgici? nempe Iure Divino, Gentium, Civili & aliis. Quia inquiunt Neoburgici, *TOTI IAM penè Orbi innotuit, eam possessionem, quæ penes Neoburgicos reperitur,* nec

b] p. 39. Vers. Nam quod ad controversiam.

IVLIACENSIS causæ & huius tutelaris controversiæ, an sit differentia, ut volunt Neoburgici?

vi, nec clàm, nec precariò adquisitam: sed optimis maximis titulis (divini & humani Iuris) dominii, hereditatis, sanguinis, primogenituræ, pacti & providentiæ majorum, dotalium instrumentorum, privilegiorum unionis & successionis, omnem extraneorum vim prohibentium, habentium vim sententiæ, & tribuentium potestatem propria autoritate ingrediendi possessionem, munitam esse: prædictis autem omnibus INVASIONEM Bipontinam destitui, ut ex præcedentibus (inquiunt Neoburgici) *omnibus liquet: idéoque universos principes Vnitos, quorum se socium Dux Bipontinus fatetur, publico scripto testatos, justam esse causam Neoburgicorum & Brandeburgicorum possessionem, & dignam (quod re ipsa præstiterunt) quæ armis defendatur.*

Recte. Sed quomodo probabunt Neoburgici, toti Orbi jam innotuisse, possessionem illam Iuliacensem, vi non quæsitam esse, cùm & Cæsarea Maiestas, & non pauci Imperii Romani Ordines secus senserint, & magnis exercitibus Iuliacum expugnatum fuisse allegent? Si vim suam justam esse, ac propterea se manutenendos dixerint, (quod nos salvo Bipontinorum, Brandeburgicorum & Saxonicorum Principum Jure, in cæteris largimur, in feudis Electori Palatino apertis minimè,) cur non æquè Serenissimus Bipontinus in Administratione Electorali manutenendus erit? eò magis, quòd toti Orbi innotuerit jam, & innotescat adhuc hodie, sine vi vel minimâ Serenissimum Bipontinum possessionem adprehendisse?

Sed optimis maximis (inquiunt Neoburgici) *titulis divini & humani Iuris &c. Iuliacensia possident Neoburgici?* Et Bipontinus sanè in Administratione hac, nec deterioribus, nec paucioribus, imò pluribus & apertioribus Iuribus nititur, quàm Neoburgicus, ut libro II. supra docuimus. Sed & in Iuliacensibus simile prorsus jus matri suæ Illustrissimæ (uti sorori postremò defuncti Ducis Iuliacensis) competere, allegat testamentarius noster Administrator. Insuper Elector Palatinus Comitatum novæ aquilæ, Baronatum Mopach & alia feuda opima, quæ à majoribus suis Duces Iuliacenses recognoverunt, ad Neoburgicos nec divino nec humano jure pertinere ostendit.

At universi Principes Vniti, quorum se socium Dux Bipontinus fatetur, publico scripto testati sunt, justam esse Neoburgicorum & Brandeburgicorum possessionem, & dignam quæ armis defendatur quod re ipsa præstiterunt? Et utique iidem Principes Vniti, (quorum se socios Neoburgici fatentur) præterquam quòd Electori Palatino, non magis, quàm ille sibi ipse & suis hæredibus, uti nec Bipontinis Principibus,

cipibus, Brandeburgicis item & Saxonicis, suis auxiliis præjudicare voluerunt, (ut ex Actis demonstrari potest) si non universi, at sanè potiores & plures (ut Reges duo potentissimi, & Ordines Illustres Hollandiæ) Serenissimi Bipontini possessionem, Tutelæ scilicet & Administrationis Electoralis, justam jam agnoverunt. Imò præter Principes, & Status, alii quoque eandem possessionem Bipontini velut justissimam probarunt. Quid multis opus est? Electores Ecclesiastici omnes, & Brandeburgicus. Quid amplius? Cæsar ipse supremus, & eius augusta Spirensis Camera. Huiusmodi sanè nec tot, nec tanta possessionis suæ suffragia, Neoburgici in causa vel possessione Iuliacensi hucusque, utut passim hoc enixissimè affectârint, obtinere potuerunt.

SED VIDEAMUS accuratiùs, quàm optimis maximisque titulis, non vi, clàm, precariò, possideant Neoburgici: & inter Bipontinos & Neoburgicos solos (Marchione Brandeburgico Duceque Saxoniæ omissis, qui se in Iuliacensibus Neoburgico jure potiores dicunt) ineatur comparatio. Vi solidâ, non sine sudore & pulvere, & multo cruore Neoburgici possessionem Iuliacensem sunt adepti: Bipontinus Administrationem Electoralem sine vi & motu vel minimo, denique sine sudore & sanguine. Titulum habent Neoburgici? Habet & Bipontinus: Testamentum scilicet Electoris defuncti solenne & omni jure munitum, ut libro secundo docuimus; & quidem ab Imperatore in possessorio (ut supra dictum est) confirmatum, & à Curia probatum. Principes Vniti justam Neoburgici in agro Iuliacensi possessionem agnoscunt? Et iidem, Bipontini quoque possessionem, ut antea dictum est. Agnoscuntur Neoburgici ab Exteris quibusdam? Bipontinus à pluribus & potioribus. Autoritate propria ingredi possessionem Iuliacensem Neoburgicis licuit, tot Principum suffragio munitis? Licuit & eodem modo vel jure Bipontinis Electoralis Administrationis possessionem autoritate sua ingredi, tot fœderatorum Regum, Principum, Statuum, Ordinum consensu nixis. Ius est Neoburgico possessionem suam armis defendere? Non video cur non Bipontinis idem [a] jus armorum, si res ita postulet, sit commune? Quinimò potest dici, quòd melior & maior sit etiam in eo titulus Bipontini quàm Neoburgici. *Primò* quòd Neoburgici complures Adversarios & contradictores habeant, qui litem ipsis movent, & ipsis Neoburgicis maximis titulis præferri cupiunt, & Neoburgicorum Titulos elevant & incusant, quasi nullos, vel in-

a] *l. ut vim. π. de justitia arg. l. Qui restituere 68. π. de rei vindic. at.*

justos: cùm Serenissimo Bipontino in hac Administrationis causa unus tantùm, isque prætensus, contradictor & adversarius existat. *Secundò* quòd post longum satis tempus & ex intervallo nonnihil prolixo, sedis vel arcis Iuliacensis possessionem adepti sunt Neoburgici, præsidio ex illa discedere coacto. Bipontinus verò protinus & incontinenti [a] possessionem vacuam est adeptus, (ab ipso quippe Electore adhuc vivo & spirante istic collocatus & immissus) nullo possessore penitus eiecto. *Tertiò* quòd Neoburgici plures compossessores iam in agro Iuliacensi habeant: Bipontinus verò solus per Dei gratiam, & quietè commodéque possidet. *Postremò* quòd Neoburgicorum titulus nec ab Electoribus, nec à Cæsare, nec à Curia Spirensi hactenus probatus est: cùm à prædictis omnibus titulus Bipontini jam sit agnitus. Vt hinc quisque colligat, Ducem Bipontinum non modò pluribus, sed etiam non deterioris notæ titulis possessionem Administrationis Electoralis defendere, quàm suam Neoburgici possint Iuliacensem.

a] *l. 1. C. Vnde vi.*

SED AD alia transeamus.

¶ AD DECIMAMQVINTAM *Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

DIXERVNT [b] Bipontini: *Se non terreri Neoburgicorum minis, obiicientium pœnas Aurearum Bullarum: imò convenientiori loco se demonstraturos, ipsos Neoburgicos in dictarum Bullarum pœnas incidisse.*

NEOBVRGICI quid? *Bipontinos* [c] *evidenter CALVMNIARI, & puniendos esse.* Quid præterea? *Principis* [d] *Neoburgici seniori, & egressi jam* DEI *beneficio annum LXIII.* FVISSE ADMONERE LIBERE DE ERRATIS, *& imminentis dispendii magnitudine eos, qui sanguinis necessitudine sibi coniuncti sunt: cùm jura etiam civilia* [e] IN CORRIGENDIS IVNIORIBVS, PRO QVALITATE DELICTI, SENIORIBVS PROPINQVIS TRIBVANT POTESTATEM. BELLIS-

b] *p. 39. in fin & p. 40 inprim. Responsionis Apologeticæ.*
c] *p. 40. vers. Bona verba quæso.*
d] *p. 40 Vers. Principis verò Neoburgici.*
e] *l unic. C. de emendat. propinquorum.*

CORRIGENDI pro qualitate delicti Ducis Bipontini & defuncti Electoris, jus Neoburgico tribuunt Neoburgici, tanquam seniori in iuniores.

BELLISSIME sanè, venustè, & appositè admodum. Nam ex prædictis demonstrant Neoburgici, Illustrissimum Principem Neoburgicum, velut seniorem propinquum, IVS CORRIGENDI IVNIORES pro qualitate delicti habuisse. Et qui sunt illi quæso IVNIORES in plurali? Totus jam Orbis audiat. Sanè Neoburgici δεικτικῶ & ad oculum digito designant, Illustrissimum Principem Neoburgicum velut seniorem jus habuisse corrigendi primò Serenissimum Bipontinum, secundò Fridericum IIII. piæ memoriæ Electorem, velut ætate juniores. Quid incivilius dici possit, non video. Alter est etiam typhus sive fastus Neoburgicus, audere tantis Principibus *delictum* aliquod opprobrare, & pro qualitate eorum delicti, juris animadversionem, potestatem & Imperium duos illos Principes corrigendi sibi sumere. Est & in eo vitium vel erratum Neoburgicorum non minus, quòd defunctum Electorem IVNIOREM vocent. Nam licet annis vel ætate superatus ab Illustrissimo Neoburgico defunctus fuerit Elector, non ex eo tamen sequitur, Electorem velut Iuniorem ab Illustrissimo Neoburgico, aut velut reum delicti alicuius pro qualitate eius corrigi potuisse. Si tantùm MONERI posse dixissent Neoburgici, plus satis dixissent. Sed quis quæso Consanguineus Electoralis jus corrigendi defunctum Electorem (velut alicuius delicti reum, & ætate juniorem) habuit?

IVNIOREM an rectè vocent Neoburgici defunctum Electorem, eum comparantes senioribus Adgnatis?

Addam insuper, in Principalibus & Electoralibus familiis non ita nobis spectandam ætatem esse Principis vel Electoris ipsius (ut ita loquar) regnantis, quàm dignitatem eius & præeminentiam: cujus vigore vel intuitu SENIOR sanè censeri, dicique debuit, & pro Seniore ab omnibus Adgnatis (licet ætate provectis & decrepitis) colendus, venerandus & honorandus semper fuit. Defunctus enim Elector (ut hoc omnes sciant) licet ætate junior, primus tamen Princeps velutque caput totius Palatinæ familiæ fuit, & totius Adgnationis Genearcham sive Protopatrem (ut ita dicam) repræsentavit. In illa sede vel arce, in qua primus Adgnationis totius Palatinæ parens, solus & unicus sedit. Inter omnes qui vivunt hodie, Reges, Principes, Duces, hoc jus velut sacrosanctum & divinum constantissimè servatur, ut primogenito natus, cæteros eiusdem familiæ præcedat, licet annis vel ætate seniores, & ut ab Adgnatis licet senioribus, velut PARENS & CAPVT totius Adgnationis honoretur & colatur: ut omnes ipsi

tanquam DIGNITATE seniori assurgant, caput aperiant, loco cedant: ut ipse vel eius personam repræsentans Administrator cæteros velut juniores admoneat, ne dicam cum Neoburgicis, corrigat. Hanc consuetudinem & legem si à familiis Principalibus sustuleris, ἀναρχίαν & confusionem summam induxeris, & vilem ac contemptibilem [a] familiam reddideris. Eatur per Orbis universi familias omnes Regias & Principales, jus illud constans fixum & inviolabile reperient Neoburgici. Vnde puto colligi meritò potest, Electorem defunctum, non minùs ea parte juris in monendo proximiore & Seniore Adgnato habuisse, quàm Neoburgici in ipsum sibi sumpserunt vel adseruerunt Electorem defunctum. Quæ sententia quem tractum vel exitum habere possit, cogitent exactius Neoburgici. Nam satius opinor ipsis fuisset, verbis illis *juniores corrigendi* non uti, & Electoribus talia jura non suggeri. Est & eo incivilior Neoburgicorum de corrigendis junioribus propinquis à senioribus, ex Iure Codicis [b] allegatio, quòd *corrigendi* verbo ibi lex, jus & potestatem junioris propinqui in corpus etiam verberibus corrigendi permittat: ut solent in scholis [c] à magistris & præceptoribus discipuli corrigi. Et ita quoque locum illum Anianus vetus [d] Codicis Theodosiani Interpres exposuit, & privatam animadversionem pro privata districtione *verberibus corrigendi* accepit.

a] *v. l. Nec quidquam 9. §. 2. ibi, ne contemptibilis π. de officio Proconsulis. l. Observandum 19. ibi, se contemni π. de officio præsidis.*

b] *l. unic. de Emendatione propinquorũ.*

c] *l. 5. l. 6. π. ad l. Aquiliam: l. prætor 7. §. 2. π. de Injuriis.*

d] *Ad l. unicam Cod. Theodos. de emendat. propinq. ibi, privata animadversione.*

NEC OBSTAT etiam quod secundo loco dicunt [e]: *non alienum esse ab officio PATRVI, qui Parentis loco reverenter colendus est, minari ruinam familiæ propinquis, si videat in eadem familia, ab eiusdem familiæ personis, in eadem causa, tanta vehementia non tantùm negligi vel sperni, sed impugnari, quod ante paucos annos pro sancto, inviolabili, pio, justo, habitum & pronunciatum est.*

e] *p. 40. vers. Neque verò alienum est.*

PRIMVM enim, ut hîc antiquissimum proverbium præteream, *Semper patruos in fratrum filios severos esse*, sanè laudo quod aiunt, *patruum Parentis loco venerandum esse*. Nam ex eo infero vicissim, *Patruum fratris filium, Filii modo tractare & cum eo mitiùs agere debere*. Imò defendi potest, Bipontini Ducis partes hactenus fuisse & hodie esse, velut Administratoris Electoralis, Neoburgicos licet ætate seniores, monere. Nam cùm vices Electoris, & sic munus publicum, sublime & Electorale sustineat, non quid Adgnato placeat vel utile sit, spe-

ſpectare debet, ſed quid pupillo Electorali vel IUVENI Electori commodum ſit vel prodeſſe poſſit. Nam quod [a] ad jus publicum attinet, jus poteſtatis (ut ſciunt Neoburgici) non ſequitur, id eſt, non attenditur, ſed qui magiſtratu [b] tantùm fungitur, ſpectandus eſt: ut ita filiusfamiliâs prætor poſſit patrem ſuum litigantem cum alio, iubere rem reſtituere adverſario. SECUNDO notandum eſt, Minas illas ruinæ in familia Palatina futuræ, revera non eſſe propoſitas à patruo uni fratris filio, (id eſt Duci Bipontino) ſed ipſimet Electori Iuveni, Friderico V. quem ut Principem iam & caput totius familiæ Palatinæ hęc ruina vel maximè oppreſſura eſſet: Et tamen ita tegere & velare injuriam, quam Electori ipſi inferunt, ut unum Ducem Bipontinum nominent, & alteri tamen quoque ruinam familiæ ſint minati. unum ictum dediſſe videri volunt, & duplicem tamen intulerunt. Imò ſi quis à Neoburgicis in hoc articulo monendus de ruina Palatinæ familiæ fuit, defunctus Elector fuit, qui totius hujus Tutelæ Electoralis teſtamentariæ cauſa extitit: Nec Dux Bipontinus accuſandus, qui defuncti voluntatem ultimam ſolennem, & à Cæſare in poſſeſſorio roboratam, tantùm exſequitur. AC PRÆTEREA cauſam Neoburgici nullam habuerunt, ruinam familiæ Palatinæ minandi, ob non probatam vel receptam ab Electore defuncto, & à Sereniſſimo Bipontino, ab omnibus uno verbo Electoralibus hujus ætatis, illorum de Tutela Anomala Electorali & ipſis tantùm utilem ſententiam, quam nonnulli nuper vel non ita pridem receperunt. Nam & in Scholis, & Cameris & Iudiciis, paſſim & quotidie ita fit & accidit, ut præſentes à veterum ſententiis, opinionibus, judiciis, & decretis, meliùs moniti vel inſtructi, liberrimè recedant. Quo nomine tamen nullus ruinam Scholis, Cameris, & Iudiciis huc uſque minatus eſt. Quin ut alius ruinam familiæ Palatinæ minari potuerit: nec tamen id unquam Neoburgici Iure facere, nec ad Provinciam Palatinam, tanta cum jactura vel ruina delendam [c], ſe venturos minari debuerunt: ut mirari propterea non debeant, ſi poſſeſſores cogente neceſſitate armis arma opponant, & ſe naturali gentiumque jure defendant.

a] *l. 13. l. 14. π. ad Trebell.*

b] *vide Tauri Philoſophi ſententiam apud Gell. lib. 2. cap. 2.*

c] *l. minimè 35. π. de religioſis.*

SED AD aliud Neoburgicorum Reſponſum veniamus.

AD DECIMAMSEXTAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Bipontinorum Replicatio.

a] p. 41. lin. ult. Et seq. Respons. Apologet.
b] d. p. 41 lin. antepenult.
c] p. 42. Vers. Respondetur.
d] p. 42. vers. Ecqua enim sunt ista.
INIVRIOSA verba adversus Bipontinum hactenus effusa, Neoburgici dissimulant: nec eadem referunt: ac praeterea perperam dicunt, se juris sui tuendi gratiâ talia verba protulisse.

BIPONTINI dixerunt [a]: *Ducem Ioannem Bipontinum, ex Neoburgicorum injuriis nihilo remissiorem factum in officio, quod sanctè promisit, praestando: sed onus susceptum, fide optima procuraturum, reservata interim sibi cumulatarum istarum injuriarum vindicta & persecutione.*

Neoburgici quid? *Bipontinos se* [b] *munire animi sui Confidentiâ vel Pertinacia potius*: item *nisi* [c] *sic fingerent, nunquam id dicturos.* Sed haec, elogia scilicet, praetereantur. Neoburgici postea quaerunt [d]: *Ecqua sint ista maledicentia & injuria in adsertum Tutorem Testamentarium à scriptoribus Neoburgensibus effusa? Non enim injuriam esse, quod Neoburgici conquerantur, a Duce Bipontino Ducem Neoburgicum in munere delata sibi Tutela & Administrationis INIQVE TVRBARI*: Item *ab EO VIOLATAM Auream Bullam Caroli IIII: Cum Bullis Aureis potius expostulandum esse, quae jacturam famae & bonorum minentur violatoribus. Talia à Neoburgicis non dicta injuriae animo, nec ad infamiam alterius aut invidiam, sed sui defendendi & Iuris publici persequendi gratia. Eum potius Injurium esse, qui rem non suam vel jus alteri debitum iniquè occupat.*

e] p. 42. ibi, iniquè turbari & violare.
f] p. 42. vers. Nam ex rescripto.
g] p. 43. vers. ibi, Turpiter.
h] p. 43. ibi, Si ex falsis instrumentis.
i] Vers. Non enim: ibi. Quod occidet forsitan aut adulterabitur.

QVID? Credemus igitur Neoburgicis dicentibus, Maledicentias & injurias nullas ab ipsis in Ducem Bipontinum scriptis editis effusas esse? cùm etiam hoc ipsomet loco dicant [e]: *Ducem Bipontinum INIQVE turbare Neoburgicum: Bullam Auream à Bipontino VIOLATAM: rem non suam & jus alteri debitum iniquè OCCVPARE.* Quid amplius? Cùm scribunt [f] vel allegatis Constitutionibus adversus Ducem Bipontinum innuunt: *Pactum & Iusjurandum defuncto Electori ab eo praestitum, contra bonos MORES, IVS Commune & publicum, TVRPE* [g] *& EX FALSIS* [h] *INSTRVMENTIS initum: & ab eo illicito licitè recedi, & hujusmodi transgressionem magis placere Deo, quàm Iurisjurandi observationem: veluti si quis IVRASSET* [i] *aliquem OCCIDERE*

vel

vel ADVLTERIVM committere. SVB [a] *SPECIE RELIGIONIS & Iurisjurandi Ducem Bipontinum non posse continuare, quod per se est & ipso jure invalidum: & difficile* [b] *esse, ut quod MALO PRINCIPIO INCHOAVERIT, bono peragatur exitu.* Mitto [c] *malam fidem & conscientiam, calumniam, violentiam, manifestam fraudem, frustrationem, invasionem, rapinam, prædam, clandestini vitium, furtum, depectionem* [d], *falsam Tutelam & huiusmodi alia complura*, Duci Bipontino à Neoburgicis obiici. Quæ cùm ita sint, quâ quæso fide à Bipontinis quærunt Neoburgici: *Ecquæ sint istæ maledicentiæ & injuriæ in Ducem Bipontinum* (quem Adsertum tutorem testamentarium per contemptum appellant) *effusæ*? Cùm præsertim in aliis etiam scriptis ipsorum, quibus ut primi motores hanc litem per universum pene Orbem disseminarunt, infinitæ sint eiusmodi injuriæ.

Nec audiendi sunt Neoburgici, cùm aiunt [e], *se voces hujusmodi protulisse, non injuriandi animo, nec ad infamiam alterius aut invidiam: sed sui tantum defendendi, & juris publici persequendi gratia.* Sunt enim voces istæ adeò famosæ, duræ, nigræ, atroces & acerbæ, ut à Neoburgicis sine conviciandi & injuriæ inferendæ animo prolatæ videri non possint: quia Prædonem [f], Rapacem [g], & Furem [h] eum, qui nec prædo, nec rapax, nec fur sit, vocare nemo [i] sine injuria & maledicendi animo potest. Id enim Prædonis, Rapacis & Furis nomina gravia simul & atrocia suâ naturâ indicant. At innocentes [k] sic infamare, maximè Principes viros, injuria semper, & ubique, & apud omnes gravis habita est.

Nec ad rem facit, quod Neoburgici dicunt: *se voces huiusmodi protulisse, sui tantum defendendi, & Iuris publici persequendi gratiâ.* Hæc enim scribendi ratio, mera potius contumelia est, defensionis inculpatæ fines & terminos excedens: & proinde meritò culpanda. Nec illa quoque protestatio Neoburgicos relevare potest, utpote verbis & factis ipsis contraria, non magis quàm si alteri dicerent: *Tu mentiris, salvo honore tuo, salva reverentia tua.* Huiusmodi namque protestatio non [l] relevaret, quo minus Neoburgici actione injuriarum tenerentur. Quid igitur? Sui tantùm defendendi gratiâ, talia & huiusmodi protulisse Neoburgici præsumi sanè non possunt. Quia neque ullo dicto factove ipsi læsi sunt, & norunt optimè, se jus suum aliter quàm huiusmodi conviciis consequi posse & debere: & hanc quoque scribendi maledicendique licentiam Responsionis suæ initio [m] detestati sunt: ac præterea nulla propè pagina est à Neoburgicis edita, in qua tales

a] *vers. Non igitur: ibi, sub specie religionis.*

b] *Vers. Et difficile.*

c] *vide pag. 7. & 8. Respon Apolog. Neoburgica. Et quæ ad illum locum supra notavimus.*

d] *p. 8 lin. 5. ibi: Quasi depectus. Quãquam in erratis legant, despectus, sed nullo sensu.*

e] *p. 42. vers. Quæ autem non iniuria animo.*

f] *p. 64 Vers. Quod vero ibi, cum &* Prædo.

g] *p. 7. Vers. quam calumniam ibi & rapaces appellantur.*

h] *p. 8. lin. 13. ibi: ut furto comparetur:*

i] *l. item apud Labeonem 15. §. Si quis Astrologus 13. ff. de iniuriis. l. Si non convicii consilio 5. Cod. de iniuriis.*

k] *l. Eum qui nocentem 18. ff. de iniur. l. diffamari. 5. Cod. de ingen. manumiss.*

l] *Bart. in l. Si quis Extraneus 21. in pr. n. 3 & seq. ff. de adq. hered. Et in l. non solum 8. §. morte. 6. n. 47. ff. de operis novi: Guido Papius decis. 465 Clarus 5. sentent. §. iniuria Vers. Sed pone.*

m] *p. 4. vers. vetus autem est.*

tales biliosi & impotentis animi flosculos non adspergant, ut nullo prætextu caloris defensivi possint defendi. Debebant etiam Neoburgici aliquam Electoris defuncti rationem habere, qui princeps & author huius Tutelæ extitit: quin & Cæsaris ipsius, qui hanc Testamentariam Tutelam in possessorio firmavit: & rursus Regum, Electorum, Principum, Ordinum ipsismet Neoburgicis confœderatorum, à quibus non sine certo & sano judicio hæc Tutela Testamentaria Electoralis pro vera justaque toties & tot modis iam est agnita. Denique prædictis vocibus adeò tristibus, acerbis & atrocioribus abstinere debebant Neoburgici, & suas potiùs actiones vel querelas conceptis in factum & in rem verbis temperare: vocibus illis ominis infausti & hostilibus dispunctis, ut aliàs inter conjunctas admodum personas & Principes viros mos est, & solet & debet [a] fieri. Libellus alioqui famosus [b] est, non actio: non juris, sed injuriæ executio.

a] *l. sed si 11. §. prætor. 12. π. de in ius vocando. l. non debet 10. l. ne ex dolo 11. π. de dolo. l. 4. §. adversus 16. π. de doli except.*

b] *vers. l. unicam Cod. de famosis libellis.*

Sed pergamus ad alia.

¶ *AD DECIMAMSEPTIMAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

BIPONTINI dixerunt [c]: *IUVENEM ELECTOREM jam subodorari, varia & injusta esse terriculamenta sibi decipiendo posita: ideoque pij patris providæ dispositioni meritò parére: nec tutum arbitrari, se suaque illis committere, qui patrem suum Serenissimum publicis libellis diffamant: quique heredes Electorales adserunt obligatos esse ad auxilia conferenda pro defensione causæ Iuliacensis; interim verò amplissima feuda post mortem Ducum Clivensium ad Electoratum reversa, sua facere nituntur.* NEOBURGICI quid? *Adsertionem* [d] *illam Bipontinorum SOPHISMA esse plenum INVIDIÆ & atrocissimarum injuriarum: item* [e] *hanc CAVILLATIONEM esse plura capita habentem: & adeò ad singula separatim respondendum esse.*

c] *ut refert Responsio Apologetica p. 43. vers. Decimum septimum Bipontinorum Sophisma.*

d] *d. vers. Decimum septimum.*

e] *p. 44. vers. Quoniam igitur.*

SED TAMEN ut hoc primùm dicatur obiter, notandum est, verbis

verbis expressis non respondere Neoburgicos ad titulum IVVENIS ELECTORIS, heredi Electorali (id est Friderico V.) à Bipontinis tributum. Quantum enim ex scriptis Neoburgicorum potest colligi, molestè ferunt, Fridericum V. (cuius Dux Bipontinus Curator & Administrator est) IVVENEM ELECTOREM à Bipontinis vocari, ideoque dicunt à *Bipontinis* ita vocari. Cæterùm ipsi nunquam eum IVVENEM ELECTOREM appellant: sed ab illo titulo, velut scopulo vel sacro refugientes, eum tantùm nuncupant *heredem* [a] *Electoralem, pupillum* [b] *Electoralem, primogenitum fratrem* [c], *& primogenitum Electoralem* [d]: quasi velint etiam prædicto Iuveni Electori controversiam nominis illius & tituli facere, & sibi titulum *Electoris* usurpare. Quod sanè expressè faciunt in brevi sua Informa: fol. 11. §. Daben dann ferner rc. ubi dicũt, *Quod secundum Auream Bullam Electoris filio nomen Electoris ante completum XVIII. annum minimè: sed & nomen illud sive titulus, ut & officium & dignitas Electoris ex dispositione legis soli Adgnato seniori competant.* Cùm tamen prædictus juvenis sive Primogenitus Electoralis, dici possit & debeat, imò sit re ipsa ELECTOR, licet adhuc juvenis sit, & nondum exercitium Electoratus propter ætatem habeat, ut alibi diximus. Sicut (ut hoc exemplo familiari & vicino demonstretur) Ludovicus XIII. annorum X. vel quod excurrit, *Rex Franciæ & Navarræ* publicis etiam literis, edictis, rescriptis nuncupatur, licet adhuc sub Tutela, Cura, & Administratione Reginæ matris suæ sit. Mater eius REGINA quidem dicitur & nuncupatur, sed non quâ REGENS & tutrix est Regis, sed quâ REGI nupta fuit hactenus, & per [e] REGIS nuptias Regina facta est. Et sanè, nisi res ita esset, id est, nisi IVVENIS vel Primogenitus Electoralis Elector diceretur vel esset, nullus Palatinus Elector nunc extaret, sed vel nudus tantùm Electoratus Administrator, vel unus & idem Administrator idemque Elector dicendus esset. At hoc ne quidem Dux ipse Ioannes Casimirus, (quantumvis patruus & secundo gradu constitutus, & quem Neoburgici Bipontinis velut adversarium & quidem strenuum opponunt, *& sanctæ memoriæ Principem* appellant) appetiit unquam, neque talem titulum (ELECTORIS scilicet) sibi vel assumsit vel adsumere præsumsit. Quanto minus Neoburgici, nedum patrui, sed Adgnati tot gradibus à prædicto Friderico V. remoti?

Maneat ergo firmissimum hoc axioma: Primogenitum Electoris defuncti (licet Infantem) ELECTOREM jure, proprietate, dominioque esse [f]: exercitio, potestate, Cura, Gubernatione & Administra-

IVVENIS Elector dici potest & debet, qui primogenitus est Electoris defuncti.

a] *p. 43. vers. Decimumseptimum Bipontinorum Sophisma, circa fin.*

b] *p. 44. vers. Vt innotesceret pupillo Electorali.*

c] *p. 44. vers. Neque dubium est primogenitum fratrem.*

d] *p. 45. vers. Deinde quod Electoralis primogenitus.*

e] *l. mulieres. C de dignitatibus lib. 12. l. 1. l. 8. l. ult. ff. de senatorib.*

f] *Aurea Bulla c. 24.*

tione tota Electoratus penes fidum eius Administratorem existente: ut Administratorem cum administrato Iuvene non confundant Neoburgici, sed separent: ut & natura & jure separati sunt: ut ille Elector & Electoratus ipsius dominus & proprietarius sit; alter verò Electoratus ipsius Tutor, Curator, Gubernator, Administrator. Et verò, si [a] idem Administrator esset quod Elector, cur diversum his personis vocabulum mandaretur, quas vis una & potestas sociasset? Diversitas enim nominum diversitatem effectus & juris demonstrat. Hinc fit, ut reditus omnes Electorales Iuvenis illius primogeniti nomine exigantur, erogentur, conserventur, & in rem eius velut DOMINI PROPRIETARII & IVRE ELECTORIS vertantur: non administratoris nomine, nec in rem aut commodum eius. Possem hoc etiam ex Bullis ipsis ulterius demonstrare, si vellem: sed alio tamen fiet loco vel tempore, si fors tulerit. Vnicum tantùm hoc adiiciemus jam, quod defensor testamentariæ tutelæ pag. 61 & 62. innuit, documentis Imperialibus & Palatinis omni exceptione maioribus doceri posse, primogenitum Electoralem ante legitimam XVIII. imo & ante XIV. annorum ætatem, ELECTOREM indigitatum fuisse à Cæsare, à patre Electore, cæteris Electoribus, Tutore ipso, atque adeò ab omnibus.

a] *l. Si idem. 7. C de codicillis.*

NVNC AD SINGVLA Neoburgicorum Responsa veniamus.

PRIMVM omnium aiunt [a] Neoburgici, *Se in id incubuisse, ut pupillis Electoralibus sententia Aurea Bullæ innotesceret.* Esto, & in id incubuerint: Laterem tamen lavant, & lavabunt semper. Nullam enim unquam veriorem Aurearum Bullarum interpretationem Neoburgici IVVENI ELECTORI & pupillis Electoralibus insinuare poterunt, quàm pupilli Electorales jam à piè defuncto Patre, & à fidis suis Consiliariis, virisque divini & humani juris peritissimis, hactenus jam audiverint & acceperint.

b] *p. 44. vers. Ex primo.*

CVRA Neoburgicorum, ut pupilli Electorales veram sententiam Bullarum habeant, qualis fuerit.

SECVNDO aiunt Neoburgici [b], *Se in id incubuisse, ut pupilli Electorales, quantum pro ætate possent, intelligerent, quâ pietate & optimi parentis voluntati morem gerere, & legitimum Tutorem & Administratorem colere debeant.* Si vera Neoburgicorum verba sunt, & defunctus Elector optimus liberis suis parens fuit; cur igitur non patiuntur pupillos Electorales optimi parentis sui voluntati morem gerere? cur

c] *p. 44 vers. Et quantum pro ætate.*

CVRA Neoburgicorum, ut pupilli Electorales Patri defuncto morem gerere, & legitimum tutorem suum colere, qualis extiterit.

tere? cur eos contrariis informationibus fatigant, & à patris voluntate in suam abducere conantur? Imò protinus audies, lector, Neoburgicos, pupillos Electorales hortari, ut à patris voluntate deficiant, & eam deserant: & plus fidei proximioris Adgnati informationi, & ad ipsius commodum spectanti, tribuant, quàm patris Electoris providæ & circumspectissimæ dispositioni: denique ut paternæ voluntatis desertores, transfugæ fiant, & Neoburgicos audiant.

TERTIO dicunt Neoburgici, *Nullum*[a] *dubium esse, primogenitum fratrem (id est Fridericum V. defuncti Electoris filium primogenitum) pro ingenita natura bonitate jam dudum animadvertisse, non sivi decipiendo ulla vana terriculamenta posita.* Malè. Nam nec prædictus primogenitus hoc unquam cuiquam hominum dixit se animadvertisse, quod aiunt hic Neoburgici: nec etiam præsumendus est talia unquam vel cogitasse, vel dixisse: ut hoc confictum à Neoburgicis sit: quos etiam non latet, ipsummet Iuvenem Electorem & per Epistolas, & per Legatos non semel contestatum esse, Se pii ssimi parentis voluntati, & huic Testamentariæ Tutelæ parère velle, prout etiam piè & laudabiliter, (utut indignantibus Neoburgicis) facit.

a] *p. 44. vers. Neque dubium.*

TERRICVLAMENTA Neoburgicorum an primogenitus Electoralis noverit.

QVARTO dicunt[b] Neoburgici, *Prædictum primogenitum scire, magni & periculi & præjudicii rem fore, si SALVO STATV ET RELIGIONE, Tutoris legitimi ratio non habeatur: præsertim in iis, quæ non ad educationem pupillorum, sed ad ipsius Electoratus & jurium ab eo dependentium Administrationem pertinent.* Respondeo, Et hoc quidem primum est, quod à defuncto Electore moniti, interpellati & rogati Neoburgici, CAVERE ab initio debuerunt, SALVVM[c] scilicet STATVM, & SALVAM RELIGIONEM in Palatinatu fore. Atqui nec cavere, imò nec simpliciter promittere id unquam voluerunt: sed conditiones à defuncto Electore propositas, *sine macula existimationis & CONSCIENTIÆ acceptari nullo modo potuisse, & LIBERRIMAM SIBI CONSCIENTIAM petiisse*, etiam hac ipsamet Responsione Apologetica totidem verbis referunt & testantur Neoburgici. Verùm ad illum locum Neoburgicos nunc remittemus, audituros illic plura.

b] *p. 44. Vers. Sed magni & periculi.*

SALVVM Statum & salvam Religionem Palatinatui an Neoburgici promittere voluerint?

c] *p. 44. vers. Salvo statu.*

d] *p. 72. vers. Sperare ibi, sine macula existimationis & conscientia.*

a] *p 44. verſ. Tutoris legitimi rationem habeatur.*

CAVERE licet velit proximus Adgnatus cavenda, non tamen admittendus eſt ad Adminiſtrationem, ſtante Teſtamentario Tutore.

QVINTO dicunt [a] Neoburgici, *Magni periculi rem & præjudicii eſſe, ſalvo ſtatu & religione Tutoris legitimi rationem non haberi.* Sed negari poteſt, Tutoris legitimi rationem ulla juris neceſſitate habendam eſſe (licet caventis vel promittentis, ſalvum Statum ſalvamque Religionem fore) cùm Teſtamentarius aliquis Adminiſtrator Electoralis jam exiſtat. Imò magni periculi eſt, Adgnatum tam enixè Tutelam affectantem admittere, ut alibi docebitur.

b] *p 44. verſ. Præſertim in iis quæ non ad educationem.*

EDVCATIONEM pupillorum Electoralium omittere ſunt parati Neoburgici, dummodo ipſius Electoratus Adminiſtrationem conſequantur.

SEXTO aiunt [b] Neoburgici, *Rem eſſe magni periculi & præjudicii, ſi Tutoris legitimi ratio non habeatur, PRÆSERTIM in iis quæ non ad EDVCATIONEM pupillorum, ſed ad ipſius Electoratus, & jurium ab eo dependentium Adminiſtrationem pertinent.* Malè. Nam ut hîc taceamus, Adgnatum qui jure proprio, optimo & maximo Tutelam ſibi adſerit, & pupillum eſſe contendit, qui tamen eſt Minor & Iuvenis, etiam omnem in illius perſonam poteſtatem ſimul, atque adeò educationis ipſius expreſsè arbitrium ſibi poſcere: ſanè adverſarii hîc etiam contra juris rationem perperam poſtponunt EDVCATIONEM pupillorum, Adminiſtrationi Electoratus & Iurium ab eo dependentium: cùm Educatio pupillorum, primum & principale ſit Tutelæ caput; Iurium verò & bonorum Adminiſtratio, ſecundarium Tutelæ objectum ſit. Tutor enim principaliter perſonæ, ſecundariò rebus datur. Primum Adminiſtrationis in educatione, id eſt, moribus, pietate, eruditione, juſtitia, & ſimilibus conſiſtit (nec [c] enim rebus duntaxat, ſed & moribus præponitur.) Secundum verò (in juribus & bonis conſiſtens) lucrum & quæſtum magis reſpicit pecuniarium. Sed ita eſt: Sæpè *virtus poſt nummos* ponitur, & de moribus eſt ultima poſtremaque quæſtio.

c] *l. complures 11 §. Cùm tutor. 3. π de adminiſt. Tutorum.*

d] *p. 44. verſ. Igitur grandis.*

MINAS ſuas Neoburgici vocant Conſilia & Admonitiones paternas: Bipontini verò terriculamenta: & an ea re grandis & atrox fiat iniuria Neoburgicis!

SEPTIMO dicunt [d] Neoburgici: *Grandem INIVRIAM videri & atrocem, quæ PATERNA tutoris legitimi CONSILIA & ADMONITIONES terriculamentis comparat.* Reſpondeo. *Primum* notanda eſt Neoburgicorum μείωσις illa inſignis: quòd minas & denunciationes Banni, exilii, amiſſionis famæ, bonorum, periculi corporis, & mulctæ aurariæ graviſſimæ, intentatas Electoribus & Electoralibus, vocent PATERNA Tutoris legitimi CONSILIA & Admonitiones. *Secundò* notandum eſt, terriculamenta non tantum ab Adgnato, pupillis Electoralibus, ſed & Electori ipſi

ſuperſtiti,

superstiti, objecta fuisse & opposita. *Tertiò*, Si minæ non fuerunt, cur igitur ad leniendam verborum talium asperitatem, CONSILII & ADMONITIONIS verbis Neoburgici non sunt usi? Malè ita agendo plerunque bona commoditas & occasio amittitur.

a] *V. p. 70. 71. 72. 73. Responsionis Apologetica.*

OCTAVO. *Atqui necesse fuit* (inquiunt [b] Neoburgici) *prædicta Consilia a legitimo Tutore pupillis Electoralibus & subditis suggeri, ne gesta in Electoratu sine autoritate Tutoris legitimi inutilia essent, & securi litigatores, vasalli, subditi, sub gestione Electorali fierent: & ne pupilli Electorales & subditi* INSIDIIS EXPOSITI CAPERENTUR? Rectè. Sed supervacua legitimi Tutoris Consilia sunt, quoties Tutor aliquis Electoralis Testamento datus est. Quin illa Consiliorum importuna & intempestiva suggestio, litigatores, vasallos & subditos, magis dubios & incertos quàm securos reddere potuit. Hic enim scopus est litigare volentis, ut rem dubiam, incertam & litigiosam reddat. Adhæc INSIDIARUM verbo poterant abstinere Neoburgici, quo sine dubio tacitè Principis Bipontini in Administratione fidem & innocentiam vellicant.

b] *p. 44. vers. Cum vel ipsos Bipontinos non fugiat.*

CONSILIA legitimi tutoris necessaria non sunt, ubi testamentarius aliquis tutor existit.

CONSILIA Neoburgicorum magis obsunt Palatinatui, quàm prosunt.

INSIDIAS appellant Neoburgici cōsilia Administratoris testamentarii.

NONO. At (inquiunt [c] Neoburgici) *Primogenitus Electoralis paterno honori ita deferre debet, ne interim recedat a lege publica (quæ & ipsa Reipublicæ parens appellatur [d]) & leges [e] corrumpat: & hoc notandum Bipontinis aiunt.* Sanè monentibus hoc Neoburgicis, notarunt iamdudum & notabunt posthac Bipontini. Sed interim fortiter negant Bipontini, Electoralem Primogenitum ab ulla lege publica recessisse, dispositioni parentis obtemperando.

c] *p. 45. vers. Deinde quod Electoralis.*

HORTANTUR Neoburgici Iuvenem Electorem, ut à Patris Testamento deficiat & Testamentum Patris evertat.

d] *à Leone Novell. 28.*

e] *Novell. 7. cap. 9.*

DECIMO. Sed (inquiunt Neoburgici) *sine nota impietatis negligi potuit (a Duce Ioanne Casimiro scilicet) voluntas ultima Electoris Ludovici anno* CIↃIↃLXXXIII. *quamvis à Cæsare confirmata. Igitur Primogenitus Electoralis citra jacturam paternæ existimationis admittere poterit ad Tutelam & Administrationem Electoratus Palatini eum, quem lex publica designavit?* Egregia sanè & PATERNA [f] (si Neoburgicis credendum est, ita loquentibus) CONSILIA: ut præsens Primogenitus Electoralis Testamentū patris, in parte ejus sanctissima contemnat & evertat: & quem Tutorem defunctus Elector adeo solenniter vocavit & nuncupavit, quin & adjuravit, eundem Tutorem, suadentibus Neoburgicis, in illorum gratiam defuncti filius & quidem Pri-

HORTANTUR iterum Neoburgici Iuvenem Electorem Fridericum V. ut Testamentum paternum irritum faciat, Casimiri Ducis exemplo.

f] *p. 44. vers. Intuerea igitur grandis ibi: Quæ paterna tutoris legitimi consilia.*

mogenitus expellat. Quanto magis Neoburgici primogenitum ipsum Electoralem ad legem & quidem divinam, revocare & remittere debuerunt. *Honora patrem tuum, ut sis longævus super terram* [a]: vel ad illud Solomonis: *Audi fili, eruditionem Patris tui & matris tuæ legem ne dimittas: quia sic obedientia, erit corona capiti tuo, & torques collo tuo: Fili, si te invitaverint peccatores, ne obsequaris: si dixerint nobiscum ambules, sortem tuam nobiscum conjunge, commune sit omnium marsupium. Mi fili, ne ambules cum his, arceto pedem ab illorum via &c.* Nec *Secundo* ad rem quidquam facit quod aiunt, *sine nota impietatis voluntatem Ludovici Electoris anno* cIↃIↃLXXXIII. *negligi potuisse a Duce Iohanne Casimiro.* Non enim sequitur: Potuit voluntas Ludovici Electoris à fratre negligi; igitur & licuit. Multa Principes interdum faciunt & possunt, quæ tamen non continuò licita sunt vel permissa. Imò quædam interdum licent & permissa sunt, quæ tamen non expediunt, nec continuò honesta sunt [b]. Non etiam sequitur, *Potest frater negligere voluntatem fratris. Igitur & filius patris.* Ad hæc & *Tertiò* falluntur valde Neoburgici, CONSILIA huiusmodi pupillis Electoralibus suggerentes, ut quos proximè sunt confessi, *pro* [c] *ætate non posse perfectè jus Bullarum Aurearum intelligere.* Deinde *naturæ* [d] *bonitatem ingenitam in Primogenito commendant*: ut propterea Neoburgicis operam & oleum sit perdere, conari vel tentare ingenitam naturæ bonitatem à prædicto Primogenito avellere. Adhæc Neoburgici paulo superiùs [e] Primogenitum Electoralem IUUENEM ELECTOREM à Bipontinis dici, non æquo animo tulerunt (ac propterea nunquam *Electorem* vocarunt, sed *heredem tantùm Electoralem*): ut ex eo præsumere vel scire possint, Prædicti Primogeniti Electoralis non esse, Tutorem (maximè contra Patris defuncti tabulas) sibi deligere legitimum, & Testamentarium reiicere: Præsertim cùm prædictus Primogenitus in hoc Bullaru. Iure nunc ita sit versatus & informatus, ut conceptam semel de Paternarum Tabularum observantia debita & custodia sententiam, nullius cuiusquam mortalium consiliis mutaturus sit. Cùm didicerit, partem observantiæ erga manes etiam defuncti piè Parentis hanc non postremam esse, ut testamentum ejus sanctè conservet, neque cineres paternos huius violatione (ut olim loquebantur [f]) inquietet: Et præterea sciat etiam, proximum Adgnatum, lege publica designatum Tutorem dici & haberi non posse, existente Tutore Testamentario; idque præter & contra Ius Commune & omne esse.

a] *Proverb.* 1.

b] *l. semper in coniunctionibus 42. ff. de Ritu Nuptiar.*

CONSILIA Neoburgicorum irrita apud Iuvenem Electorem sunt futura.

c] *p. 44. vers. Et primò, ibi, Et quantum pro ætate possint: intelligerent.*

d] *p. 44. vers. Neque dubium est. ibi, pro ingenita natura bonitate.*

e] *p. 43. vers. Decimum septemum. ibi, Heredem Electoralē. ubi plura diximus.*

f] *Valer. Maximus lib. 7. cap. 7. & seq.*

Undeci-

VNDECIMO. Nec nos movet illa [a] Neoburgicorum collatio: *Sicut* (inquiunt) *pupillo Electorali post completum annum* XVIII. *Tutela Iuniorum fratrum ex Aurea Bulla delata, per Testamentum adimi non potest (ut nec Tutela, nec Administratio ultra XVIII. annos extendi): ita nec Adgnato seniori atque proximiori ex Bulla Aurea vocato potest adimi.* Quia ipsimet Neoburgici alibi [b] confessi sunt, *adeò graves & pregnantes interdum rationes & causas occurrere, ut etiam parens Elector non debeat proximiori Adgnato adeoque secundogenito Tutelam committere.* Nam ut Africa semper aliquid monstri parturit et producit: ita natura res novas, vel novos casus edere deproperat, ut novis etiam remediis & cautionibus uti jus fasque sit.

a] *p. 45. vers. Et sicut pupillo,*

COLLATIO vitiosa Neoburgicorum.

PRIMOGENITO certis ex causis tutela secundogenitorum adimi potest.

b] *p. 12. vers. Et ut demus,*

DVODECIMO. Nec nos movet quod aiunt [c] Neoburgici, *Fridericum IIII. piæ memoriæ Principem, si tempore conditi Testamenti cogitasset, vel admonitus fuisset, nunquam passurum fuisse, ut in legum publicarum perniciem aliquid statueretur, sed tam* [d] *luculentis INFORMATIONIBVS adquieturum, aut certè confessurum: talem scripturam MACHINATIONE quorundam, privatis adfectibus nimis indulgentium, compositam: ideoque non observandam. Testatores enim plerosque fragilitate mortis turbatos, non posse plures & omnes circumstantias necessarias consequi.* Hæc enim coniiciuntur tantùm à Neoburgicis nec probantur. Imò sunt in manibus multæ Epistolæ Neoburgici Principis ad Electorem ipsum p. m. & ad Illustriss. Ducem Palatinum Iohannem pp. m. moderni Administratoris patrem, quibus idem hoc de prohibita in Bullis Testamentaria Tutela sub gravissimis pœnis admonuit, informavit, atque ita Electorem, ne testaretur absterrere & prohibere conatus est, asserens, sibi uni & soli in casum mortis Electoris tutelam hanc & administrationem sine ulla conditione, modo, contutore atque omnino liberam relinquendam esse. Interim tamen cùm spes suas amissas conqueruntur Neoburgici, dicendum est, Electoris Testamentum sequendum esse: Præsertim cùm ipsimet Neoburgici *defunctum Electorem a pietate* [e], *& ab excellentibus* [f] *animi virtutibus, & ab amore quo flagrabat conservandarum publicarum legum, commendent.* Et postremò quòd protestentur, *se nolle diffamare* [g] *pium prædicti Electoris nomen.* Vt exinde nefas sit putare vel dicere Tabulas eius machinatione quorundam, privatis affectibus nimis indulgentium, compositas esse.

c] *p. 45. Vers. Neque dubium est.*

CONIECTVRA fallax Neoburgicorum de defuncto Electore.

d] *p. 46. vers. ut potius firmiter.*

e] *p. 45. ibi, piæ memoriæ.*

f] *p. 45. Vers. Pro excellentibus animi sui virtutibus,*

g] *p. 45. lin. ult. ibi, Tantum igitur abest, ut diffament pium Electoris nomen.*

De aliis jam videamus.

a] *p. 46. Responsionis Apologet. vers. Tandem quod Bipontini fingunt.*

DECIMOTERTIO dixerunt Bipontini, ut Neoburgici referunt [a], *Neoburgensem Principem minus idoneum huic Tutelæ esse, adeoque suspectum videri, quòd scilicet sæpius adseruerit Palatinum Electoratum ad Iuliacensis possessionis defensionem teneri.*

IVLIACENSIS Defensionis obligatio, quâ tenetur Elector Palatinus, an sufficiat ad prætereundum Neoburgicum?

b] *p. 46. Vers. Illud tanquam invalidum.*

c] *p. 46. vers. Nam & causa.*

NEOBVRGICI quid? *Illud* [b] *tanquam invalidum sua mole concidere.* Sed an ita sit, pleniùs inquirendum est.

PRIMVM omnium sanè non movet quod aiunt [c], *Causam illam propriè ac principaliter non spectare ad Serenissimum Principem Philippum Ludovicum, sed ad Serenitatis suæ conjugem Illustrissimam, & eius filium mandatarium.* Quia saltem illa causa pertinet ad prædicti Principis Neoburgici uxorem inclytam, & ex ea filium, igitur & ad eum secundariò, & quidem duplici nomine; Vxoris scilicet, & filij. Quinimo in illa causa hactenus sub nomine Principis Philippi Ludovici, ut legitimi Administratoris Illustrissimæ Conjugis, omnia acta & publicata fuerunt.

d] *p. 46. Vers. Deinde negari potest.*

SECVNDO nec nos pariter movet ridicula consequentia, quam Neoburgici Bipontinis adfingunt [d], hæc scilicet: *Electoratus Palatinus tenetur ad defendendam possessionem Iuliacensem: Ergò Principi Neoburgico adimere defunctus Elector testamento suo potuit Tutelam & Administrationem, Aureâ Bullâ ipsi delatam.* Quis enim putet Bipontinos tam ineptos, Bardos & stolidos fuisse, ut hæc unquam ita dixerint, vel scripserint? Quid igitur? Hæc puto (quantum etiam adsequi ex prædictis Neoburgicorum verbis possumus) Bipontinorum sententia fuit: *Neoburgicus sæpius adseruit* [e], *Electoratum Palatinum ad defensionem Iuliacensis possessionis teneri. Igitur defunctus Elector (eum in modum Illustrissimo Neoburgico obligatus & ὑπόδικος) justam causam habuit, Electoratus Administrationem prædicto Neoburgico* (velut creditori) *non committendi.* Quia creditori pupillorum tutelam committere nulla lex jubet: imò vetat creditorem ad tutelam admittere, etiam eam ad quam Lex publica illum aliàs vocaret, κἂν εἰ παρὰ τῶν νόμων καλοῖτο [f], ait Iustinianus: uno tantùm casu excepto, de quo dicemus infra pleniùs. Hæc Bipontinorum mens fuit, non alia: Non illa sanè, quam Neoburgici meritò ridiculam dicunt. Eam quippe verbis Bipontinorum mutatis & contortis supposuerunt.

e] *p. 46. vers. Tandem quod Bipontini. ibi. Quod sæpius adseruerit.*

f] *d. Novella 72. c. 1.*

Sed pergamus ad alia.

DECIMA-

DECIMOQVARTO. Bipontini (ut colligunt [a] Neoburgici) dixerunt: *Illustrißimum Neoburgicum, Tutorem & Administratorem in Electoratu idoneum non esse, quòd L I S sit inter Neoburgicos & Electoratum Palatinum de quibusdam feudis, quæ per mortem defuncti Ducis Iuliacensis ad Palatinatum tanquam aperta reversa sunt: Iure siquidem novissimo Iustiniani* [b], *quamlibet litem, legitimum tutorem non tantùm excusare à tutela, sed etiam omninò repellere.*

NEOBVRGICI quid? Dicunt [c], *Lippis & tonsoribus notum esse, eam Iustiniani Constitutionem in desuetudinem abiisse, nec unquam locum habuisse in personis Illustribus.* Primò, *quia suspiciones* [d] *illæ omnes quæ causam dictæ Iustiniani constitutioni dederunt, à prædictis illustribus personis alienißimæ sunt.* Secundò. *Ducum* [e] *quatuor Saxoniæ, & Ducis Casimiri tutelis exemplis hoc axioma confirmant Neoburgici; Nulla litium habita ratione, proximis Adgnatis Tutelas Principales commissas fuisse.* Tertiò. *Addunt* [f], *totam Germaniam huiusmodi Tutelas à multis retrò seculis admisisse, & Tutelas fideliter gestas, sine ullo litium domesticarum impedimento, & vel ipsa perfidiæ cogitatione procul remota. Esse namque hanc veterem Germanorum laudem, ut in fide dictorum atque gestorum nulli cedant mortalium.* Quartò. *Ita quoque Iure* [g] *Cæsareo Tutelas pupillorum matri* [h] *& aviæ licet creditrici vel debitrici committi.* Quintò. *Tutelas Principales & Illustres proximiori Adgnato tutò committi posse, non habita ratione litium privatarum, quòd suo* [i] *Marte decurrere poßint, constitutis ad hæc certis aliis Curatoribus minimè suspectis.* Sextò. *Humanitatis* [k] *& dignitatis rationem non pati, ut Illustres personæ sub quovis litis prætextu sinistris suspicionibus onerentur.* Septimò. *Principes non esse præsumendos divini timoris & iurisiurandi immemores: præsertim quòd illa* [l] *prærogativa fruantur, ut etiam ipsis injuratis plena habeatur fides: et promißio eorum sub fide facta, vim juramenti habeat.* Octavò. *Serenißimum* [m] *Electorem defunctum paucis adhuc ante obitum diebus P A R E N T I S titulo & honore Ducem Neoburgicum non dedignatum decorare: Experientiam quoque ipsam huius rei testem esse: ac propterea id vel incontinenti, documentis infinitis probari posse.* Nonò. *Neminem* [n] *tam pudoris ignarum esse, ut laudatißimi illius Principis famam (quæ etiam defuncto Electori sancta fuit & venerabilis) suggiliet: ad eum saltem finem, quò minus justo Legitimi Tutoris desiderio & ipsorum pupillorum commodo consulatur.*

a] *p. 74. At hoc innuunt fortasse Bipontini.*

LITES inter Electorem & proximiorem Adgnatum, an excludere tutela Electorali possint ipsum Adgnatum?

b] *Novell. 72. Authent. Minoris debitor. Cod. Qui tutores dari.*

c] *p. 47. vers. At lippus*

d] *vers. A quibus suspicionis*

e] *vers. Fuit Augustus.*

f] *p. 48. vers. Et quid opus est.*

g] *vers. Et ut Iura Cæsarea.*

h] *Authent. Adhac. Cod. Quando mulier tutelæ officio fungi possit: l. cum in adoptivis 10. in fin. Cod. de adopt. l. nec solùm 67. π. de rit. nupt.*

i] *vers. Ita meritò: ibi. Quæ suo Marte.*

k] *vers. Neque enim vel humanitat.*

l] *vers. Vnde & hæc prærogativa.*

m] *vers. Et sane cùm serenißimus.*

n] *vers. Quis tam est pudoris.*

SED FACILIS est ad omnia prædicta responsio.

TVTELA Electoralis an possit committi Creditori Adgnato: & an ea parte Ius Commune in Tutelis Illustribus sit abrogatum?

PRIMVM omnium negatur, *lippis* [a] *& tonsoribus notum esse, prædictam Iustiniani Constitutionem jam dudum in desuetudinem abiisse*. Hoc facti est, ideoque à Neoburgicis probandum. Nec etiam desuetudo sive legum correctio præsumenda est facilè. Ac præterea eadem, imò ratio maior est in Illustribus hujusmodi Tutelis, quàm in aliis: quia inter Illustres & in Illustribus Tutelis, de pluribus ac præstantioribus juribus agitur quàm in vulgaribus aliorum tutelis: ac propterea magis vigilandum: quòd (ut fatentur alibi [b] Neoburgici) *ubi majus periculum, ibi quoque majoribus cautionibus opus sit*.

a] *Ad vers. At lippis.*
CORRECTIO legum non præsumenda.
b] §. *Compendiosam & Brevem Demonstrationem p. 12. linea 6. & quæ ad illum locum scripsimus supra lib 3. Obiectione 32.*
PERICVLVM ubi majus, ibi maiori cautione opus est.

SECVNDO. Licet prædicta Iustiniani Constitutio fortassis non fuerit observata in Illustribus quibusdam personis Germaniæ (quarum exempla recensent Neoburgici), & litium nulla habita ratione prædictæ tutelæ proximis adgnatis Illustribus fuerint permissæ: non tamen huiusmodi exemplis jus certum & necessarium constituitur. Nam (ut ipsi quoque fatentur Neoburgici) non exemplis, sed legibus judicandum. Vel potest dici, prædictas Tutelas ab ipsis patribusfamiliâs, proximis spontè creditas & commendatas, aut aliàs ab eis quorum intererat, nihil contradictum fuisse: ac propterea jus certùm non facere, cùm juri suo renunciare ultrò potuerint. Postremò quia ut quatuor priora exempla Palatinæ familiæ non sunt: ita unicum Ducis Iohannis Casimiri, nec legem nec consuetudinem facit vel inducit.

EXEMPLIS non iudicandum.

TERTIO. Praxis & Observatio vetus *Germaniæ à Neoburgicis allegata de Tutelis Illustribus nulla litium contemplatione habita commissis alicui*, negari potest. Nec deinde sequitur, quædam huiusmodi tutelæ bonum exitum habuerunt: igitur omnes eodem numero sunt habendæ. Iuris enim regulas sequi debemus, non hos vel illos causarum fortuitos exitus spectare: & ex eventu [c] non æstimamus vel metimur actus agentium, sed ex consilio. Dignus est enim successu carere, *quisquis ab eventu facta notanda putat*. Et meritò noster Accursius [d] ex Boetio notat: *Hinc nostris malis cumulum accedere, quòd æstimatio PLVRIMORVM, non rerum merita, sed Fortunæ tantum spectat eventum, eaque tantùm iudicat esse provisa, quæ felicitas commendavit*.

PRAXIS Germaniæ à Neoburgicis allegata negatur & refellitur.

c] *V. Tiraquell. Tract. de pœnis, causa 52. in fine.*
d] *inl. Sed an ultrò 10. in fin. ff. de negotiis.*

QVARTO. Dicimus Ius [e] Cæsareum permittens Tutelam liberorum MATRI & AVIÆ (licet eorum creditrici vel debitrici) ad

e] *p. 48. vers. Et ut tura Cæsarea.*
MATRIS & AVIÆ exempla.

Adgna-

Adgnatos trahendum non esse. Quia jus illud plusquam singulare est, ac proinde ad alias personas non extendendum. Nam ut sciunt Neoburgici, quæ [a] Iure Communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. Et ratio quoque juris illius singularis, evidens & manifesta est, scilicet ab ipsa natura deducta vel petita. Nam & liberi non modò primo gradu matrem suam attingunt, sed pars ipsius corporis materni censentur. Non est ullus præterea affectus, qui maternum vincat. Adde quòd successionem suam destinat [b] Mater & Avia liberis, ut nulla prorsus in hujusmodi personas suspicio cadere vel esse possit. Hæc in Adgnatos omnia non ita facile concurrunt. Nam & ab Adgnatis Electoralibus Adgnati præsentis pupilli procreati non sunt, nec primo gradu coniuncti: sed multis gradibus à proximiore & seniore Consanguineo remoti. Nec sunt etiam pupilli Electorales proximiori illi Adgnato proximè & immediatè successuri, ut liberi Matri & Aviæ: cui justiùs ideo filiorum & nepotum Tutela permittitur quàm proximiori Adgnato multis gradibus remoto. Ius alioqui confundis, si temerè jus & privilegium uni personæ concessum ad aliam pro animi libito extenderis.

a] *Cap. 28. De regulis iuris in 6.*

b] *l. cùm ratio naturalis ∫. de bonis damnatorum.*

QVINTO. Nec [c] satis est etiam Bipontinis, à Neoburgicis dici: *Non habita ratione litium privatarum (quas proximior Adgnatus Electoralis habere potest cum ipso Electoratu Palatino, ob promissionē defensionis Iuliacensis) Administrationem Electoralem ipsi Adgnato committendam esse: quòd scilicet LIS illa privata, de defensione Iuliacensi ab Electore Palatino promissa, posit suo Marte postea decurrere, constitutis ad hoc certis aliis Curatoribus minimè suspectis.* Quæritur enim, quomodo possit LIS illa suo Marte rectè postea decurrere, proximo Adgnato semel in possessionem Administrationis Electoralis misso? Sciunt enim omnes, quàm difficile futurum sit adversus potentissimum Principem res & ditionem, & ipsum archivum pupillorum cum quibus litigat, possidentem (ne latiùs hoc explicem) agere, licet etiam dederis certos curatores ad hoc constitutos, omnium innocentissimos.

c] *p. 48. vers. Ita merito: ibi, Non habita ratione. Et vers. neque enim.*

IVLIACENSIS defensio ab Electore promissa.

LIS IVLIACENSIS inter Electorem Palatinum & Neoburgicum, suo Marte an decurrere possit, Neoburgico in possessionem Electoralis Administrationis misso, & Electis ad litem illam finiendam arbitris.

SEXTO. Non est etiam verum, quod aiunt Neoburgici. *Humanitatis rationem, vel dignitatem talium personarum Illustrium non permittere, ut sub QVOVIS LITIS prætextu sinistris opinionibus onerentur.* Prædicta namque promissio, quæ ab Electoratu Palatino postulata fuit, de sumptibus in Iuliacensem possessionem conferendis, *non levis* aut *quævis* obligatio vel sponsio est, sed inæstimabilis & infini-

QVIVIS litis prætextus non est, Promissio de defendenda possessione Iuliacensi.

a] *l. locatio 9. π. de publicanis.*

b] *l 3. Cod. de legib. l. 1. Cod. de officio civilium iudicum. l. ad vocati 41. Cod de advocatis diversorum iudiciorum.*

c] *p. 48. vers. Neque divini timoris -*

PRÆTERIRE in Tutela possumus eum etiam, de quo rectè præsumimus.

d] *d. Novella 22. c. 1.*

e] *p. 42. vers. Quæ autem non iniuria animo.*

f] *p. 45. ibi, Tantum igitur abest, ut diffament pium Electoris nomen.*

g] *p. 13. lin. 1. ibi, Non procedit de charitatis radice.*

h] *p. 45. ibi, pia memoria.*

ta: quæ calore [a] (ut ita loquar) licitandi, id est tuendi, defendendi se, vel pugnandi, bellique gerendi, vincendi denique, possit etiam sumptibus in id bellum faciendis, præsentem Electorem cum posteris suis omnibus facilè mergere, ne dicam perdere. Nam ut fata [b] quædam causarum sunt in Iure, ita fata sunt bellorum in re Militari. Quia Mars sępè communis & ἀλλοπρόσαλλος est: nec minùs interdum adversus est & contrarius, etiam in optima & iustissima causa, quàm prosper & felix. Non est itaque levis, sed magnus omninò prætextus dicere, *Neoburgicos ideò ad Tutelam Electoralem non admittendos, quòd Electoratus Palatinatus sit ipsis obstrictus ad defensionem belli Iuliacensis:* cuius ut continuatio diuturna, sic exitus eius (licet optima meritò ominemur) incertus est, & consequenter infinitus.

SEPTIMO. Non obest quod aiunt [c] Neoburgici, *Tantum Principem, Neoburgicum scilicet* (Quasi verò inferioris conditionis Rudolphus & Rupertus præsenior fuerint) *non esse præsumendum divini timoris vel juramenti sui immemorem, quòd scilicet Principes hac prærogativa fruantur, ut ipsis injuratis credatur, & promissio eorum pro FIDE habeatur.* Illud enim prius, fatentur omnes, etiam Bipontini. Sed addunt, in hac controversia tantùm spectandum id esse, quid Elector defunctus Testamento suo jusserit vel mandaverit, licet eius rationes ignorarentur: partim quia non omnium ratio reddi potest: nec cogitur etiam testator dispositionis suæ vel relictorum & legatorum rationem reddere: sed sufficit [d] eius voluntas pro lege, ἔστω νόμος ἡ τούτου βουλή: ut scilicet possit eum etiam in Tutela præterire, de quo rectè & omnium rectissimè præsumpserit: partim quia nemo præsumptionibus huiusmodi ligatur, ut eum Tutorem nuncupet, qui præsumptiones eas pro se habet: sed solutus & liber, ex animi sui sententiâ, quem idoneum putat, Tutorem nuncupat. Hoc est Regnum (ut ita loquar) testatorum omnium: ut de SVIS disponant quod lubet. Ac proinde non est (meo judicio) quod in eo hæreant Neoburgici, defunctum Electorem sinistris suspicionibus ductum, de Tutela liberorum suorum testatum: sed jure suo, circa sua, velut liberum, & (quod magis est) velut Principem Electorem, uti tantùm voluisse: non injuriandi cujusquam animo (quod ad excusationem satis est dici etiam Neoburgicorum sententiâ [e]: & alioqui Neoburgici famam defuncti admodum vellicarent [f], quod tamen ipsi sæpiùs negant.) Et radix [g] etiam charitatis (ad quam Bipontinos remittunt Neoburgici) non patitur, ut tam sinistra suspicione Pium [h] illum Principem (sic enim eum etiam appellant

pellant Neoburgici) onerent. Nec ad præteritiones justas evertendas præsumtionibus agendum est, sed satis superque est dici: *Testatorem ita jure voluisse, jussisse, potuisse.*

OCTAVO. Non etiam obest, *quod* [a] *defunctus Elector paucis ante obitum diebus Serenissimum Neoburgicum PARENTIS honore & titulo non dedignatus fuerit decorare: & experientia huius rei testis sit, defuncto Electori famam Illustrissimi Adgnati sanctam & venerabilem fuisse.* Quia ex eo *primum* tanto magis colligitur, defunctum Electorem non injuriandi animo proximiorem Adgnatum in Tutela præteriisse, sed alias justas causas testandi habuisse: quarum prima consistit (ut paulò antè dictum est) in libero testantis arbitrio: cuius voluntas, unica lex & [b] Regina censetur ab omnibus, quæ totum [c] facit. *Deinde* ex prædictâ Neoburgicorum allegatione colligitur quoque, *defuncti Electoris personam sanctam & venerabilem non minus Neoburgicis esse debere:* ut Electoris defuncti famam in Testamento, quod de Tutela fecit & condidit, suggillare non debeant, quasi adversus leges, & Bullas, & inofficiosè testatus de Tutela fuerit: cùm & ipsimet Neoburgici defunctum ipsum Electorem à pietate [d], & excellentibus virtutibus, & (quod magis est) A LEGUM PUBLICARUM custodiendarum affectu, commendent: & antea quoque protestati fuerint, *se nolle eum diffamare.* Ac præterea cùm paulò anteà dixerint Neoburgici, *sinistris* [e] *suspicionibus Principes onerandos non esse,* fateri & ipsi quoque debent, de defuncto Electore nihil pariter sinistri præsumendum, sed omnia jure & ritè, & (ut loquimur) in optima formâ facere eum voluisse, vel potiùs fecisse. Vt quod de Illustrissimo proximiore Adgnato præsumi volunt Neoburgici, id æqua lance de defuncto Electore & eius Testamento præsumant.

a] *p. 48 Vers. & sanè cùm Serenissimus nuper.*

PARENS à defuncto Electore proximus Adgnatus sæpius vocatus fuit: & quid inde sequatur.

b] *l in conditionibus 19. π. de condit. & demonstrat: l. cùm quæstio 23. in fin. C. de legatis. l. cùm virum 16. C. de fidei. com.*

c] *l. ex facto. 35. §. Rerum autem Italicarum 3. π. de hæredib. instit.*

d] *p 45. Vers. Neque dubium est.*

e] *p. 48. Vers. ut non sinistris onerentur suspicionibus.*

SED AD alia transeamus, huic etiam articulo (de litibus inter Electorem Palatinum & proximum adgnatum) connexa.

DECIMOQVINTO. Bipontini dixerunt [f], *Illustrissimum Adgnatum SVA facere velle.* Comitatum Novæ Aquilæ, Baronatum Mobach & alia, *amplissima FEVDA, quæ post mortem Ducum Clivensium ad Electoratum sunt reversa: ac propterea ob illam prætensionem & LITEM prædictum Adgnatum ab hac Tutela excludendum esse.* NEOBVRGICI quid inde colligunt? Mutatis Bipontinorum verbis propriis (& quæ ipsimet tamen retulerunt alio loco Neoburgici, ut superiùs sunt posita) omnium moderatissimis, dicunt, *ARGVI*

f] *p. 44. Responsionis Apologet. lin. 3. ibi, Interim Amplissima feuda.*

ACTOR dicens Reum sua facere velle bona actoris, an tacitè eum appellet furem & prædonem?

a] p. 49. Vers. Nam quod ad postremum huius argumenti caput.

[a] *NEOBVRGICOS RAPINÆ, quasi sua facere nitantur feuda illa Neoburgici: & eo atrociorem esse hanc INIVRIAM, quòd in immerentes CALVMNIOSE CONFICTA.*

SANE nunquam LITIVM finis erit, si huiusmodi verba adeo moderata, Iuridica, & in factum ita concepta vel temperata, atrociter sic & asperè Neoburgici exponere vel interpretari semper voluerint. Nam nec ipsi Neoburgici hanc collectionem ferrent: *Neoburgici dicunt, Tutorem Electoralem Testamentarium (uno verbo Ducem Bipontinum) Administrationem Electoralem SVAM FACERE VELLE: Ergo Neoburgici prædictum Administratorem Electoralem Testamentarium RAPINÆ accusant, & PRÆDONEM [b] faciunt.* Sanè petulans, proterva & injuriosa nimis & hæc Bipontinorum collectio esset. Quia potest aliquis bona fide vel simplicitate summa, vel probabili causâ, (ductus scilicet Instrumentis variis, aut testibus persuasus) rem aliquam vel jus aliquod velle suum facere: nec tamen RAPTOR esse, vel PRÆDO. Quid ita? Quia simplicitas & bona fides eum à dolo excusare potest. Alioqui ex illa Neoburgicorum consequentia, quilibet actor in rem, vel etiam in personam agens adversus aliquem, utens hac formula: *si [c] DOMINVM ME eius res esse apparet, adversarium Iudex condemna: vel ita: Si apparet adversarium dare facere oportere, condemna eum Iudex:* Adversarium suum violentiæ & RAPINÆ protinus arguisse vel insimulasse dicendus esset. Pacis itaq; publicæ & inter personas adeò conjunctas retinendæ, servandæ, & si fieri possit, augendæ potiùs causa, ab huiusmodi pravis & odiosis verborum alienorum collectionibus & consequentiis abstinendum censeo: ne in artis nostræ præcepta peccemus, & patroni juris ne simus, sed maledici potiùs vel rabulæ: denique (ut Tullius alicubi ait) ut benevolentiæ potiùs quàm litium jura didicisse videamur.

b] p. 64. vers. Quod verò. ibi, cùm & prædo.

c] V. Theophil. §. 1. Inst. de act.

d] p. 49. Vers. Quamvis enim.

IVLIACENSIS causa communis est plurium.

NEC OBSTAT, quod ipsi Neoburgici dicunt [d], *Se non negare (una cum Brandeburgicis), adhuc in possessione illorum feudorum esse, quæ Heidelbergenses nonnulli Consiliarii pro APERTIS & DEVOLVTIS habent.* Multiplex enim hîc captio est. *Prima*, quòd hanc controversiam adversus Neoburgicum invidiosam reddere volunt, *Brandeburgicis communem esse dicendo:* cùm tamen à Serenissimo Brandeburgico Electore, secundùm Declarationes ab eius Celsit. factas, nihil aliud Elector Palatinus sperare, quàm quod à fratre carissimo & modis omnibus coniunctissimo debeat. *Secunda*, quòd aiunt Neobur-

Neoburgici, *illud dici ab Heidelbergensibus Consiliariis nonnullis* [a]. Quasi non idem quoque dicatur, & ab ipsis Sereniss. Domino Administratore, & Electore Iuvene (utpote Principalibus) imò & ab omnibus qui rem intelligunt. *Tertio*, quòd aiunt, *nonnullos illos Consiliarios Heidelbergenses feuda illa Clivensia pro apertis & devolutis* (Electori scilicet Palatino) *haberi*: Quasi re ipsa non sint aperta & devoluta: id quod verè notorium dici potest.

a] *p. 49 vers. Que Heidelbergense nonnulli Consiliarii.*

NEC OBSTAT, quod dixerunt [b] Neoburgici, *Se paratos semper fuisse, & adhuc esse, ea restituere Electori, vel ipsius heredibus, si ORDINE Iuris observato sententiam devolutionis pro Se obtinuerint: ac propterea Heidelbergenses IMPLORATO VICINORVM BRACHIO, urgere non debere, ut pendente lite possessione legitima quæsita cedant Neoburgici: & pro devolutis agnoscant, quæ devoluta non sunt: item ut feudi naturam tribuant iis, quæ pro patrimonialibus hactenus habita: et ut liquida fateantur, quæ liquida non sunt. Possessores autem id nec posse nec debere. At propterea Electorales pœnis legis 13. ff. quod metus causa: l. 6. l. 7. C. unde vi, id est, jactura causæ adficiendos esse, si alienam possessionem ante eventum judicialis arbitrii invadant.*

b] *p. 49. vers. tamen semper parati.*

PRIMVM enim, cùm ad ORDINEM Iuris judiciarium appellent Neoburgici in feudis illis Clivensibus, (quæ aperta & devoluta ad Electoratum esse ex Investituris constat, & Neoburgici antehac confessi sunt) Cur non pariter in causa legitimæ Tutelæ Electoralis (quam proximiori & seniori Adgnato vindicant) viam quoque juris eligunt? Cur ea non contenti, aliam quamcunque facti extraordinariam quæ[illegible]t? Cur in illa causa tam manifesta ad lentam juris viam Electorales remittere conantur, in hac Tutelæ vel maximè dubia eam viam aspernantur ac fugiunt, atque adeo ad executionem violentam totum pene Orbem implorant ac inflammant?

ORDINEM Iuris in feudis Clivensibus offerunt Neoburgici Electoralibus: & ordinem tamen juris in causa Tutelæ Electoralis Testamentariæ apertissima non admittunt.

SECVNDO. Quâ fide Neoburgici dicunt [c], *Electorem Palatinum IMPLORATO VICINORVM BRACHIO urgere, ut Neoburgici interim & pendente lite, possessione dictorum feudorum cedant, & pro devolutis & liquidis agnoscant, quæ nec devoluta, nec liquida sint?* cùm huiusmodi brachii, scilicet vicinalis implorationem probare non possint Neoburgici.

c] *p. 49 vers. Et interim vel pendente lite.*

TERTIO adde: quòd sub vulgari & triviali VICINORVM nomine, Reges duos potentissimos, ac specialiter quidem Ordines Illustres Hollandiæ Neoburgici subintelligunt: quorum tamen fidem & amicitiam insignem Iuliacensi bello sunt experti.

VICINORVM brachium an Elector imploraverit adversus Neoburgicum pro recuperandis quibusdam feudis Iuliacensibus.

QVAR-

QVARTO potest adhuc dici: non semper etiam cogi Principes Regalia jura habentes, viam juris ordinariam sequi, si nimis aperta vis, & contradictio, vel pertinacia adversarii fuerit, dilationes & subterfugia restituendæ rei quærentis: quòd melius [a] sit in tempore occurrere, quàm post exitum vindicare. Quod eo casu vel maximè locum habet, cùm is, qui se Tutorem profitetur, Electoralibus filiis (quos pupillos suos esse adserit) patrimonium avitum restituere subterfugit, ne quid dicatur gravius. Imò probari potest, superstite etiam nunc defuncto Electore piæ memoriæ nunquam ex Neoburgensi parte satisfactum fuisse illi conventioni, quæ in hoc negotio XX. Martii, anno CIↃ IↃ CX. cùm ab ipsius Celsitudine auxilia Iuliacensia petita & impetrata fuerunt, inter partes fuit inita: ut suo loco & tempore ostendetur rectiùs ab iis, qui pro Iuvenis Electoris salute, ut par est, vigilant.

a] *l. 1. C. Quando liceat unicuiq; sine judice se vindicare, & publicam devotionem arg l. devotum C. de Metatis: l. scientiam §. penult. ff. ad l. Aquil.*

❡ *AD DECIMAMOCTAVAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

BIPONTINI dixerunt [b], *Etiamsi vasallus nihil allodiale relinquat filio, tamen quos pater filio dat tutores testamento, eos admittendos esse, atque adeò legitimis & dativis præferendos.* NEOBVRGICI quid? Aiunt [c], *illud verum non esse, quia vasallus* (inquiunt) *non prohibetur lege vel moribus feudorum successori tutorem testamento constituere. Auream autem Bullam vocare seniorem & proximiorem pupilli Electoralis, non simpliciter, sed adiecta prohibitione: Ne quis hominum perpetuis temporibus audeat huic perpetuo & inviolabili edicto ullo modo contravenire.* Ac postea sic inferunt Neoburgici: *Sicuti vasallo non licet de feudo testari, quando Lex feudalis nullam ordinationem admittit: ita nec de Tutela testari poterit, quando Lex feudalis Adgnatum proximum ad Tutelam, interdicta contraria ordinatione, vocaverit.*

b] *p. 49. vers. 18.*

VASALLVS de Tutela feudalium bonorum testari potest.

c] *p. 49. vers. respondetur.*

SED AD

SED AD ILLAM Responsionem facilis & quidem multiplex est Replicatio. PRIMVM omnium remittimus Lectorem ad ea, quæ huic Responso Neoburgico libris & locis aliis opposuimus.

SECVNDO. Vt Neoburgici sciant, nobis adhuc alias rationes superesse, dicimus fallaciam evidentem in prædicto Neoburgicorum discursu, & specialiter addimus, fallaciam illam in verbo VOCARE & verbo PROHIBITIO contineri. Verbi gratia. Fateamur, Auream Bullam proximiorem & seniorem Adgnatum ad tutelam Electoralem vocare, adjecta etiam (ut volunt) PROHIBITIONE; ne scilicet liceat isti tutelæ Bullis delatæ, QVOLIBET MODO CONTRAVENIRE. Hoc, inquam, fateamur liberè. Sed addimus: Bullam illam Auream proximiorem illum & seniorem Adgnatum VOCARE TANTVM AB INTESTATO: et prohibitionem Bullarum ad illum casum referendam: et sic prohiberi quemq; Adgnatum ulteriorem ea parte Aureæ Bullæ, quomodolibet contravenire, & proximiori & seniori Adgnato se opponere: jus enim illud proximioris & senioris Adgnati esse, ut ab intestato & nullo testamento Electorali existente, solus & unicus DE JVRE tutor Electoralis sit, exclusis aliis etiam ejusdem gradus personis. At enim quis ex eo colliget, Electores de Tutela liberorum suorum testantes, Bullis Aureis contravenire? cùm Bullarum prohibitio dirigatur tantùm ad casum Electoris intestati (qui casus a causa testati prorsus est diversus) non ad casum Electoris testati. Non subsistet itaq; collectio Neoburgica proximè sequens: *Bulla vocant proximiorem & seniorem Adgnatum ad tutelam Electoralem: Ergo omni casu eum ad tutelam vocant, sive Elector sit intestatus mortuus, sive testatus.* Hoc enim pernegatur: *Proximiorem scilicet & seniorem Adgnatum ad Tutelam Electoralem omni & quocunque casu vocari*: id est, Etiamsi defunctus Elector de tutela liberorum suorum sit testatus. In eo semper fatigant se, & toto cœlo errant Neoburgici, sumentes pro confesso & principio, quod confessum non est nec principium. Quid igitur? Fatemur proximiorem & seniorem Adgnatum ad Tutelam Electoralem vocari, altero tantùm casu, & casu juris, nempe si defunctus Elector testatus non fuerit. Et illo casu concedimus, regulariter nulli licere proximiori & seniori Adgnato se opponere, & Bullis Aureis ea parte contravenire.

VOCATVM sub prohibitione contraveniendi, proximiorem & seniorem Adgnatum, quemadmodum intelligi oporteat.

SVPEREST ut hoc comprobemus, & sequentib. evincamus argumentis. Bulla Aurea (vel potiùs Sigismundi ad Caroli IV. Bullam Auream hac parte aliquomodo obscuram & imperfectam Declaratio) vult *ut proximior & senior Adgnatus DE IVRE tutor & curator esse debeat.* Vult igitur, ut illo modo Tutor & Administrator sit, quo sunt alii de jure Tutores, non aliter.

Vult itaque, ut Adgnatus proximior & senior, isti Decreto vel Edicto quomodolibet non contraveniat: & consequenter, ut non præferatur Tutori vel Administratori Testamentario, sed ut ei cedat, quemadmodum Tutori Testamentario communiter & ordinariè cedunt alii DE JVRE Tutores: Et ut in materiâ successionum testamentario heredi cedunt de jure & jure vocati ab intestato Consanguinei vel Adgnati: Et ut [a] bonorum possessores Vnde liberi, Vnde legitimi legibus & jure vocati, cedunt bonorum possessoribus secundùm tabulas. Nam semper expressa testatoris dispositio licita, tacitam excludit. Alioqui proximior & senior Adgnatus volens Testamentarium Tutorem Electoralem præcedere, & ei præferri, in ipsas Bullas committet & terribilibus illis pœnis Aurearum Bullarum tenebitur. Quia non vult proximus talis Adgnatus (ut Aurea Bulla decernit & præscribit) DE JVRE TVTOR ESSE, similis scilicet aliis de jure tutoribus: sed vult præter & contra Ius Commune, Gentium, Divinum, omne denique, Tutor & Administrator esse: Tutelam fingit novam prorsus, & (quod magis est) injustam: Imo nihil minus, quam tutelam. Hoc nullo colore, nullo prætextu facere proximior & senior debet. Desinant itaque Neoburgici toties duobus illis verbis VOCANDI & PROHIBENDI licenter adeò abuti. Non enim argumentum hoc procedit: *Aurea Bulla proximiorem Adgnatum vocat sub prohibitione, Ne quid contra, quomodocunq; fiat. Igitur ita vocat, ut testari de Tutela liberorum suorum Electores ipsos prohibeat.* Nam prohibitio illa, Tutelam respiciens, non ad ipsos Electores (testari de Tutela liberorum suorum volentes) pertinet: sed ad cæteros Adgnatos, fratres, nepotes, consanguineos, Tutelam ab intestato pariter fortè adfectaturos: quam uni & soli proximiori Adgnato lex defert. Et verò (ut hoc etiam accuratiùs tractetur) Duas partes in illa Bullarum Aurearum clausula: *TVNC proximior & senior Adgnatus de Iure Tutor & Curator esse debeat*, distinctè deprehendo. Pars prima, de proximiore & seniore Adgnato concepta est, adversus reliquos Adgnatos: & silentium imponit reliquis Adgnatis (licet eodem vel pari gradu positis) ne quid contra partem illam primam faciant: quia Bulla vult, *ut omnes reliqui consanguinei proximiori & seniori Adgnato cedant*. Hoc opinor, facilè nobis convenit cum Neoburgicis. Pars verò altera, *de Iure Tutor & Curator esse debeat*, non tantùm proximiorem & seniorem Adgnatum, sed & ipsum Electorem respicit, hoc sensu: *Proximior & senior ille Adgnatus Electoralis Tutor & Curator DE IVRE esse debet*, id est, ut cæteri Adgnati de jure sunt tutores: & consequenter, Electorem ipsum de Tutela liberorum

suorum

a] *l. 1. π. si tabula testamenti nulla extabunt; Vnde liberi.*

suorum testari prohibere non debet. Hac interpretatione Bipontinorum & Electoralium quid æquius & justius? Nam nec æquissima testamenti de Tutela factio prohibita Bullis fuerit: nec Ius Commune corrigetur, quod potius integrum esse & manere & servari Bulla Sigismundi voluit, his verbis scilicet usa: *Tunc proximior & senior Consanguineus DE IVRE Tutor & Curator esse debeat.* Nam cùm Iuris mentionem lex faciat, tantum abest, ut Sigismundus quandam Electoralem tutelam Anomalam & exorbitantem præter & contra jus Adgnatis deferat, ut ex contrario doceat, tutelam illam esse DE JVRE, id est ex ipso jure deprompt am, & ex ipso jure intelligendam: ut proximior & senior Adgnatus tutelam Electoralem adfectans, JVS Commune & JVRIS statuta respiciat, JVR Eque communi se regi patiatur, à JVRE ne declinet, aut ne quid præter aut contra JVS fingat vel speret. Vnde rursus colligo: Electorem non minus, imò magis de liberorum suorum Tutela testari posse, quàm vasallus quivis alius testari possit. Quia sicuti vasallis jure feudali non est adempta testamenti factio: ita nec Electoribus per Aureas Bullas ullo verbo testamenti factio denegata est, sed potius (ut ex præcedentibus apparet) ex mente Bullarum Aurearum non obscurè permissa, proximo scilicet & seniore Adgnato verbis apertis & perspicuis in ordinem & gradum DE JVRE TVTORVM & Administratorum rejecto vel redacto. Quod tamen jure feudali nullibi ita specialiter de vasallis cautum legitur: ut tantò magis intelligamus Electoribus de Tutela liberorum suorum testari licere, quantò manifestiore & speciali magis clausulâ, proximioris & senioris Adgnati Tutela Electoralis Bullis Aureis notata, distincta, demonstrata & (ut ita loquar) qualificata est: DE JVRE scilicet Tutela & Administratio: & sic Testamentariæ cædens. Et utique si legem feudalem in Vsibus Feudorum perscriptam talem haberemus: *Adgnatus proximus & senior adgnato suo vasallo de jure tutor esto, & ne quis quid contra facito:* Nemo sanè diceret, Iure feudali, per illam legem & prohibitionem, patremfamiliâs, vasallum alicuius, de liberorum suorum tutela testari prohiberi: sed Adgnatum de jure tantum, id est legitimum duntaxat tutorem constitutum: testamenti factione (de tutela scilicet) interim patrifamiliâs ipsi Iure permissa. Nam non ita leviter aut facilè nec paucissimis [a] adeò verbis Jus Commune sublatum & correctum esse præsumendum est: præsertim si quid novum, omnino prodigiosum vel monstrosum, vel impium introduci periculum fuerit.

ELECTOR Bullarum verbis inspectis magis de Tutelâ suorum testari potest, quam vasallus alius de feudo.

a] *l. si quando, Cod. de Inofficioso testam.*

SED ALIA nunc tractemus, & pergamus ad alia.

¶ AD DECIMAMNONAM *Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

ILLVSTRIBVS permittitur de Tutela testari: Electores sunt Illustres: Ergo: An hoc argumentum procedat?

a] *p. 50. vers. Decimumnonum argumentum.*

b] *l. vnic. Cod. de tutoribus & curatorib. Illustrium personar.*

c] *Cap 2 Aureæ Bullæ Caroli IIII.*

d] *p. 50. vers. Iudicet ipse lector.*

Bipontinorvm patronus hoc à Neoburgicis uti traditur [a] argumento: *Imperatores* [b] *ILLVSTRIBVS personis liberum reliquerunt testandi circa Tutelas arbitrium. At Electores in sæpè dictis Bullis Aureis appellantur ILLVSTRES: & prædictis adhuc Bullis Imperatores* [c] *Electoribus jura sua, privilegia omnia, ut & libertates confirmant, & testantur se nihil Electoribus derogare, nisi de tali jure aut libertate ejusq; revocatione à verbo ad verbum seriatim mentio specialis fiat. Igitur Carolus IIII. & Sigismundus liberum reliquerunt ILLVSTRIBVS hoc sive jus sive privilegium, ut de Tutela sua testari possint: quòd tale privilegium Illustribus competens, de verbo ad verbum seriatim Bullis non revocaverint.*

Neobvrgici quid? *Iudicet lector* (inquiunt) *& MIRETVR HOMINIS AVDACIAM: quia superius satis superq; demonstratum est, Testamentariam Tutelam EXPRESSE prohibitam esse: expressa namq; generis prohibitione, etiam omnes ejus species expressas.*

Sed facilis est ad hanc Neoburgicorum Responsionem Replicatio.

Primo. Quia semper eundem Elenchum committunt Neoburgici, somniantes Bullis Aureis *unicam tantùm Tutelam inductam, adversus quam nihil quocunq; modo etiam testamento possit fieri, ut hujusmodi tutela etiam Testamentariam excludat:* cùm sæpiùs antea sit ostensum, plures esse tutelæ Electoralis species, & Tutelam proximiori & seniori Adgnato Bullis delatam, simplicem, nudam & vulgarem tantùm esse tutelam DE JVRE id est, legitimam & ab intestato tutelam: contra quam prohibitum sit aliquid fieri. At enim prædicta prohibitio (faciendi scilicet aliquid adversus Tutelam legitimam ab intestato) ad alteram speciem tutelæ (testamentariam scilicet) non pertinet: de qua nulla prohibitio, imò tacita concessio & permissio est. Errant itaque in eo Neoburgici, cùm dicunt, *Genus prohibitum esse & circa genus prohibitionem legis versari*: cùm species tantùm una prohibita sit, & circa speciem

ſpeciem tantùm legis prohibitio verſetur: nempe circa tutelas Electorales ab inteſtato. Genere ſanè prohibito, fateor & fatebor ſemper omnes ſpecies prohibitas eſſe. At non eodem modo fateor vel fatebor, diſpoſitum & prohibitum de una ſpecie, diſpoſitum & prohibitum eſſe de altera. Verbi gratia: Non ſequitur: *Prohibetur aliquid fieri contra tutelam Electoralem Bullis proximiori & ſeniori DE IVRE, id eſt, ab inteſtato, delatam: Ergò prohibetur Elector de liberorum tutela teſtari.* Vel ita: *Titio inteſtato mortuo, prohibetur ulterior vel pari gradu Adgnatus Electoralis, vel quicunque alius, proximiori & ſeniori Adgnato concurrere, vel controverſiam Tutelæ aut hereditatis ei facere: Ergò Titius teſtari non poteſt.* Quis hanc quæſo conſequentiam feret? Sanè nullus. Quia prohibitio legis ſpectat tantùm Tutelam DE JVRE, id eſt, ab inteſtato ſeu legitimam, & Adgnatos ulteriores aliosve: non autem ſpectat patremfamiliâs, ejusve de Tutela diſpoſitionem teſtamentariam & fiduciariam, ſeu ſpeciem alteram tutelæ Electoralis licitam & permiſſam. Exponam me adhuc alio modo fortaſſis apertiùs. Dicunt Neoburgici, *Bullis Aureis prohiberi aliquid fieri a quoquam poſſe adverſus tutelam Adgnato proximiori & ſeniori delatam?* Errant & imponunt lectori Neoburgici. Dicunt enim quod lex non dicit, & theſin generalem proponunt Bullis penitus ignotam, imò contrariam. Debent autem in ſpecie ita dicere: *Nihil a quoquam fieri poteſt adverſus tutelam DE IVRE, id eſt, legitimam Bullis delatam.* Atenim prohibitio illa ſpecialis eſt, ſpectans tantùm Tutelam Electoralem DE JVRE, id eſt legitimam, non autem teſtamentariam: & ſic cùm eam non excludat, nec prohibeat, permittit & liberam facit. *Permiſſum*[a] *enim intelligitur, quod expreſſe vel ſpecialiter verbis aut legis ſententia manifeſtiſſima prohibitum non eſt.*

SECVNDO. Licet adhuc concederetur Bullis Aureis prohibitam & interdictam Electoribus de Tutela liberorum teſtamenti factionem, prohibitio tamen illa Neoburgicos nihil juvaret: quia fatentibus etiam Neoburgicis (eo namque ſolo nituntur, quod dicant, *genus prohibitum eſſe: & inde inferunt ſpecies prohibitas eſſe*) prohibitio illa Bullarum tantùm GENERALIS eſt: quæ ad tollendam libertatem teſtandi Electoribus dignitate ILLVSTRIBVS non ſufficit: Bullis nimirum volentibus ſpecialiter, *VT per ipſas Bullas derogatum non ſit ullis privilegiis, juribus & libertatibus & antiquis conſuetudinibus Electorum, niſi de tali jure, libertate, ejusque revocatione A VERBO AD VERBVM SERIATIM SPECIALIS MENTIO FIAT.* Atqui nihil tale de verbo ad verbum & ſeriatim Bullis inſertum eſt, quo Electores, dignitate Illuſtres,

a] *l. mutus. 11. §. cùm quæritur π. de procurat: l. nec non 28. §. Quod ejus 3. π. ex quibus cauſ. major: l. ab ea 5. π. de probat. l. 1. §. 1. π. de teſtib. l. ſtatuas. 7. Cod. de religioſ.*

de Tutela liberorum suorum testari prohibeantur. Igitur ex Bullarum adhuc verbis, Principes Electores, dignitate illustres, liberam etiam hodie de Tutela testandi potestatem habent. Nam quæ[a] specialiter de verbo ad verbum & seriatim prohiberi & exprimi oportet, non sufficit generaliter exprimi vel prohiberi. Et ita corruit Neoburgicorum instantia: *Genere prohibito, prohibita censentur eius species*: quia generalis illa prohibitio, legi satis non est, nec sufficit, ubi lex specialem, seriatim & de verbo ad verbum prohibitionem exigit. Cùm itaque libertas testandi personis Illustribus (& sic Electoribus) Jure Civili competens, non sit in Aurea Bulla specialiter, de verbo ad verbum & seriatim revocata, derogata, cassata: apparet, jus de Tutela testandi Illustribus Electoribus legibus Romanis competens, salvum & integrum eis etiamnum hodiè superesse, ex ipsarum Aurearum Bullarum verbis, mente, & sententiâ manifestissima.

a] *l. si quis in principio testamenti 22. vers. sed ita locum habet, si specialiter dixerit ff. de legat. 3. ubi Doctores: v. Clarum 3. sent. §. Testamentum. q. 99. ubi latè de clausula derogatoria.*

¶ *AD VIGESIMAM RESPONsionem Apologeticam Neoburgicorum, Bipontina Replicatio.*

Bipontini dixerunt[b], *Bullas Caroli IIII. & Sigismundi factas esse in FAVOREM Electorum: ac proinde in eorum ODIUM torquendas non esse: & consequenter Bullis illis ademptam non esse de Tutela testandi facultatem.*

b] *p. 51. vers. Vigesimo objicitur.*

ODIOSA est constitutio prohibens Electores testari de liberorum suorum tutela.

Neoburgici quid? Primùm aiunt[c], *Id non vergere in odium Electorum, quod CERTUS in Electoratu Administrator constituitur.*

c] *p. 51. vers. Sed Respondetur.*

Sed quis hoc credet? Dicitur id, sed non probatur. Omnes præterea sciunt, id odiosum[d] esse, quod jus & libertatem alicuius, naturaliter dulcem & appetibilem perimit. Et quid ni Odiosum hujusmodi jus dicendum sit, (prohibens scilicet patresfamiliâs de Tutela liberorum testari): cùm[e] prohibitio illa recedat à Jure Communi: & omnis recessus à Jure Communi odiosus à nostris interpretibus dicatur, ideoque restringendus sit?

d] *l. si privatus 17. ff. qui & à quibus manumissi liberi non fiant. l. toties 6. ff. de pollicitat. Alciatus 3, Responsor. 6. n. 2.*

e] *c. 1. c. 2. de filiis presbyteror. in 6. Romanus consilio 448. n. 2. Mantica 7, de Conjecturis ultimarũ voluntatum 1. n. 8, ubi plures allegat. c. Quod dilecto, Extr. de consanguinit. & affinit. c. cum dilectus de consuet. l. 2. C. de Noxalibus.*

Secun-

SECVNDO dicunt[a] Neoburgici, *Potissimam & FINALEM causam illius Constitutionis esse PACEM & VTILITATEM PVBLICAM, ne scilicet in futurum(ut ipsæ Bullæ innuunt) circa successiones & Administrationes Electoralium Principatuum, ullis unquam temporibus dissensiones oriantur in perniciem Reipublicæ, aut attentari valeant Novitates; sed ut omnis potius litium & discordiarum materia præcidatur. Cæterum nullum contentionum finem fore, si non semper CERTVS sit & à lege definitus Administrator: quòd possit in dubium vocari voluntas testatoris: vel vitium objici formæ: vel extraneus præferri Adgnato: vel pandi secreta familiæ possint: atque ita æmulationes, odia & Oceanus litium atque dissensionum oriri.*

SED VT prætereamus, Bullas hanc in specie causam, ne circa Administrationes dissensiones oriantur, non exprimere; certè si quæ Neoburgici dicunt, hæc vera sunt, dicendum pariter est, omnibus interdicendum esse testamenti factione, & nullas successiones & tutelas, nisi ab intestato, admittendas: ut per illum modum PAX publica in Republica sit, & consequenter, ut inter omnes, nullis exceptis, testamentariæ successiones & tutelæ eliminentur & è Republica tollantur. Et quasi verò tutelis omnibus Electoralibus ad intestati causam redactis, non possint etiam ab intestato quæstiones & quidem magnæ oriri & experientia rerum magistra, quotidie nobis non exhibeat, lites ab intestato varias & difficiles? Vt de patruo & nepote nuper in Gallia vidimus, & sæpius ante secula viderunt? Sed ut[b] propter abusum rei, nec res ipsa, nec usus rei tollendus est: ita nec propter quæstiones oriri in testamentariis tutelis solitas, usus testamentariarum tutelarum abrogandus est. Tollantur alioqui pariter contractus omnes, donationes, testamenta, feuda: quòd ex contractibus, donationibus, testamentis & feudis magnæ lites oriri soleant. Quin etiam olim non præbuit occasionem litibus & dissensionibus in Aurea Bulla allegatis testamentaria tutela vel successio: sed quòd patrui atque ita proximiores Agnati, Rudolphus & Rupertus præsenior Electoratum, qui de jure Ruperto juniori, uti primogeniti Adolphi filio, competiit, præripuerunt & dum vita mansit detinuerunt.

Sed esto: Finalis causa Bullarum sit, ut PAX publica existat, in successionibus, pariter & tutelis: Dicam tamen semper, id intelligendum esse de tutelis legitimis: & sic finem illum Bullarum Aurearum fuisse, ut sit PAX inter Adgnatos Electorales, quoties scilicet tutela DE JVRE, & talis casus occurret, ut tutore de Jure, id est, Legitimo, opus sit.

HALLV-

[a] p. 51 vers. Et potissimam & finalem.
FINALIS causa Bullarum, ut sit PAX publica circa successiones & Administrationes, Testamentariam Tutelam non excludit.

[b] l. ut profanos 4. Cod. de Paganis.

FINALIS causa Bullarum an sit, ut CERTVS sit Administrator?

Hallucinantur etiam valdè Neoburgici, cùm aiunt. *Potissimam & finalem causam Bullæ Aureæ fuisse, ut CERTVS sit & a lege definitus Administrator:* Cùm potiùs Bullarum (ut & legum omnium) alius longè scopus esse debeat, nempe, non ut certus, sed ut aptus & idoneus commodusque pupillis tutor obtingat: Et Imperator [a] etiam disertè leges omnes ad pupillorum auxilium dirigere jubeat. Illud autem certius & frequentius accidit Tutoris datione patrisfamiliâs permissa, quàm legitima tutela proximiori & seniori Adgnato delata: ut alibi multis rationibus & argumentis ostendimus; & sic, ut cuique (Illustri maximè personæ) libera testandi hac in parte omnino sit facultas. Ac præterea si Tutor CERTVS (ut volunt Neoburgici) debet aliquis Bullis esse, quem nec paterfamiliâs (Elector scilicet) mutare possit, nec conditionibus justis impositis eligere: libera testandi facultas Electoribus non erit: quam tamen Electoribus se concedere jactant Neoburgici. Repugnant enim hæc duo, Certum & Arbitrarium: quia [b] quod certum est, necessarium est, nec mutari potest, nec arbitrarium, spontaneum aut voluntarium est.

a] *Nov. 72. in fin.*

b] *Plaut. Amphytr. act. 4. Hoc quidem profectò certum est, non arbitrarium.*

Sed esto: Bullis Aureis, Electorales tutelæ sint omnes ab intestato, tutelas testamentarias excludentes: nunquam tamen Electoribus testandi de Tutela libertas Bullis ademta censenda fuerit, si paterfamiliâs testandi de liberorum Tutela JVSTISSIMAS se causas habuisse probaverit. Nec beneficio quoque talis tutelæ (licet Anomalæ & extraordinariæ) frui proximior & senior Adgnatus poterit, nisi sponte (& multò magis rogatus & interpellatus) nomini & officio tutorio prius satisfacere, cavenda cavere tuitor denique vel tutator & conservator Status universi pupillaris esse voluerit: ut alibi pleniùs ostendimus. Quæ an suâ ex parte oblata, promissa, cautaque fuerint, ostendant & palàm faciant Neoburgici.

Sed adhuc esto: Et finalis causa Bullarum fuerit, ut CERTVS sit Electoralis tutor: Dicam tamen adhuc, semper id intelligendum de Tutore ab intestato: & Bullas CERTITVDINEM illo casu intulisse: nec tamen pleniorem CERTITVDINEM TVTORIS sustulisse, nempe testamento patrisfamiliâs Electoris dati. Est enim Tutor semper certior & exploratior, quem paterfamiliâs causis à se circumspectis, exploratis & cognitis dedit, quàm consanguineus: de quo lex tantùm præsumsit. Vt inter consanguineum seu legitimum, & testamentarium tantum intersit, quantum inter certum & præsumptum, vel quantum inter

inter præſumtionem & certitudinem intereſt. Teſtamentarius enim ſemper certior, quia patrifamiliâs notior [a].

a] *l. Amiciſſimos. 36. π. de excuſat. tut.*

¶ AD VICESIMAMPRIMAM *Reſponſionem Apologeticam Neoburgicam, Replicatio Bipontina.*

BIPONTINI hoc quoque uſi dicuntur [b] argumento: *De quo nullum caput, nullaque prohibitio in Bullis expreſſa eſt, id veterum legum, conſtitutionumque regulis relictum omnes intelligere debent. At Electores expreſſim Bullis Aureis non ſunt prohibiti de liberorum ſuorum Tutela teſtari: poſſunt itaque de ea jure communi teſtari.*

b] *Reſponſio Apologetica p. 52 Verſ. Viceſimoprimo.*

NEOBURGICI quid? Primùm dicunt [c]: *Huic adſertioni & ipſarum Bullarum literam, & maniſeſtiſſimam facti evidentiam reclamare: nihil enim clarius illis verbis eſſe: Nulli hominum penitùs liceat hanc noſtræ pronunciationis, decreti, ſtatuti, paginam infringere: Ac propterea Neoburgici his verbis exclamant:* APERITE ERGO OCULOS, ô BIPONTINI, & VIDETE, AN INTER HOMINES SITIS!

c] *p. 52 verſ. At nullum caput.*

SED IPSIMET oculos aperiant & videant, an inter homines ſint (putant ne enim, Bipontinos & cæcos, & fœminas aut omninò belluas eſſe?) & particulam HANC diligentiùs expendant. Senſus enim eſt: Nulli penitùs hominum liceat, HANC PAGINAM INFRINGERE: HANC (inquam) quæ inter cætera loquitur de Tutoribus Electoralibus & Tutoribus, quos nonniſi de IURE TUTORES & Adminiſtratores eſſe debere jubemus & volumus: DE IURE, id eſt, ut alii proximiores Adgnati ſunt de IURE Tutores: Teſtamentariis ſcilicet haud gravatim cedentes. Deniq; nunc videant Neoburgici, an inter homines ſint, qui Tutelam aliquam DE IURE ſibi vindicant, quæ tamen non ſit DE IURE inter homines rationalia animalia recepto; ſed præter & contra IUS Commune, Gentium, Divinum, Humanum, Rationale, omne denique &c. quæ prædicta IURA, vel potiùs ipſam humanitatem & rationem â natura inſitam funditùs deſtruat & avertat: quæ parentibus ipſis affectus paterni & humani IUS omne in diſponendo de liberorum ſuorum Tutela adimat: quæ plus IURIS Adgnato remoto, quàm patri tribuat: quæ plus commodi, plus Iuris,

Ccc

plus dignitatis & emolumenti Adgnato, quàm Pupillis Electoralibus conferat: quæ heredem suum ex paterna hereditate eiiciat, & Adgnatum substituat. Videant igitur apertis & disclusis oculis, utrum hujusmodi Tutela sit IVRIS vel de IVRE Tutela, an potiùs exlex, & injusta, & sine IVRIS exemplo aliquo. Perperam etiam interrogationem suam corrigant Neoburgici. Hîc enim quærunt, *Quid sit clarius prædictis verbis Bullæ?* cùm alibi se verbis Bullæ destitui fateantur, & Bipontinos ad tacitam & latentem legis sententiam & mentem revocent.

a] *hoc libro Replicatione 11.*

b] *p. 52. Verf. At posito.*

INTERPRETATIO Bullarum an sit, legitima Ducis Ioh. Casimiri Tutela?

Nec ad rem facit, quod aiunt [a]: *Etiam posito, esse AMBIGVAM illius legis publicæ sententiam: post obitum tamen Ludovici Electoris INTERPRETATIONEM accepisse ex solâ Iohannis Casimiri Comitis Palatini Administratione legitimâ, approbatâ per Cæsaris Investituram, & ex repudiatione eorum qui Testamento Contutores fuerunt nominati.* Nam cur non potiùs, si quod dubium in Bullis Caroli IIII. & Sigismundi fuit, illud ex Ludovici Electoris Palatini, qui utramque Sigismundi Bullam impetravit, repetitis Testamentis declarabitur: quæ & à Romanis Regibus atque Imperatoribus, & ab omnibus Imperii Electoribus admissa & in observantiam deducta fuerunt? Plvrima interim hîc occurrunt quæ Neoburgicorum sententiam destruunt.

Primvm omnium verum non est, quod aiunt Neoburgici: *Sententiam Bullarum interpretationem accepisse ex solâ Iohannis Casimiri Administratione legitima, & ea quidem approbata per Cæsaris Investituram: postremò ex repudiatione eorum, qui Testamento Contutores nominati fuerunt.* Nam Investitura Cæsaris litem inter Ducem Ioh. Casimirum & Contutores nequaquam inhibuit, sed suo Marte illam in Iudicio decurrere permisit, ut alibi demonstratum est. Insuper, (ut lib. III & V. diximus) Administratio Ducis Ioh. Casimiri non fuit SIMPLEX LEGITIMA (ut est Neoburgicorum prætensa) sed MIXTA: partim scilicet ex legitimâ, partim ex testamentariâ, (patris enim Friderici Testamentum inprimis Dux Ioannes Casimirus allegabat) partim ex fiduciariâ, nimirum subnixâ transactione & pactione jurata fratris: ac propterea (quod caput est totius huius controversiæ) justa possessione eiusdem Ioannis Casimiri Ducis Bellicosi munitâ: & sic in prædictis circumstantiis & aliis, à Ducis Ioannis Casimiri Administratione (quam prætendunt, & similem ovi instar Casimirianæ perperàm aiunt

ADMINISTRATIO D. Casimiri, à prætensa Neoburgici differt.

Neobur-

Neoburgici) multum & admodum diversâ: ut illa Caſimiri Adminiſtratio nullam interpretationem, pro prætenſa Neoburgicorum Tutela præbere poſſit. Dubito quoque & hæreo, an poſſint Neoburgici liquidò probare, *Contutores Duci Caſimiro adjunctos Tutelam REPUDIASSE*[a], expreſsè ſcilicet in Iure, vel Actis habitis publicè. Ideoque veriſimilius eſt, Contutores Teſtamentarios Ducis Iohannis Caſimiri ob bonum pacis publicum, poſſidenti jam Duci Iohanni Caſimiro, & aliis præterea de cauſis, Tutelam legitimam Electoralem ſibi adſerenti, NVDO SILENTIO ceſſiſſe magis, quàm verbis expreſſis Tutelam illam repudiaſſe: & ſilere maluiſſe quàm adverſus poſſidentem litigare. Lites[b] enim execrantium verecunda cogitatio, non eſt vituperanda. Sed oſtendent fortè Conſiliarii Heidelbergenſes, cùm neceſſe erit, nequaquam Contutores Tutelam illam Teſtamentariam pro derelicto prorſus habuiſſe: cùm etiam mortuo Duce Ioh. Caſimiro, adhuc aliquid Iuris ſe habere ex illo Teſtamento præ ſe tulerint contra ipſum adeò Electorem defunctum XVIII. annum jam egreſſum, in indigniſſima illa à ſeniore & proximiore tum Agnato Richardo Palatino mota controverſia: & ipſum adeò Principem Philippum Ludovicum illo etiam tempore in quadam epiſtola non ſemel, ſed ſæpius illos *Curatores ipſius Electoris* nominaſſe, ſub dato Neuburg v. Februarii anno CIↃ IↃ LXXXXII.

a] *p. 52. verſ. Et eu Repudiatione.*

b] *l. 4. §. 1. π. de alienat. judicii mutandi cauſa.*

MALE etiam *CONSVETVDINEM*[c] *Electoralem* appellant Neoburgici, prædicti Ducis Ioannis Caſimiri Adminiſtrationem, cùm tertia antea linea[d] illam Adminiſtrationem SOLAM diſertis verbis nuncupent. Si ſola & unica illa Adminiſtratio legitima adverſus Teſtamentariam à Neoburgicis profertur & nuncupatur, ſanè nullo titulo vel jure eam CONSVETVDINEM, & frequẽtiam[e] & res[f] perpetuò ſimiliter judicatas appellare poterunt: cùm unicus & ſolus ille actus conſuetudinem facere non poſſit, τὸ γὰρ ἔαρ οὔτε μία χελιδὼν ποιεῖ, οὔτε μία ἡμέρα[g]. Adde prædictam Ducis Ioh. Caſimiri Adminiſtrationem, munitam licet Cæſaris Inveſtitura & Contutorum repudiatione (ut Neoburgici volunt), res perpetuò ſimiliter judicatas perperàm ab ipſis nuncupari: cùm & ſuperiùs proximè & aliis locis oſtenderimus, plures & inſignes differentias inter ante-hac geſtam Adminiſtrationem prædicti Ducis Ioh. Caſimiri, & prætenſam modò à Neoburgicis Tutelam. Res autem perpetuò ſimiliter judicatæ dici non poſſunt, niſi jus idem, eadem conditio rei & perſonarum fuerit[h]. Hæc enim omnia niſi

c] *Verſ. Meritò eam conſuetudinem.*

d] *verſ. accepit ex ſola Iohannis Caſimiri adminiſtratione.*

e] *verſ. Quod in regione frequentatur.*

f] *Verſ. Aut rerum perpetuò ſimiliter judicatarum.*

g] *Nec una hirundo nec una dies Ver facit. Ariſtot. Ethic.*

RES IVDICATÆ non ſunt, quas judicatas adſerunt Neoburgici.

h] *l. cùm quæritur 12. & l. 13. l. 14. π. de except. rei judicatæ.*

concurrant, non eadem, sed alia res dicenda est: Ideoque nec rei judicatæ exceptio eo casu potest obiici.

a] *p. 52. vers. Et cum Heidelbergenses.*

CASIMIRI Tutela olim ab Heidelbergensibus laudata fuit & probata: non tamen ex eo sequitur, prætensam & adsertam Neoburgicam hodie recipiendam esse.

b] *p. 53. lin. 1. & seq.*

NEC AD REM facit, quod addunt [a] Neoburgici: *Heidelbergenses iam ante* (tempore scilicet Ducis Iohannis Casimiri) *vidente, sciente & approbante ipso defuncto Electore* (Friderico scilicet IIII.) *mordicùs eam sententiam* (quòd scilicet legitima Tutela Electoralis præferenda sit Testamentariæ) *defendisse; eamque pro justa, vera, indubitata & infallibili publicè agnovisse, adeò* [b] *ut omnium Regum, Principum & Ordinum calculum obtinuerit; & ex omnibus Germaniæ Iurisconsultis nullus fuerit, qui illi contradixerit: sed potiùs eam omnes (quòd sciant Neoburgici) diversimodè & legendo & consulendo secuti sunt: & eam ob causam mirum non esse, HEIDELBERGENSES PERFVNDI* [c] *RVBORE, cùm audiunt sibi obiici, Edictum QVOD QVISQVE IVRIS &c. quo nihil æquius, melius, sanctius sit. Postremò, HEIDELBERGENSES TANTÆ IMPVDENTIÆ* [d] *esse non posse, ut eandem in se legem improbent, quam in aliis pro æquissima probaverint.*

c] *p. 53. vers. Quid mirum si perfundantur rubore.*

d] *p. 53. vers. Quis enim tanta possit esse impudentia.*

INTERPRETATIONES quæ Tutelam Casimirianam olim innuerunt, non sunt necessariæ.

CONFESSIO Iuris nihil per se operatur.

Nam ut hoc *primùm* Neoburgicis respondeatur: dici potest, Interpretationes illas (quorumcunque Iurisconsultorum illæ fuerint) necessarias non esse, sed tantùm verisimiles & probabiles quibusdam eo tempore visas, quæ veritati manifestæ in lucem emergenti cedere debeant. Et hîc optimè notari meretur, quod est etiam alibi ab Heidelbergensibus in hac disputatione allegatum; Quod nimirum nulla privatorum hominum enunciatio de jure, neque adeò judicialis Confessio, quidquam vel prodest cuiquam vel nocet, neque alterat juris censuram [e]; quippe quod non ab ingeniis & intellectu singulorum, sed ab auctoritate Legis vel Principis aut Magistratus dependet. Vnde existimare licet, ubi de vero Legis alicuius aut Bullæ intellectu quæritur, neque Iudicem partium, neque Partem unam alterius, neq; denique quenquam sui aut prædecessoris aut procuratoris, aut etiam sua propria interpretatione vel confessione, contra vim veritatis, esse adstrictum.

e] *l. ornamentorum, ff. de auro & arg. leg. Gl. in l. 1. § quod. C. de juram. calum. & Cyn. in l. 1. C. de confess. & in l. non fatetur. ff. eod. Paris de Puteo in Tract. de Syndicatu. verbo Latro, cap. 3.*

CASIMIRI Tutela diversa à Neoburgica.

Secundò: dici potest, aliam longè Ducis Iohannis Casimiri Tutelam & Administrationem fuisse ab Administratione per Neoburgicos prætensâ, ob differentias insignes & varias inter Casimirianam Administrationem & Neoburgicam prætensam: sicut & paulò ante & alibi pleniùs ostendimus: ut rei judicatæ exceptio Bipontinis à Neoburgicis non possit obiici, ut & immediatè quoque diximus.

Tertiò

Tertiò. Non vident etiam satis Neoburgici, quid sibi velint, cùm aiunt, *Se Bipontinos rubore perfundere, opposito eis Edicto* QVOD QVISQVE IVRIS. Illud enim Edictum sciunt Neoburgici tantùm illis opponi, qui jus novum & iniquum impetrarunt. Et ita Neoburgici Edictum illud Bipontinis (quasi olim Ducis Iohannis Casimiri caussam defenderint) obiicientes, tacitè fatentur, *Tutelam illam Casimirianam legitimam, testamentariam excludentem, ab Heidelbergensibus olim probatam, IVS NOVVM & INIQVVM esse:* & consequenter Tutelam quam ipsimet prætendunt, IVS NOVVM & INIQVVM continere: quia Casimirianæ adeò similem eam esse aiunt, ut ne ovum ovo, lac lacti similius sit. Vt ipsi jam Neoburgici potiùs teneantur Edicto QVOD QVISQVE IVRIS, quàm Bipontini vel Heidelbergenses moderni: quòd ipsi Neoburgici jactent, se jus tutelæ Electoralis legitimæ adversus testamentariam (quod ut diximus, tacitè fatentur jus esse novum & iniquum) à multis Principibus & Ordinibus imperij impetrasse [a]. Nec interim illo QVOD QVISQVE IVRIS Edicto Heidelbergenses hodie Electorales teneri poterunt: qui nunquam tutelam legitimam Casimirianam (Testamentariam excludentem, jus novum & iniquum continentem, tacita Neoburgicorum confessione) probarunt, postularunt vel impetrarunt.

EDICTO, Quod quisque Iuris, non tenentur Heidelbergenses, sed Neoburgici potiùs.

At *sunt Heidelbergenses Casimiri heredes: Igitur* [b] *Edicto*, QVOD QVISQVE IVRIS, *tenentur: & jus Casimiri quod olim probarunt, sequi hodie tenentur?* Sunt sanè, in quibusdam terris Ducis Iohannis Casimiri successores, sed non in Electoratu vel Tutela, de qua nunc agitur. Quin, quod traditur, *Heredem eius, qui jus novum impetravit pœna*, QVOD QVISQVE IVRIS, *Edicti teneri*, non simpliciter & abscisè verum est: sed ut Accursius [c] (prima solutione quæ & verior videtur [d]) notat, si qui tale jus obtinuerit, sibi & heredi jus novum & iniquum impetraverit. Atqui Dux Iohannes Casimirus Tutelam legitimam Testamentarias excludentem, sibi soli, non sibi & heredibus impetrare voluit: ac proinde jus novum [e] licet adhuc impetraverit, cum eius persona (velut personale) finitum intelligetur: Nec [f] pœnæ quoque delictorum ad heredes transeunt, nec [g] Principales personas egrediuntur: Et ex duabus etiam legis interpretationibus hæc mitior & benignior est, ideoque potior [h]. Adde Ducem Iohannem Casimirum Tutelam Legitimam adversus prætensos Contutores suis defendisse, non autem adversus Ducem Neoburgicum: ut exinde Neoburgici tan-

a] *l. 3. ibi sive impetraverit, ut uteretur licet usus non sit ff. Quod quisque iuris.*

b] *l. 3. §. Quod autem ait prætor. 5. ff. Quod quisque iuris.*

c] *arg. l. Neratius ff. de regulis iur.*

d] *Quia sicut impetratio novi iuris fuit realis, & transitoria ad heredem impetrantis: ita & retorquetio, quia debent se habere tanquam partes & correlativa. Bald. d. §. quod autem 5.*

e] *l. in omnibus ff. de regulis iuris.*

f] *l. unic. Cod. ex delictis defunctorum.*

g] *l. sancimus Cod. de pœnis l. rescriptum 6. in fin. ff. de his quibus ut indignis.*

h] *l. Interpretatione 42. l. sanctio legum 41. ff. de pœnis c. in pœnis de regulis in 6.*

quam tertij non possint Edictum QVOD QVISQVE IVRIS in Heidelbergenses torquere.

a] l. 3. §. 2. π. Quod quisque iuris.

NEC OBSTABIT, *quod* [a] *illius Edicti pœna adversus omnem statuitur, qui in Edictum illud incidit: non tantum eo postulante, qui læsus est, sed omni, qui quandoque experitur.* Nam ex duabus interpretationibus, quæ ad illam legem adferuntur, benignior & humanior est illa quæ distinguit [b], Vtrum jus novum impetraverim adversus omnes, an adversus unum. Si adversus omnes, omnes illo jure pariter adversus me uti poterunt, licet adversus unum illo jure specialiter usus sim. Sin verò jus novum adversus unum specialiter impetravi, unus ille novo jure adversus me utetur, cæteri non item. Sed ut omnis prorsus tollatur Neoburgicis Responsio, satis sit dici: Tutelam à Duce Iohanne Casimiro antehac assertam, à prætensa Neoburgica multis & variis modis diversam esse: ut illius Tutelæ assertionem non possint Neoburgici Electoralibus imputare & in Electorales hodie torquere.

b] v. Iasonem ad l. 3. § Hac pœna. 2. π. Quod quisque iuris.

¶ AD VICESIMAMSECVNdam Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Responsio Bipontina.

c] p. 53. vers. Vigesimosecundo.

OTIOSÆ & supervacuæ non sunt Bullæ Aureæ, tametsi prætensa Testamentariæ Tutelæ prohibitio non recipiatur.

BIPONTINI dixerunt [c]: *Pro otiosis & supervacuis habendas non esse Carolinam & Sigismundeam Bullas, tametsi prætensa testamentaria tutelæ prohibitio non recipiatur. Eam enim sex præcipuè distinctis articulis à Iure Communi recessisse: nempe ubi legitimam ætatem constituit XVIII* [illegible] *os completos &c.*

d] p. 53. Vers. Respondemus.

NEOBVRGICI quid? Aiunt [d] *prædicta omnia vera esse: unico hoc (de quo scilicet nunc controversia est) excepto. Bullam namque Auream SINGVLARE Ius hoc continere & à IVRE COMMVNI DIVERSVM, nempe ut nullus ad Tutelam Electoralem admittatur præter eum, qui inter defuncti adgnatos proximior & senior adgnatus sit.*

FALLACIA à dicto secundum quid ad dictum simpliciter.

MALE. Nam ab eo, quod in Aureæ Bullæ sententia præcipuum est, recedunt: quod est eiusmodi. *Nullus ad illam Tutelam Electoralem, de qua Bullæ loquuntur, admittatur, præter proximiorē et seniorem Adgnatum. At Bullæ loquuntur de proximiore & seniore Adgnato, quem volunt de Iure Tutorem*

Tutorem & Adminiſtratorem eſſe debere, & ſic legitimum ſeu ab inteſtato: ut alij proximiores & ſeniores Adgnati DE IVRE ſolent, poſſunt & debent eſſe. Igitur ſententia Bullarum hæc erit: *Vt præter proximiorem & ſeniorem Adgnatum nullus poſſit Tutor & Adminiſtrator Electoralis ab inteſtato eſſe: & ſic ceſſante & deficiente nulloque exiſtente Teſtamentario Tutore.* Committunt ita Neoburgici fallaciam à dicto ſecundùm quid ad dictum ſimpliciter: quia Bullæ de proximiore & ſeniore Adgnato non ſimpliciter loquuntur, ſed ſecundùm quid tantùm: nempe ut ad Tutelam Electoralem proximior & ſenior admittatur, ſicut alij de jure ordinario & communi admittuntur poſt teſtamentarium tutorem, & ei cedentes. Malè itaque Neoburgici fingunt, prædictis Bullis, quod tutelas Electorales teſtamentarias attinet, jus aliquod ſingulare & à Iure Communi diverſum contineri.

NEC OBSTAT quod Neoburgici poſtulant [a]: *Vt Bipontinæ cauſæ patronus CONSCIENTIAM ſuam conſulat, ne præceps divinam ultionem incurrat: & eundem incuſant, velut NVLLIVS [b] FRONTIS, ferocem [c]: obgannientem [d]: & poſtremò ad SALTANDVM [e] invitent.* Sunt enim hæ contumeliæ, ab homine ſapiente & Chriſtiano (ut in quem injuria non cadat vel contumelia) contemnendæ, iracundis condonandæ.

NEC OBSTAT ſequens [f] Neoburgicorum inſtantia: *Bipontini* (inquiunt) *fatentur, à Bullis Aureis ÆTATEM legitimam aliter definitam, quam Iure Civili definita ſit.* At (inquiunt) *Elector non poteſt legitimam illam ætatem Bullis Aureis definitam, Teſtamento ſuo mutare. Ergo nec legitimam Tutelam Electoralem prædictis Bullis definitam. Quia quemadmodum [g] pupillaris ætatis mutatio in ſolius legis poteſtate eſt, ita & tutela non competit niſi [h] permiſſu legis.* Imò (inquiunt Neoburgici) *Bulla teſtamentariam tutelam EXPRESSE prohibet, vocando ſolum ſeniorem & proximiorem Adgnatum, & vetando, ne quid contra perpetuis temporibus fiat, aut innovetur: & his ita dictis jubent Neoburgici Bipontinos SALTARE.*

Hæc enim Neoburgicorum inſtantia non obſtat: quia diverſitas inter Ætatem & Tutelam Electoralem ſumma eſt. Et ne diſputationem novam & ab hoc loco alienam, Vtrum Elector ætatem illam teſtamento mutare poſſit, ingrediamur, credibile eſt, nec facile illum, mutatam cupere, cùm non expediat juvenem ætate immaturum rerum gubernaculis admoveri juxta illud: *Væ regno, cujus Rex puer eſt.* At Tutorem exa-

a] *p. 53. verſ. Adhæc verò velim ut reſpondeat.*
b] *p. 54. ibi, Qua fronte.*
c] *p. 54. ibi, Tanta ferocitate.*
d] *p. 54. verſ. Si verò obganniat.*
e] *p. 54. ibi, Hic Rhodus hic ſaltent Bipontini.*
f] *p. 53. verſ. An quoad recitatos modo articulos.*

ARGVMENTVM hoc Neoburgicorum vitioſum eſt. Non poteſt Elector ætatem pupilli mutare: Ergo nec Tutelam Bullis proximiori & ſeniori Adgnato deſtinatam ſub prohibitione non contraveniendi.

g] *d. verſ. Si verò obganniat.*
h] *verſ. Reſpondemus.*

DIFFERENTIA paternæ poteſtatis, in ætate pupillari definienda, & in tutore liberis dando.

ex animi voto filio dare, ut optabile est, & magnopere tam ipsi pupillo quàm proximioris expedit, ita nullo jure prohibitum invenitur: non certè istis Bullis *Primò*. Quia Bullæ Electoribus libertates & Iura, privilegiaque confirmant, nisi specialiter, de verbo ad verbum, seriatim ademta, ut supra XIX. Replicatione diximus. Atqui Bullæ Aureæ potestatem, libertatem, jus & privilegia testandi de Tutela, nec specialiter, nec de verbo ad verbum, nec seriatim Electoribus ademerunt. Ergo libertatem de Tutela testandi Electoribus reliquerunt. *Secundò*. Bullæ volunt, ut proximior & senior Adgnatus sit DE IVRE Tutor, & sic ut illo titulo IVRIS sit contentus: nec præter aut contra IVS, aliquid tentet vel adfectet. At proximior Adgnatus prohibere volens Electorem Testamentum de Tutela liberorum condere, DE IVRE Tutor & IVRIS illo titulo contentus esse non vult, sed alium præter & contra jus adfectat, Anomalam scilicet tutelam & extraordinariam, tutelam testamentariam excludentem. Proximior itaque & senior Adgnatus Electorem de tutela liberorum suorum testari prohibere non potest: quia Bullæ Electori tacitè permittunt ut testamēto tutorem det, quemadmodum possunt cæteri patresfamiliàs tutorem dare, & Tutorem ei præferre, qui DE IVRE, id est, ab intestato tutor esse potest & debet.

Interim probo prolatam à Bipontinæ causæ Patrono rationem: *Electorem ideo ætatem pupillarem Electoralem Bullis definitam mutare non posse, quod LEGIS sit solius ÆTATES definire*. Hinc enim fit, ut à lege ÆTAS LEGITIMA [a] nuncupatur. Atenim non eodem modo dixeris LEGIS esse, ætatis justæ, sanique judicij hominibus, & quidem Superillustribus (ut sunt Electores,) liberam de liberorum suorum Tutela testandi facultatem aufere nisi fortè lex de verbo ad verbum, specialiter & expressè de Tutela testari prohibeat. Nec enim verum est, quod toties inculcant [b] & repetunt Neoburgici, *Testamentarias tutelas non competere NISI EX PERMISSV LEGIS*. Nam antea probavimus, testandi de suis potestatem, ESSE EX DEBITO [c]: & nihil esse quod hominibus MAGIS DEBEATVR.

NON EST etiam verum quod aiunt [d] Neoburgici, *Bullam Auream expreßè prohibere, testandi de Tutela potestatem, vocando proximiorem & seniorem Adgnatum ad Tutelam, & vetando ne quid contra perpetuis temporibus fiat, aut innovetur*. Quia Clausula illa, *Ne quid contra fiat*, immediatè dispositioni de Tutela annexa non est, sed genera-

a] *l. ult. Cod. de his qui veniam ætatis impetraverunt.*

b] *p. 54. vers. Nisi ex permissu legis.*

c] *l. 1. ibi, Nihil est quod magis hominibus debeatur. Cod. de sacros. Eccles.*

d] *p. 54. vers. Aurea Bulla.*

neraliter ad totam legem pertinet. *Deinde* etiamsi hoc demus, vel generalem illam clausulam speciali de Tutela dispositioni applicemus: Lex tamen (quod omittunt vel dissimulant Neoburgici) non simpliciter proximiorem & seniorem Adgnatum ad Tutelam Electoralem vocat sub prohibitione, *Ne quid contra fiat*: sed eum vocat, ut sit *Tutor DE IVRE, & ne quid contra fiat*. Igitur eum vocat, ut sit tutor legitimus & ab intestato: & vetat, ne quid contra Ius Commune faciat: ut sit Tutor quemadmodum cæteri de Iure sunt Tutores, de Iure (inquam) Romano & Communi. IVS enim [a] quoties dicimus, & non addimus cuius sit civitatis, IVS Romanum intelligimus: sicuti cùm Poëtam dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud Græcos egregius Homerus, apud Romanos Virgilius.

a] §. 2. Vers. *Sed quoties. Instit. de iure natura.*

Nunc, Lector, judica, quis hîc *saltare* debeat: an Bipontini (ut jubent [b] adversarij) an verò Neoburgici? Vt nihil dicam, Neoburgicos saltationem rem fortassis illicitam à Bipontinis exigere, quia lege sua non [c] ita facilè saltant, ut alij. Adhæc, ut nihil de saltationis quærtam genere: nempe an velint, ut illa saltatio (quam à Bipontinis exigunt) sit Laconica, vel Pyrrhica, vel Militaris, an alia: qua de re possem quædam non extra rem si vellem promere: sed brevitatis causâ supersedebo.

b] *p. 54. ibi. Hic Rhodus, hic saltent Bipontini.*

c] *Laodicena Synodus c. 52 vel 53. non permittit in Nuptiis cuiquam βαλλίζειν aut ὀρχεῖσθαι. quod tamen Balsamon ibidem notat exolevisse.*

¶ AD VICESIMAMTERTIAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.

BIPONTINI aiunt [d]: *Ioannem Palatinum (Ruperti Imperatoris filium, Ludovici fratrem) voluisse Electoratum (exemplo Ruperti præsentoris) suum facere: & sic Ludovicum Electorem EXCLVDERE voluisse fratrem, ut suspectum.* Neoburgici quid? Hoc acceptant [e]: sed addunt, *non potuisse hoc facere nisi probatis legitimis suspicionibus, vel Ioanne juri suo renunciante. Prius autem nunquam factum, sed posterius: idque ex literis renunciatoriis ipsius Ioannis, ut & Stephani fratris apparere: Et sic juri suo (quod leges cuiq; permittunt facere) RENVNCIASSE, non antè tertio alicui aut posteritati præiudicasse, cui Bullis Aureis jus quæsitũ sit.*

d] *p. 54. vers. Vigesimo tertio.*

e] *p. 54. Vers. Sed quidem postea.*

RENVNCIANS Electorali Administrationi, posteris, quibus ius est quæsitum Bullis Aureis, an præiudicet.

SED HIC MVLTI Neoburgicorum errores, tam in jure quàm facto concurrunt. Error enim est, quòd patrifamiliâs negandum jus testamentariæ tutelæ putant, nisi priùs apud Iudicem causas probaverit, ob quas proximiorem Adgnatum quasi suspectum habet: cùm nec allegatio suspicionis, testanti necessaria sit: multò minus probatio: quia

ſufficit teſtatorem dicere: *Sic volo, ſic iubeo, ſit pro ratione voluntas.* Error etiam eſt, quod ſibi blandiuntur & ſomniant, Minores, illorumq; matrem & alias conjunctas perſonas, non poſſe proximiorem Adgnatum à Tutela arcere [a], etiam antequam gerere incipiat, opponendo affectanti exceptionem quaſi ſuſpecti: cùm, cui damus actionem, eidem multò magis exceptionem competere dicendum ſit [b]: cumq; tutius aliquis non admittatur, quàm ſemel admiſſus rejiciatur. Adhæc, cùm Neoburgici renunciatorias Ioannis & Stephani, quibus hîc nituntur, producent (quod tamen ſi poſſent, feciſſent iamdudum, cùm multa etiam arcana alia domus Palatinæ contra conſuetudinem Principum ſatis incogitanter typis evulgari curaverint; reſpondebunt pariter Bipontini, docebuntque literas illas pro Electoralibus facere, non pro Neoburgicis. Interim firmum & verum manet & manebit, Ioannem ad Electoratum adſpiraſſe, & Ruperti præſenioris & Rudolphi exempla ſequi, & in eum finem documenta quædam allegare voluiſſe: ſed cùm & ſpe præoccupandi Electoratus ſe dejectum, & tutelam teſtamento fratri Ottoni conceſſam videret, inſtrumenta illa, quibus prætenſionem ſuam palliare conſtituerat, teſtamentario Tutori Ottoni tradidiſſe, illiq; tutelam Electoralis hæredis permiſiſſe. Stephanus verò agnovit, & ſub ſigillo ſuo profeſſus ac conteſtatus eſt, *Electori Ludovico fratri ſuo jus teſtandi de liberorum Tutela liberum eſſe: & ſe teſtamentario Tutori, ſi moleſtaretur, conſilio & auxilio non defuturum* promiſit. Inſuper demonſtrabitur infra ad XXV. Replicationem, quòd renunciatio tunc nulla fieri & obtineri potuerit ſi publica & jurata, lex excluſo & prohibito teſtamentario ſub pœnis graviſſimis, proximiorē Adgnatum ad Tutelam vocaſſet.

. Multum interim eſt, & valde notandum, quod Neoburgici fatentur: *probatis legitimis ſuſpicionibus poſſe proximiorem Adgnatum a Tutela excludi: licet aliquando factum id fuiſſe negent.* Nam & illud alibi dare vel concedere noluerunt Neoburgici. Sanè ad rem ipſam quod attinet: ſingulariter etiam hoc loco (ut & in tota controverſia) obſervandum eſt, Ludovicum Electorem. BARBATVM vulgò dictum (comperto cognitoque, quod frater ipſius Ioannes aliquot controverſias cum ipſo haberet, ſubintellectoq; Ioannem ad Electoratum ipſum, ſe mortuo, adſpirare) Aureæ Bullæ Caroli IIII. declarationes duas à Sigiſmundo Imperatore, (de Rabani Epiſcopi Spirenſis, ut & aliorum Conſiliariorum ſuorum conſilio) impetraſſe: ut & ſucceſſionem Electoralem filiis ſuis ſtabiliret, & Ioanni fratri, (qui vigore Aureæ Bullæ Carolinæ Tutor illorum alioquin futurus erat,) viam ad Tutelam illam omnē obſtrueret: ac propterea Sigiſmundum Bullis ſuis

a] *l. 6. Cod. de ſuſpect. tut. §. Impuberes. Inſt. eod. tit.*
b] *l. invitus §. Cui damus D. de Regulis.*

EXCLVDERE proximiorem adgnatū probatis legitimis ſuſpicionibus poteſt Elector, etiam Neoburgicorum confeſſione.

declarasse, quòd proximior Adgnatus Tutor de IVRE seu legis esse deberet: atq; ita ut paulò ante factum testamentum, & testamentaria tutela (cui semper legitima cedit) firma permaneret. Id autem factum primò est anno MCCCCXIIII, cùm jam anno MCCCCXIII. paratum Ludovicus Elector testamentum habuisset, quo Ioannem illum, fratrem suum, à tutela liberorum excluserat & ad illam Ottonem fratrem minimum natu vocaverat. Idem Ludovicus postea testamentum, (maximè quo ad tutelam) annis XX. XXVI. & XXVII. repetiit: & post hæc omnia similem prorsus (vel potius eandem) Bullam anno MCCCCXXXIIII. à Sigismundo Imperatore iterum accepit. Quid amplius? tandem repetito iterum illo testamento suo, anno MCCCCXXXVI. diem suum obiit. Quæ sanè omnia enixam eius voluntatem arguunt. Incredibile namq; prorsus est, elegisse aliquem viam, per quam judicium suum subvertatur. Et nemo præsumitur seipsum ita incontinenti[a] adeò corrigere voluisse. Multo magis incredibile, imò contra rationem vel potius sensum communem est, Ludovicum Electorem, dum omni studio & summa vigilantia arcere & prohibere à Tutela liberorum suorum fratrem Ioannem voluit, in eius tamen gratiam & favorem Bullas illas Sigismundi impetrasse, ut per illas gratificaretur & satisfaceret fratri, contra quem se suosq; illis Bullis munire & conservare tantopere studuit: et dum magnâ curâ testamentum sollicitè condit & recondit, interim Legem simul à Cæsare ferri procurasse, qua tale testamentum prohiberetur. Piget plura.

a] *V. Alciatum 2. præsumptionum 28.*

❡ REPLICATIO XXIIII.

Bipontini dixerunt[b]: *Malè à Neoburgicis Tutelam vocari FAVOREM pro se introductum: cùm sit ONVS, & Doctores passim insurgant in eos, qui ad sua commoda captanda tutelas adfectant. Ac proinde testamentarium tutorem legitimo, adfectanti tutelam & se ingerenti, præferendum esse.* Neoburgici quid? *Figmentum*[c] *hoc Bipontinorum esse: item torqueri verba Neoburgicorum à Bipontinis, quæ potius interpretari debuant secundùm intentionem proferentis.*

b] *p. 55. Vicesimum quartum argumentum, sive figmentum.* FAVORE Adgnatorum an introducta sit Tutela Electoratus: an vero pupillorum & Electorum ipsorum?

c] *d. Vers. Vicesimum quartum, ibi figmentum.*

Sed an ita sit, videamus: & quid Neoburgici dicant, attendamus. Favorem (inquiunt[d] Neoburgici) *appellamus non TVTELAM (quam semper periculosam supra ostendimus) sed IPSVM IVS, IPSAMQVE CONSTITVTIONEM Aureæ Bullæ: quæ propter publicam præcipuè utilitatem, & in favorem successorum facta, non debet in eorum dispendium flecti. Cæterum tutorem & Administratorem Electoratus non tantum onere gravari, sed favoribus variis vicissim ornari: verbi gratiâ, quòd post Imperialem, DIGNITATE summa sit præditus: ut personam pupilli Electoralis*

d] *p. 55. vers. favorem enim appellant. Neoburgici.*

& patrimonium eius administret: ut ius & vocem eligendi Imperatoris habeat &c. Quæ sanè omnia favorabilia sunt.

Sed facilis est ad illa Replicatio. Primùm omnium acceptant Bipontini, quod fatentur Neoburgici: *Tutelam ONVS esse.* Secundò concedunt, *multa insignia jura & quidem favorabilia admodum, Tutori & Administratori Electorali tribui*: Sed addunt Bipontini, FAVORES illos omnes Tutori Electorali eius causâ non tribui, sed pupilli Electoralis intuitu, cuius Tutor & Administrator est. Quia nisi iuribus illis & privilegiis & favoribus uteretur, personam & patrimonium pupilli non rectè regeret vel administraret: vel persona pupilli & patrimonium eius in periculo manifestissimo essent: ut ejus personam impuberem proximior & senior Adgnatus pubes supplere debeat: ut cui [a] tutela data est, ei quoque concessa esse videantur, sine quibus iurisdictio explicari non potest. Favores igitur illos (de quibus loquuntur Neoburgici, & quos captant) Adgnatus Electoralis ex se & pro se non habet, sed ex persona tantùm ipsius impuberis Electoralis. Quia nisi tutor esset, nullum unquam prædictorum jurium Electoralium haberet: & nisi haberet ut tutor, nunquam commodè tutelæ munera vel munia obiret. Denique illa jura vel illos favores proximior & senior Adgnatus Electoralis non habet tanquam proximior & senior Adgnatus, sed tanquam impuberis Tutor, & defectum eius supplens, & eius personam sustinens. [b]. Non etiam habet illas dignitates & illa jura aliter, quàm ipsum pupillorum patrimonium, & fructus eius atque reditus. Cùm itaque favores illi ex persona ipsius impuberis Electoris, tanquam ex scaturigine vel fonte fluant, & in persona ipsius impuberis Electoris (velut in suo fundamento principali, velut superficies in solo) directò subsistant: sanè quid ipsi pupillo Electorali utile sit vel esse poterit, spectari convenit, non quid ipsi tutori commodum vel utile. Nam (ut antea multis probavimus) Tutor officium suum ad suam utilitatem referre non debet, sed ad [c] utilitatem pupilli: ut cui lex (non dicam directò vel principaliter) vni & soli favet: & cujus unius & solius causâ tutela legibus & omnium gentium jure comparata est.

a] *v. l. 2, π. de iurisd.*

b] *l. interdum 56. §. penul. π. de furtis.*

c] *Arg. l. utilitatem pupillorum 10. π. de confir. tutel. Novell. 72. cap. 8.*

Et hoc quidem sensu Tutelę Electorales (quà scilicet spectamus utilitatem, bonum & commodum pupillorum) FAVORABILES esse dicendæ sunt, id est favore dignæ & modis omnibus adjuvandæ. Et favor quidem hic est publicus, cùm publicè intersit, personas & facultates pupillorum in tuto collocatas esse. Igitur quà Tutoris & Administratoris personam respicimus, Tutelæ sanè nihil minus sunt

quàm

quàm favores, sed sarcinæ & ONERA, (sic enim Lex Tutelas appellat [a]) & quidem maxima: quæ invitis etiam lex imponit, nisi justas excusandi se causas habuerint ad Tutelam vocati.

IDEOQVE verum non est, quod aiunt [b] Neoburgici: *Prædicta jura favorabilia Administratori competere, non ut TVTORI, SED VT SVCCESSORI.* Et cur quæso? Quia (ut ex prædictis apparet) in Tutelis non tutorum ipsorum commodum, sed pupillorum bonum spectari debet: Et [c] tutor tunc domini loco habetur, cùm tutelam administrat, non cùm pupillum juribus suis exuit, & illa in se transfert. *Secundò* quia si hoc esset, Administrator non custos, tutator & defensor, velutique depositarius & sequester, sed potiùs prædictorum jurium dominus fieret, tanquam successor: quod absurdissimum est. *Tertiò* quia jus idem Tutelis in aliis obtinet, nempe ut Tutor personam pupilli repræsentet & suppleat: verbi gratia, ut jus [d] προτιμήσεως seu retractus denunciet emptori: ut feudum nomine impuberis etiam infantis [e] acceptet: ut ἐσοδεκτικά (laudemia appellant) & id genus emolumenta exigat: item ut investiat [f]: denique ut nulla parte pupillum suum indefensum [g] relinquat. *Quartò* quia licet mihi proximiori & seniori Adgnato (velut proximo successori) Tutela deferatur, non tamen jura, privilegia, & cætera id genus ad pupillum pertinentia, mihi velut eius aut etiam patris ipsius successori, sed velut pupilli Tutori conceduntur. Quia jurium pupillarium exercitium cohæret & connexum est Tutelæ [h]: & per consequentias, jura favorabilia pupilli ad me velut Administratorem transeunt, non velut successorem pupilli, sed ut Tutorem. Et vis videre vel etiam palpare jus ita esse? Tutelas Testamentarias & Dativas respice. Idemque in utrisque Tutelis (scilicet Testamentariis & Dativis) deprehendes. Nam Tutores Testamento vel à Iudice dati, jura pupillorum exercent non ut successores eius, sed ut Tutores. Et hoc sensu, Tutelæ Electoralis legitimæ encomia, jura, privilegia, ipsi Administratori competentia, FAVORES quidem aliquo modo & secundùm quid appellare licebit: Nec tamen ex eo sequetur, illa favorabilia jura ipsorum Administratorum gratiâ comparata vel constituta esse, sed pupilli. *Non igitur*, (ut præclarè Vlpianus ait [i]) *adversus pupillos observari debet, quod pro ipsis excogitatum est.* *Quintò* quia id etiam *Restituendi* vel *Adsignandi* verbum (quo Bullæ Principales & Imperiales utuntur) satis demonstrat. Bullis enim jubetur Tutor & Administrator, Primogenito Electorali puberi fa-

a] *l. unic. C qui numero tutelarum. §. item. l. tria onera 3. π. de excusation. tut. §. tria onera. 5. Inst. de excusat. tut.*

b] *p. 56. vers. Non ut tutori.*

c] *l. qui fundum. 7. §. si tutor. 3. π. pro emptore.*

d] *l. interdum 56. §. penult. π. de furt.*

e] *5. feudor. 13.*

f] *V. Bald. l. 2. C. comm. de manumiss.*

g] *Faber ad l. sancimus 25. C. de administ. tut. V. Boerium ad consuet. Bituricenses. tit. 1. §. 12. Gloss. 2.*

h] *l. Tutoris præcipuum officium. 30. π. de administ. tut.*

i] *l. 3. Carbonianum. §. 5. vers. Quod in tempus. π. de Carbon. edict.*

cto, protinus eius omnia jura, ipsi ADSIGNARE, resignare, reddere, redhibere, restituere, & quidem (ut loquuntur Bullæ) totaliter, id est, nullis exceptis vel retentis. Vnde liquet, Tutorem & Administratorem aliena (id est pupilli jura) non sua restituere: Et sic tutorio nomine, illa jura obtinuisse, non jure successorio. Aliena quippe, non autem nostra restituere [a] dicimur.

Nec obstat, quod Neoburgici post Doctores tradunt [b], *insurgendum esse adversus SVSPECTOS & PERFIDOS Tutores: Tales etiam Tutores non tantum INFAMES* [c], *sed a Magistratu graviori animadversione coercendos: si probati fuerint NVMMIS DATIS Tutelam occupasse: vel PRÆMIO accepto operam dedisse, ut non IDONEVS Tutor alicui daretur: vel consultò circa eorundem patrimonium QVANTITATEM MINVISSE: vel EVIDENTI FRAVDE pupilli bona alienasse*: Cæterùm *prædicta* [d] *de Principe Neoburgico sine EFFERATISSIMA IMPVDENTIA & Contumelioso Mendacio dici non posse. Solo quippe AMORE pupillorum Tutelam eorum postulasse, non autem in eam se ingessisse ad suum commodum: nec ambire vel se ingerere dici posse, qui à Lege vocetur, & cum periculo cesset: Et nemini vitio verti posse, ultro se offerenti ad id, quod vel invitus vel repugnans suscipere cogi potest.*

Merito sanè queruntur Neoburgici, si quis quid tale sparserit, vel scripserit, & perfidiam talem alicui obiecerit. Sed non continuò Perfidiæ me accusaveris, imò nec Suspecti, si minùs commodum me ad Tutelam gerendam dixeris: quòd possis aliis justis de causis *Epitimia* mea manente (ut Modestinus loquitur [e]) id est, salvo honore, vel salva & intacta existimatione, me Tutorem recusare, ut & testem vel judicem. Edant ergò Neoburgici eorum nomina, à quibus PERFIDI vocati sint. Quamvis non ignotum sit, Bipontinis non deesse gravissimas causas, ob quas Neoburgici a Tutela excludendi sint, etiamsi nullum exstaret Testamentum.

Qværi tamen hìc potest, *cur Bipontinos ad Bullas Aureas revocantes addant* [f]: *Bullas Aureas sanctè, religiosè, & sub POENA PERFIDIÆ jubere ea custodire omnia, quæ in ipsis Bullis sunt expressa?* An ut Bipontinis PERFIDIAM tacitam obiiciant, quasi Bullas Aureas non custodientibus? Quod & alibi non semel innuere

a] *l. 22. l. 35. l. 73. l. 75. l. 81. l. 246. §. 1. π. de verb. significat.*

b] *p. 56. vers. Quod vero ad Doctores.*

c] *vers. Audiantur ipsæ leges. ibi. quam ut suspectorum infamia.*

d] *p. 57. in princ.*

e] *l. scire oportet 21. §. sed si quis. 2. in fin. π. de Tutoribus & Curatorib. datis ab his.*

f] *p. 58. lin. ult. ibi, Et sub pœna perfidiæ.*

innuere videntur. Adeò quidvis sibi licere putant, in alios Censores acerbissimi.

Sed quæro rursus, cur proximè [a] *tam-multa de Tutoribus suspectis, PERFIDIS, malè se in Tutela gerentibus, infamibus, Tutelam nummis datis occupantibus* [b] *dixerint*? Et cùm de se sine dubio talia non scripserint, de quo itaque ipsi tacitè sentiant, vel quem quosve pungant, judicet Lector. Sed his missis ad alia.

Concedamus Neoburgicis, *quòd ipsi AMORE* [c] *pupillorum Electoralium Administrationem Electoralem quæsitaverint: & se a lege vocatos crediderint, & Administrationem petierint, ne in Tutela gerenda cum periculo cessarent.* Concedantur hæc (inquam) omnia liberè. Pro ratione tamen & lege, voluntas Electoris defuncti ipsis esse debuit, & in posterum debebit: præsertim cùm defunctum Electorem *PIVM Principem fuisse* fateantur, *Legumque vindicem*: quem ideo præsumere non debent Bullas Aureas vel ignorasse, vel mala fide in alterius præjudicium infregisse & calcasse.

Hæc et alia complura proferentes & allegantes adversus Neoburgicos Bipontini, qum & petentes ut hac in caussa via juris ordinaria agatur, non injuriam cuiquam facere sunt censendi. Cur enim judicia constituta, nisi ut de jure suo liberè quis, etiam [d] cum Imperatore, contendat?

De aliis interim videamus.

a] *p. 56. vers. Quod verò ad Doctores.*

b] *(quod alio loco dixerunt depectis).*

c] *p. 57. vers. Sunt enim qui ex vero amore pupillorum.*

d] *l. ult. ff. qui testament. l. 3. ff. de his quæ in testam. delentur: l. ex imperfecto 3. ff. de legat. 3. l. non puto. 10. §. passim ff. de iure fisci. 3. C. de testamentis.*

¶ AD VICESIMAMQVINtam Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.

Bipontini dixerunt [e]: *Iohannem Ruperti filium RENVNCIARE publicæ Administrationi Electorali, sibi per Auream Bullam delatæ, non potuisse, si Testamentaria Tutela sub tam gravibus pœnis (perjurii, rebellionis, banni, amissionis iuris Electoralis, Iuriumque Regalium & Bonorum) prohibita fuisset.*

e] *p. 58. vers. Vigesimus quintus.*

RENVNCIARE publicæ Administrationi Electorali proximior & senior Adgnatus an possit?

Neobvr-

a] *d. verſ. ibi, Error conſiſtit.*
b] *p. 7. verſ. Eſt enim.*

NEOBVRGICI quæſo quid ad hæc? *Errorem* [a] *illum & maniſeſtiſſimam* [b] *implicationis fallaciam eſſe, quæ beneficio diſtinctionis enodari poſſit, hoc modo: Iuri publico, quod ab omni re & favore privato remotum eſt, RENVNCIARE non poſſum: id enim adverſus leges facerem. At enim juri privato (quod ſolo privato favore conſtat, ſolamque renunciantis perſonam concernit) renunciare mihi permittitur, dummodò bonâ fide id fiat, & fraus abſit.*

PVBLICVM ius in Tutelis verſatur.

c] *p. 55. circa princ. ibi, propter publicam utilitatem. Et ead. pag. circa fin. ibi. Quæ propter publicam præcipuè utilitatem.*
d] *p. 51. verſ. Et potiſſimum.*
e] *§. conſequens 3. Inſt. de Excuſat. Tut. l. 1. § conſequens 6. ff. de ſuſpectis Tutorib. l. pietatis 6. C. de ſuſpectis Tut: adde l. 1. § ſuſpecti 11. ff. ad Senatuſc. Turpil.*
f] *l. ius publicum 38. ff. de pact. l. Ita autem 5. § Iulianus 7. ff. de adminiſtrat. Tutorum.*

SED HÆC Neoburgicorum diſtinctio admitti non poteſt. Aiunt enim, *Tutelam vel Adminiſtrationem Electoralem non juris publici, ſed privati eſſe: Item Tutelam vel Adminiſtrationem Electoralem non in publico, ſed in privato favore conſiſtere.* Atqui alibi ſemper dixerunt Neoburgici, *Tutelas Electorales inductas eſſe, PROPTER PVBLICAM* [c] *præcipuè utilitatem:* item *potiſſimam* [d] *& finalem cauſam Bullarum eſſe PACEM ET VTILITATEM PVBLICAM.* Et hoc ſenſu quoque legimus, *Suſpecti Tutoris accuſationem QVASI PVBLICAM eſſe*, hoc eſt omnibus patere, adeò ut & mulieres admittantur. Vnde colligo, proximum & ſeniorem Adgnatum ad Tutelam Electoralem Bullis Aureis vocatum, onus Tutelæ ſubterfugere non poſſe: ne contra jus publicæ præcipuè utilitatis cauſâ conſtitutum faciat: ne potiſſimam & finalem Bullarum cauſam PACEM & PVBLICAM utilitatem evertat: Ius [e] enim publicum pactis, & ſic renunciationibus, remitti nõ poteſt. SECVNDO hoc magis etiam tenendum eſt, quòd Aureæ Bullæ his verbis utantur: *Proximus & ſenior Adgnatus de Iure Tutor & Curator eſſe Debeat.* Quia verbum *Debeat* (ut ipſimet Neoburgici contendunt alibi) verbum eſt præciſum, & neceſſitatem in caſu ſuo (ab INTESTATO ſcilicet) proximiori & ſeniori Adgnato gerendæ Tutelæ Electoralis imponens, ut, velit nolit, neceſſarius & invitus Tutor eſſe DEBEAT. Quia lex eum cæteris omnibus aliis Adgnatis (etiam eiusdem gradus) prætulit: & eum ſolum Tutorem eſſe DEBERE juſſit. Nec à verbis apertiſſimis proximior & ſenior Adgnatus recedere ullo modo poteſt: præſertim quòd Bullæ prohibeant, ut multoties inculcant Neoburgici, *aliquo, quocunque modo vel colore* (& ſic pacto, renunciatione vel repudiatione) *adverſus Bullas fieri, vel eis contraveniri:* niſi fortè in prædictas graviſſimas pœnas incurrere, & niſi jus quoque ſuccedendi in hereditate Electorali proximus Adgnatus amittere velit: ut [f] & commo-

g] *l. Neſennius 32. verſ. [illegible] de excuſat. [illegible] l. poſt legatum [illegible] amittere. 2. [illegible] quibus ut [illegible]*

commodum legati vel relicti amittunt, qui se à tutela defuncti testatoris excusant.

NEC OBSTAT quod aiunt [a] Neoburgici: *Posse aliquem juri privato (quod solo privato favore constat, solamq; renunciantis personam concernit) rectè renunciare, dummodo bona fide id fiat, & fraus absit: Sic enim Minorem restitutioni impetratæ renunciare posse: & Litigantes convenire, ut testes non jurent, quamvis hoc fieri publicè intersit: adhæc, paciscι de crimine publico sanguinis pœnam ingerente (excepto adulterio) non persequendo licere: vasallum, proximiorem Adgnatum, posse successionem repudiare in alterius Adgnati remotioris favorem: & eodem modo proximiorem & seniorem Adgnatum Tutelam sibi delatam, cum connexa dignitate posse, si velit, cedere proximè secuturo: dummodo fraus absit, id est, dummodo non renunciet eo fine, ut pupillus indefensus relinquatur: Tunc enim non audiendum sed cogendum potius.* Sed tutelarum Electoralium alia longè jura sunt. Nituntur enim *primùm* jure publico, ut superiùs ex Neoburgicorum etiam confessione demonstravimus. quod [b] jus privatorum pactis mutari non potest: ergò nec [c] repudiari vel remitti. *Secundò*, quia (ut etiam diximus) Bullæ non simpliciter proximum & seniorem Adgnatum ad tutelam Electoralem vocant, sed cum juris necessitate. hæc enim Bullarum verba sunt: *Tunc proximior & senior Adgnatus* TVTOR & CVRATOR ESSE DEBEAT, & (quod mox sequitur) TENEATVR. Quemadmodum igitur nemo [d] sua voluntate debito vel obligatione eximitur: ita nec proximior Adgnatus repudiare eam tutelam potest, quam legis imperio gerere DEBET: nec legibus solutus est proximior & senior Adgnatus, cùm nec Imperator sit solutus. Quin ipsum Electorem (quamvis falsò) Neoburgici ita fictis legum cancellis constringere volunt, ut testandi etiam facultatem contra omnia Jura ipsi adimant: Adgnatum interim eius longè meliore conditione liberum faciunt, ut si velit, legi parere possit; si nolit, liceat illi legem contemnere, & onus à lege ipsi impositum, abjicere. *Tertiò*, quia onus ibi esse debet, ubi & lucrum delatum est: imò societas quodammodo Leonina [e] dici potest, si proximior & senior Adgnatus lucrum Tutelæ tantùm quærere velit, nec damnum sentire. *Quartò*, Bullæ proximiorem & seniorem Adgnatum ad Tutelam Electoralem vocantes, ut sit de Iure Tutor solus & unicus, exclusis omnibus non tantùm remotioris sed & ejusdem gradus Adgnatis, videntur conjunctionem, fidem & prudentiam Proximioris & senioris in eo deligendo spectasse:

a] *p. 58. Vers. At Iure privato.*

b] *l. Ius publicum 28. π. de pactis. Papin. 2. quæst. l. Neratius 20. π. de religios.*

c] *l. Nec ex pretorio 27. π. de Reg. Iur.*

d] *l. 5. Cod. de obligat.*

e] *l. si non fuerint 29. in fin. π. pro socio.*

ac propterea voluisse, ut proximior & senior Adgnatus (conjuncta scilicet hujusmodi adeò persona) educationem impuberis vel pupilli volens nolens ipse suscipiat: & conjunctionis ratione cogi posse, hujusmodi educationem [a] in se recipere, licet aliàs cogi non potuisset, si conjunctus adeò non fuisset. Ideoq; proximior & senior Adgnatus non potest onus Electoralis tutelæ à sua persona in aliam transferre: quia Lex verbis conceptis eum, non alium, JVRE, id est, ab intestato tutorem esse debere jussit: Lex ab intestato cæteris omnibus aliis eum prætulit, & de eo plus quàm de aliis præsumpsit, ut ordinem pacis publicæ causa, publica lege (velut Clavo Trabali) in æde Imperii fixum, refigere pro arbitrio suo non possit. *Quintò* ad summum dicendum esset; permitti quidem proximiori & seniori Adgnato, Tutelam Electoralem ipsi ab intestato delatam repudiare; sed incapacem inposterum successionis & Juris Electoralis cuiuscunque fieri. Lex enim justissima hæc est: *Abstine lucro, qui onus refugisti: nec [b] beneficium speres, qui officium gerere noluisti, vel non gessisti.*

a] *Cremensis singulari 58.*

b] *l. Alumnæ. 30. §. 1. ff. de adimendis legat: Bald. l. 1. in fin ff. ubi Pupillus educari debeat.*

¶ AD VICESIMAMSEXTAM *Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

Bipontini dixerunt [c], *Pacta familiæ Palatinæ publicata à Neoburgicis loqui saltem de successione & non de Tutela: Et quamvis per relationem mentionem faciant Aureæ Bullæ, tamen ibi nullam reperiri prohibitionem Testamentariæ tutelæ.*

Neobvrgici quid? *Hæc [d] omnia non credunt vera. Quinimò addunt, pacta illa familiæ in specie Administrationis expresse mentionem facere & sese ad Auream Bullam referre, & sub pœna PERFIDIÆ jubere custodiri ea omnia, quæ in Aurea Bulla Carolina & Sigismundi sunt expressa.*

Atqvi hoc ipsum, *nullam videlicet Tutelæ & Administrationis in pactis illis mentionem in specie factam esse*, ipsi adeò primi Neoburgici scripserunt & adfirmarunt [e]. Bipontini illos secuti cùm idem scribunt, falsi insimulantur. Iudicet, quisquis candorem & æquitatem amat.

c] *p. 58. Vers. vicesimo sexto.*

d] *p. 58. Vers. Respondetur hæc omnia.*

e] Kurtze Anzeig / *pag. 16.*

Sed &

Sed & hoc: *Fieri quidem in pactis uno loco administrationis alicujus, & quidem in uno certo successionis casu mentionem, sed quæ toto cœlo ab illa administratione differt, quæ tutelis connexa est.* Verbum sanè Tutelæ in pactis illis nusquam reperietur.

Quod autem de perfidiæ pœna addunt Neoburgici, frustra est. Nam in pœnam illam PERFIDIÆ ipsimet incident: hoc unum scilicet agentes, ut proximus & senior Adgnatus Tutor & Administrator DE JURE tutor non sit, (quod tamen Bullæ volunt expressè). Id est volunt, ut non sit Tutor quemadmodum Adgnati de jure sunt tutores, testamentario cedentes: sed ut sit Tutor PRÆTER ET CONTRA JUS Commune, jus tutelæ testamentariæ evertens. Atque ita corruet INEXPUGNABILIS[a] ille syllogismus sequens ad quem jubent Neoburgici Bipontinos attendere, SI VIRI SINT, (putant enim fortassis Neoburgici, Bipontinos illo inexpugnabili syllogismo transformatos in fœminas esse) & in quo dicunt[a], Bipontinos *HABERE quod agant, si CONSCIENTIAM suam salvam esse velint*: quasi nulla aut pertenuis Bipontinis conscientia sit. Sed syllogismum illum audient Bipontini, & conscientiam suam nihilominus salvam retinebunt.

[a] p. 59. Vers. Habent Bipontini.

SYLLOGISMUS autem Neoburgicus de verbo ad verbum talis est. *Quidquid lex publica Imperii vult, imperat, prohibet, quidquid etiam eosdem sanguinis & familiæ Principes LEGE NON PROHIBENTE pro se & heredibus suis juratò paciscuntur, illud nec sub specie Testamenti infringi potest: sed PIE, SANCTE, & RELIGIOSE SINE OMNI INNOVATIONE custodiendum est. Atqui lex publica Imperii vult, ut existente defuncti Electoris pupillo minore XVIII. completis annis, senior & proximior Adgnatus sit Tutor & Administrator: & prohibet, ne quid perpetuis temporibus ullo unquam modo contra fiat. Pacta etiam Palatinæ familiæ confirmant eandem Bullam juratò, & eam in omnibus membris, articulis, & capitibus sanctè, piè & religiosè custodiri jubent. Ergo lex Aureæ Bullæ, volens ut existente Electoris defuncti pupillo minore XVIII. annis completis, senior & proximior Adgnatus sit Tutor & Administrator, & prohibens, ne quid ullo modo perpetuis temporibus contra fiat, confirmata etiam per pacta familiæ jurata, piè, sanctè, & religiosè custodiri debet, nec potest vel sub testamenti prætextu infringi.*

SED FACILIS est ad prædictum syllogismum, licet verbis pomposum, ampullosum & sesquipedalem, Responsio.

PRIMVM vitium est, quòd Maiorem & Minorem Syllogismi sui ex Bulla Caroli IIII. contexuerunt Neoburgici, verbis omissis Sigismundi Bullæ præcipuis, (quod Sophistarum proprium est) ut mox ad oculum probabimus. Repræsentant enim quandam legem publicam Imperii purè & simpliciter loquentem & quidem volentem & imperantem, *Ut proximior & senior Adgnatus sit tutor*: prohibentem verò, *Ne quid contra fiat*. Atqui lex publica Imperii (Sigismundi scilicet Declaratio) purè & simpliciter non loquitur de proximiore & seniore Adgnato, sed nota qualitate & conditione ei addita, ut scilicet sit DE JVRE TVTOR. Ac proinde syllogismum ita ex Sigismundi Bulla reformandum esse contendo. Bulla Sigismundi vult, ut proximior & senior Adgnatus Electoralis DE JVRE Tutor & Administrator esse debeat. Vult igitur ut testamentario cedat, sicuti cæteri Adgnati de jure tutores, & jure aliquo ad tutelam Adgnati vocati cedunt testamentariis: & consequenter Electoribus testamenti factionem liberam relinquit: nec sub specie vel prætextu testamenti ab Electoribus facti infringitur. Fallacia itaque manifestissima Neoburgicorum est: quòd dictum secundùm quid in Bulla Sigismundi, velut simpliciter à Sigismundo dictum referunt. Debebant itaque Maiorem ita contexere, & totum syllogismum reformare sequentem in modum. *Quidquid lex Imperii sub aliqua lege, nota, conditione & qualitate vult, imperat & prohibet, id pie sanctéq; servandum est. At Sigismundi Declaratio non vult, ut proximior & senior Adgnatus simpliciter sit tutor, sed qualitate nota vel lege speciali ipsi addita: nempe ut DE IVRE tutor esse debeat, id est, ut sunt alii Adgnati testamentariis cedentes. Igitur proximior & senior Adgnatus Electoralis Tutori Testamentario Electorali etiam per Bullam Sigismundi cedere debet: nec prætextu aut colore tutelæ cujusdam Anomalæ, præter & contra jus prætensæ, adversus clara & manifestissima Sigismundi verba facere, eiq; contravenire.* Error itaque magnus est in illo Neoburgicorum syllogismo, quòd dictum secundùm quid à Sigismundo, simpliciter, fallendi & circumscribendi Lectoris (si quis modò tam supinè incautus reperietur) gratiâ protulerint, & sic adversus leges disputandi magnum Elenchum commiserint.

SECVNDVS error est in eo, quòd de pactis juratis familiæ Palatinæ referunt[a]. Fateor quidem (quis non?) pacta jurata familiæ simpliciter prolata, piè, sanctè, religiosè servanda. Sed pernegatur, aliquod pactum juratum in familia Palatina reperiri, quo Electores Palatini simpliciter & purè juraverint, *se una cum liberis nunquam de liberorum tutela testaturos*. Jurarunt quidem in Bullam Caroli IIII. & Sigismundi. Sed juramen-

BVLLÆ volunt, ut proximior & senior Adgnatus sit de jure, id est, legitimus & ab intestato tantùm tutor. Neoburgici vero volunt, ut sit etiam tutor testamento facto: et ita plus sibi sumunt, quàm lex velit.

[a] p. 59. ibi. *Quidquid etiam eiusdem sanguinis. Et ibi Jurati pactis utuntur.*

PACTA familiæ secundum quid habita, Neoburgici [illegible] ita dicta secundum quid, ad dictum simpliciter argumentum ducunt.

tum illud, Electoribus testandi de tutela facultatem nunquam ademit. Quia Bullæ illæ Aureæ prædictam facultatem non adimunt, sed permittunt potiùs, ut suprà multis est ostensum. Vult aliquis apertius & brevius? Jurarunt Electores: imò, ut hoc addam, etiam simul Proximiores & Seniores Adgnati, *proximiores & seniores Adgnatos* DE IVRE *tutores esse debere?* Igitur proximior Adgnatus de jure tutor esse debet, ut sunt alii Adgnati de jure: & consequenter testamentariis tutoribus loco cedere: & liberam testandi facultatem Electoribus ipsis relinquere: nec quovis prætextu tutelam aliquam præter & contra jus sibi fingere: & proinde hoc juramentum piè sanctè & religiosè perpetuis temporibus inviolabiliter servare: nec adversus huiusmodi pactum à proximioribus Adgnatis olim juratum aliquid tentare.

TERTIVS error Neoburgicorum, quem in Maiore Syllogismi committunt, varius est, cum aiunt: *Pactum juratum ab Electoribus, ut de Tutela sua nec ipsi, nec eorum liberi testari possint, pactum esse, quod lege prohibitum* [a] *non sit.* PRIMVS enim error in illo Neoburgicorum axiomate, in ELECTORVM PERSONIS à Neoburgicis committitur. Quia quod ipsorum personam (qui tunc temporis Electores id jurarunt) attinet, pactum etiam juratum huiusmodi (*De liberorum Tutela testamentum non faciam*) contra bonos mores fuit, ut ab ipsismet tunc & superstitibus Electoribus negligi salva conscientia potuerit [b]. Quia quod juris nostri Coryphæi viderunt: Nemo libertatem de supremis judiciis constringere potest nec valet pactum, per quod libera testandi facultas impeditur. SECVNDVS error Neoburgicorum, in PERSONIS ADGNATORVM ipsorum Electoralium consistit. Quemadmodum enim non valet proximioris & senioris Adgnati talis stipulatio: *Ex parte heredem me facies* & ideo talis stipulatio inutilis censetur, quòd CONTRA bonos mores sit, ut Iulianus [c] ait: ut proinde proximus Adgnatus ex tali stipulatione agere non possit: ita multò minus valet & valebit hæc proximioris & senioris Adgnati stipulatio: *Tutorem me facies*. Quia libertatem de supremo iudicio suo promissor constringit, ne libera sit ei tutoris datio. Si non possum (cùm de bonis tuis tantùm agitur) liberam tibi testamenti factionem stipulando auferre: multo minus de Tutela, Cura & Administratione liberorum tuorum. Quia hæc stipulatio contra bonos mores magis adhuc quàm prior est concepta: & sic huiusmodi stipulatio (velut contra bonos mores, captatoria, & suspicionis sinistræ plena) inutilis erit nec agere ex ea adversus te potero. TERTIVS error: quia adhuc multò minus valet ex parte LIBERORVM & heredum ipsorũ talis licet jurata, pactio

PACTVM juratum; ut nec ego nec liberi mei de Tutela liberorum teneamur, contra bonos mores est non tenet stipulantem, nec eius liberos, nec stipulanti adimem tribuit.
a] p. 59. ibi. lege non probibente pro se & heredibus.
b] Vlpianus & Papinianus in l. Cum duobus 51. §. idem respondit. 9. ff. pro socio. Iulianus in l. stipulatio 61. ff. de verb. obligat.

c] d. l. 61. Addita l. 34. Cod. de transact. l. 4. Cod. de inutilib. stipulat.

Nam ſi non valet pactum quantumvis juratum, *ut te heredem vel tutorem meis liberis relinquam, nec ullum alium, nec ullas prorſus conditiones hereditati, ſucceſsioni vel tutelæ liberorum meorum imponam*: nec potes ex tali pactione agere: nec tali pacto ſum obſtrictus: & non obſtante tali pacto, mihi teſtari de meis bonis & de liberorum meorum tutela licitum eſt & permiſſum: Quantò magis ſi conceptum & juratum ita pactum fuerit? *Nullum alium heredem vel Tutorem præter te unum relinquam: nec ullas conditiones hereditati meæ vel liberorum meorum Tutelæ imponam: & hoc pactum, PRO ME MEISQVE HEREDIBVS perpetuis temporibus IVRO, promitto*. Quantò, inquam, magis pactum illud & juramentum incivile, turpe, & contra bonos mores & inutile fuerit: nempe ut nec meis liberis libertatem de Tutela ſua teſtandi auferat, nec tibi actionem utilem præbeat? Nam ſi paciſcendo vel jurando libertatem teſtandi de Tutela liberorum meorum mihi non poſſum adimere, multò minus ſanè liberis & heredibus meis. Si priore caſu actionem ex pacto jurato non habes: multò minus ex altero. Si priore caſu pactum interponitur LEGE prohibente: & poſteriore multò magis. Et rurſus, ſi priore caſu juramento non obſtante, poſſum nihilominus teſtari: quantò magis ſecundo caſu poterunt liberi mei, non obſtante juramento meo pro ipſis nulliter interpoſito, de liberorum ſuorum tutela diſponere? Errant itaque graviter in eo Neoburgici, cùm ſcribunt: Pactum illud juratum, *Nec ipſe nec liberi mei de tutela liberorum noſtrorum perpetuis temporibus teſtabimur. Nec tutori fortè à nobis dato conditiones ullas gerendæ tutelæ imponemus*, fieri lege non [a] prohibente, & ex eo promittentem & eius liberos teneri, & ſtipulatori actionem adquiri. Hæc enim axiomata jus omne noſtrum, omnemque adeò pietatis, ſanctitatis & honeſtatis rationem evertunt & deſtruunt, & contra bonos mores evidenter ita concepta, ut uno lumine naturæ Gentiles ducti, jus illud quod adſtruunt Bipontini, etiam viderint & confeſſi fuerint: quod tamen Neoburgici nec vident, nec fatentur. Volunt enim, ut pactum juratum, *Ne mihi meisq; liberis teſtari de tutela liceat*, piè ſanctè & religiosè à me meisque liberis ſervetur: & ſic ut mihi meisq; liberis pacto vel juramento Teſtamenti de Tutela factionem perpetuis temporibus auferam.

[a] l. p. 59. ibi, *Quidquid etiam ejusdem ſanguinis & familiæ Principes lege non prohibente pro ſe & heredibus jurati paciſcuntur.*

¶ AD

❡ AD VICESIMAMSEPTIMAM *Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

BIPONTINI dixerunt[a], *Neoburgicos errare, quòd successiones & tutelas dicant esse connexa.* Neoburgici quid? Aiunt[b] Scævolam respondisse: *Eò pervenire hereditatem, quo tutela redit:* Vlpianum: *Legitimas tutelas lege XII. Tabul. Adgnatis & Consanguineis deferri: item Patronis, id est, his qui ad legitimam hereditatem possunt admitti: &* [c] *hoc summa providentia, ut qui sperarent hanc successionem, iidem tuerentur bona, ne dilapidarentur.*

SANE ITA EST. Sed illa duo loca (quod omnes Jurisconsulti satis norunt) sunt intelligenda semper de successionibus & tutelis ab intestato, non autem de successionibus facto testamento. Possumus enim liberos heredes instituere, & extraneum (præteritis Adgnatis) tutorem dare. Sed & exhæredato filio pater tutorem dare potest[c]. Vnde liquet, successiones & tutelas testamento facto res connexas non esse. *Secundò* certum est etiam Civili Jure, interdum alibi hereditatem, alibi tutelam esse: verbi gratia, Potest mulier proximo gradu te contingens tibi succedere, non[d] tamen tibi tutrix esse. Iure quoque feudorum idem obtinere fatentur[e] Neoburgici.

SED QVID quæso ad hæc Neoburgici respondent? *Lex Aureæ Bullæ, (inquiunt[f]) non simpliciter ad Tutelam vocat proximiorem & seniorem Adgnatum, sed cum Clausula prohibitiva, quæ Iuri Civili deest: Ne quid ullis unquam temporibus quocunq; modo contra fiat. Vnde sequitur, Ius Aureæ Bullæ plenius esse Iure Civili: ideoq; non admittere, ut tutela ab hereditate vel spe successionis propiore sejungatur, ita ut semper ætate & gradu potior excludat juniores & testamentariam dispositionem.*

SANE ITA EST: Lex Aureæ Bullæ proximiorem & seniorem Adgnatum NON SIMPLICITER ad tutelam vocet, sed ita, ut DE JVRE TVTOR ET CVRATOR ESSE DEBEAT, & sic ut testamentario Tutori Electorali cedat: ut cæteri Adgnati, proximiores licet & seniores, testamentariis tutoribus cedunt. Vnde sequitur,

a] *p. 59. vers. vicesimoseptimo.*
b] *p. 59. vers. sed Iudicet.*
c] *Cynus in Auth: Minoris C. Qui datis vel cur pos. b. Iure nostro 26. in f. l. si pater exheredata 31. π. de testament. tutela.*
d] *d. l. 1. § 1. l. si quis. 11. π. de testament. tut.*
e] *p 60 vers. Quod & jure feudorum.*
f] *p. 60. vers. Tamen quo lex Aureæ Bullæ.*

CLAVSVLA prohibitoria Bullarum.

BVLLÆ non simpliciter proximiorem vocant, sed ita ut DE IVRE tutor esse debeat, id est, Testamentario Tutori cedere.

tur,

tur *successionis Electoralis spem & tutelam Electoralem* (Electore de liberorum suorum Tutela testato) *non esse connexa*: quia lex Aureæ Bullæ illo casu Adgnato spem tantùm successionis relinquit, & alium tutorem dari permittit: & sic instantia Neoburgicorum Electore intestato mortuo vera est: Testato verò, à vero aliena. *Secundo*, non obstat, quod ajunt[a], *Bullam vocare proximiorem Adgnatum non simpliciter, sed cum Clausula prohibitiva: Ne quid contra fiat.* Quia hoc ita intelligendum est (ut alibi diximus) ne quid adversus proximiorem Adgnatum fiat, quo casu proximior Adgnatus DE JVRE tutor, id est ab intestato tutor fuerit. Caterùm illa prohibitio nihil ab intestato faciendi adversus proximiorem & seniorem Adgnatum, ad testamentarias Electorum tutelas non pertinet, nec eas (liberæ sunt enim) evertit. Vnde malè inferunt Neoburgici: *Ius Aurea Bulla plenius esse Iure Civili.* Quia prorsus & omninò simile est ab intestato, hoc modo. Vt Iure Civili ab intestato Ius successionis & tutelæ proximis Adgnatis defertur: ita & Bullis Aureis successio & Tutela Electoralis proximiori & seniori Adgnato defertur, nec alterum ab altero sejungitur. Sed illa Bullarum dispositio, testamentariam ad tutelam non refertur: quia potest Elector liberis suis quemcunque pro arbitrio tutorem dare, non prohibitum tamen specialiter, & spem nihilominus successionis Electoratus Adgnato relinquere: ut scilicet suo tempore possit succedere.

a] *p. 60. vers. Quod & iure feudorum: ibi, tamen quia lex Aurea Bulla non simpliciter.*

¶ *AD VICESIMAMOCTAVAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Bipontina Replicatio.*

BIPONTINI demonstrant[b]: *Successiones a tutelis separandas, & quidem exemplo, ex consuetudine regni Galliæ sic desumto. Regnum Galliæ admittit testamentariam Regis dispositionem circa tutelam; licet de successione regni Rex testari non possit. Igitur tutela & successio differunt.*

Neoburgici quid? Aiunt[c] *facilem esse Responsionem, & ex diversitate rationis diversum jus statuendum esse. Anno quippe* MCCCCVII *a Carolo VI. Gallorum Rege statutum*[d] *: ut Primogenitus quacunque ætate Rex succederet, Regina interim tutela Regni delata: sine tamen clausula prohibitiva: Ne contra, per testamentum aut alio modo fiat. Vnde potest,* inquiunt

b] *p. 60. vers. Vicesimooctavo.*
EXEMPLO Regni Galliæ demonstratur, potestatem de Tutela testandi differre à potestate testandi de regno: & Reges posse de Tutela liberorum testari, non tamen de Regno.
c] *p. 60. vers. Sed facilis est responsio.*
d] *V. Choppinum 3. de Domanio 5. n. 3. in princ.*

inquiunt Neoburgici, *colligi, non obstante illa lege Reges Franciæ posse de tutela regni disponere. quod illa lege Caroli id minimè prohibitum sit. Atenim in Germania*, (inquiunt [a] Neoburgici) *longè alia ratio est. In Germania namque per Auream Bullam designatur pupillo Electorali tutor ex Adgnatis, qui senior & proximior est: & quidem cum Clausula prohibitiva, NE ulla unquam ratione dispositio illa innovetur, néve quid ei contrarium fiat.* Et hæc quidem ita Neoburgici.

a] p. 61. vers. In Germania verò.

SED IDEM semper principium repetunt & inculcant Neoburgici, (nempe: *Proximiorem & seniorem Adgnatum ad Tutelam Electoralem Bullis vocari cum Clausula prohibitiva, Ne quid contra fiat)* & quod præcipuum in Aureis Bullis est, semper omittunt: (nempe, *Bullis Aureis proximiori & seniori Adgnato deferri de jure Tutelam & Administrationem*, id est, Tutelam legitimam ab intestato) *& quidem cum Clausula prohibitiva, Ne quid contra fiat:* ut sit sensus: *Adversus Tutelam Electoralem de jure seu ab intestato proximiori & seniori Adgnato Bullis delatam ne quis quid facito, moveto, vel innovato. Huiusmodi tutela legibus & communi IURE, testamentariæ cedat: Electore intestato (quod Tutelam attinet) mortuo, proximus & senior Adgnatus DE IURE Tutor esto, & quidem solus, invitis & exclusis eiusdem etiam gradus Adgnatis junioribus: Hi juniores tametsi IURE CIVILI* [b] *concurrant cum Seniore (utpote eodem gradu positi): jure tamen Bullarum (quod à Iure Communi diversum ea parte est) a Tutela Electorali legitima removentor, nec cum Seniore ad Tutelam Electoralem gerendam & administrandam admittuntor: Prædicta ab intestato Tutelæ contravenire quocunque modo jus ne esto.* Licet itaque res inter Adgnatos Electorales ab intestato ita se habeat, lex tamen Aureæ Bullæ non vetat Electorem de Tutela liberorum suorum testari. Quia illa, toties iterata vel inculcata prohibitio, licet etiam in specie dispositioni de Tutela accommodetur, NE QUID CONTRA FIAT, non sanè ad Electorem (quod ignorarunt vel dissimularunt huc usque Neoburgici) de Tutela liberorum suorum testari volentem, sed ad Adgnatos juniores primùm dirigitur: prohibens, *Ne quid adversus seniorem suum Adgnatum moliantur vel faciant*: secundò ad proximiorem & seniorem Adgnatum pertinet, ut scilicet sciat & intelligat, *se de jure Tutorem & Curatorem esse debere*, sicuti & quo casu, quo modo quaq; conditione alii proximiores Adgnati de jure sunt Tutores: & sic ut sciant, Electorem de Tutela liberorum testari, quemadmodum cæ-

PROHIBITIVA Bullarum clausula loquens de tutelis, non pertinet ad Electorem, sed ad remotiores & juniores Adgnatos maxime, & ipsum etiam proximiorem Adgnatum.

b] l. Si plures 6. π. de legitim. Tutorib.

teri Adgnati de jure Tutores & de jure ad Tutelam vocati sciunt, Adgnatos suos de Tutela liberè disponere posse. Et ita Bulla prohibet proximiorem & seniorem Agnatum, Adgnato Electori testanti de Tutela se opponere, eive contravenire ullo colore vel prætextu: Et sic, ne Anomalam, præter & contra jus Tutelam aliquam sibi fingat vel somniet, in perniciem utilitatis publicæ. Sciant itaque & notent in posterum Neoburgici, Clausulam illam prohibitivam non ad Electorem de liberorum suorum Tutela testari volentem, sed primùm ad Adgnatos juniores referri debere: ne quid scilicet adversus proximiorem & seniorem tentent: Secundò ad proximiorem ipsum Adgnatum, *Ne quid contra Electores ipsos præsumat: ut illos testari sinat de Tutela: ut sit memor, se de jure Tutorem esse, & illo titulo contentum esse debere.* In hac Clausula prohibitiva benè & commodè ita intellectâ, vis præcipua huius controversiæ Tutelaris latet & consistit: & contradicentibus, perpetuis temporibus silentium imponit, ut nullo colore possint prædictæ Bullæ contravenire.

a] *p. 61. vers. Hoc igitur à Bipontinis quæritur.*

LEX Gallica de primogenito.

b] *p. 61. vers. An hac atati prarogativa.*

NEC MOVET quod subiiciunt [a]: *LEGE Gallica Primogenitum regni, quamprimum XIIII. ætatis suæ annum attigit, statim debere pro pubere reputari, ungi & coronari: Et* [b] *hanc ætatis prærogativam mutari, tolli, abrogari non posse solo paterno elogio, & sine populi & Curiæ & Parlamenti consensu.*

NAM licet hoc concedatur, *Regem filii impuberis ætatem mutare non posse*, non tamen consequens est, *ut Tutorem filio dare non possit.* Imò re ipsa & jure potest: & etiam posse superiùs est ostensum lib. II. & fatentur ipsimet quoque Neoburgici. Nec Elector etiam, Tutorem dare liberis suis per Bullas ipsas Aureas prohibitus est. Quia prohibitio Bullarum (*nihil scilicet adversus caput de Tutelis motum iri*) non ad Electores pertinet, testari de liberorum suorum Tutela volentes, sed ad Adgnatos juniores ejusdem gradus vel remotioris cum proximiore & seniore Adgnato concurrere ad Tutelam ipsam Electoralem volentes: quin & ad ipsum proximiorem & seniorem Adgnatum hoc modo: Nempe *ut sit de jure Tutor*, ut sunt alii de jure Tutores, Testamentario cedentes, & sic ne Electorem testari de liberorum Tutela prohibeat. Nam si cogitur Testamentario Tutori cedere, sequitur ut Electorem de Tutela liberorum suorum testari volentem non possit impedire. Si cedere Testamentario Tutori debes, sequitur ut patremfamilias de liberorum suo-

rum suorum Tutela testari sinas & permittas. De Iure Tutor esse debes, ut sunt ordinariè alii de jure Tutores? Igitur & Testamentariis Tutoribus & Testamento patrisfamiliâs locum dare, nec Testamentum illud evertere, ut toties iam diximus.

SED DE TVTELIS Regiis Gallicis aliquid etiam amplius videamus.

ANNO (inquiunt [a] Neoburgici) MCCCCVII. *à Carolo VI. Gallorum rege statutum* [b] *est: ut Primogenitus, quacunque ætate, Rex sacraretur, REGINÆ interim Tutelâ delatâ.* Sed Bipontini contrariam legem eiusdem Regis & anni proferunt, ex Lucio 3. *Placitorum. 1.* nempe illo casu *Regem rempublicam administrare debere ADGNATORVM GENTILIVMQVE sententiâ.*

a] *p 6. lin. antepenul.*
b] *Chopp. 3. de domanio. 5. n. 3.*

VTRI veriùs? Bipontini sanè magnæ auctoritatis testimonio nituntur. *Primò*, quia Lucius ipsius Reginæ Catharinæ Mediceæ à rebus procurandis primarius, (id est Procurator Reginæ) fuit: ut ex diplomate Placitis eius præscripto liquet. Procuratoris autem hujusmodi munus & officium tale est: ut Reginæ jura cognita præ aliis habeat: ut in ea diligenter inquirat: ut ea juris remediis exsequatur: ut nihil quod ad Reginæ jura controversa pertinet, sine eius conscientia in Parlamentis vel alibi fiat: ut ita, Reginæ Procuratorem, Promptuarium rerum ad Reginam pertinentium, possis dicere. Verisimile est itaque, Lucium Reginæ (velut diximus) Procuratorem, legem illam Gallicam (Tutelam Regis impuberis Reginæ deferentem) nec omissurum fuisse, si lex in Gallia talis extitisset: nec contrariam ex Archivis publicis & Regiis editurum, Adgnatis & Gentilibus jus illud deferentem. *Secundò*, quia nominatim Lucius adiicit, eandem legem in Curia repetitam VI. Cal. Novembr. MCCCCXXII. ut hinc intelligas, legem à Choppino allegatam, vel nunquam promulgatam, vel expressè vel tacitè posteà abrogatam: sed viduas Regum vel testamento vel Procerum Senatusque decreto Tutrices Regis impuberis extitisse. Sed res hæc, alterius erit aliquando temporis. Quò pertinet, quod alius quidam non contemnendus IC. Gallus, in tractatione huius argumenti, *De Tutela Curaque Principum*, legis istius nullam mentionem habet, & alia omnia scribit, in hæc verba: *Si Rex defunctus testamento aut alia legitima voluntate pronunciaverit, quem tanta Curationi præfici velit, id proculdubio valeat. Dagobertus Rex no-*

P. ÆRODIVS Quæsitor Andegavus, in Pandectis rer. iudicata. lib 4. Tit 19. De Tutelis cap. 1.

ster cum moreretur. Chlodoveo II. neglecta matre Tutorem dedit Majorem Palatii. Ludovicus IX. uxore praetermissa, quandiu peregrè abesset, Abbatem S. Dionysii jussit vice sua imperare. Quod si quis intestato decederet, vetus est quaestio, an mater, an uxor, an proximi praeferantur? qua quia nunquam nisi vi & tumultu finita est cur eam jure & legibus definirem? Certè Ascanius Æneae F. usq; ad puberem aetatem in Tutela muliebri fuit, inquit Livius. Macedones contra, muliebre Imperium non ferebant. Itaque haec quaestio est temporum, & locorum.

Esto tamen: & lex Gallica verissima, & quidem talis existat: *Impuberis Regis, Mater tutrix esto:* Nemo [a] tamen dixerit, illa lege Regem de tutela liberorum testamento disponere vetari: Praesertim cùm in illa lege Gallica, clausula prohibitiva, *Ne quid contra fiat*, non sit addita, id est cùm nec Rex illa lege nominatim & specialiter de liberorum suorum tutela testari sit prohibitus.

a] *Authentica Matri & aviae: ibi, solis testamentariis eas praecedentibus. C. quando mulier Tutelae officio fungi possit. Novella 118. c. 5.*

AT QVID inde colligunt Neoburgici? *Igitur*, inquiunt, *lex Germanica de Tutela Electorali a lege Gallica de regiis tutelis est diversa: quòd in lege Gallica de tutela regia Matri delata, non sit inserta clausula, Ne quid a Rege testamento contra legem fiat: cùm tamen in lege Germanica (quae proximiori & seniori Adgnato tutelam defert) Clausula prohibitiva sit adjecta: nempe ut nihil quomodocunq; (& sic etiam testamento) ab Electore contra fiat.*

CLAVSVLA Bullarum de Tutelis, PROHIBITIVA, ut nihil quomodocunque contra fiat, malè à Neoburgicis ad Electores refertur: cùm ad Adgnatos ulteriores & ad proximiorem & seniorem Adgnatum referri necessariò debeat.

SED FACILIS responsio est. Errant enim Neoburgici solennem illum suum, & pene insanabilem errorem, de Tutelis Electoralibus tractantes, cùm aiunt: *Clausulam illam prohibitivam, Electorum personas spectare.* Pertinet enim propriè clausula illa prohibitiva ad Adgnatos ipsos Electorales, & quidem disertim etiam ad proximiorem & seniorem ipsummet Adgnatum. Quomodo? Primùm omnium, ut remotiores vel eodem etiam gradu Adgnati, proximiori & seniori Adgnato Electorali cedant, tanquam potiori & potiora jura habenti: & eum Tutorem Electoralem esse, Tutelamque gerere & administrare permittant: nec adversus eum quid Tutelae Electoralis nomine, facto, scriptis aliove modo committant, audeant, vel faciant. Et vis adhuc videre manifestius, quò referenda sit Bullarum PROHIBITIVA CLAVSVLA? Intuere quaeso, & lege diligenter & specialiter haec Bullae Sigismundi verba: TVNC *senior frater, nepos, & consanguineus proximior in linea geniturae, si frater non extiterit eiusdem defuncti, Laicus duntaxat, dicti pupilli & Iuvenis, ad quem praescripta devolventur*

DE IVRE Tutor & Curator esse debeat. His enim verbis Adgnatos solos alloquitur Sigismundus: & litium omnia semina inter eos tollere nititur, ordinem succedendi certum in Tutelis Electoralibus constituens: nempe ut nepos fratri, Consanguineus nepoti, seniori consanguineo Iunior, Ecclesiasticus Laico cedat. Quæ cùm ita sint, apparet Clausulam illam prohibitivam, *Ne quid contra fiat*, Adgnatos tantum inter se, non Electores spectare. Attende nunc & vide, quemadmodum etiam proximiorem & seniorem Adgnatum spectat, non alium, prædicta prohibitiva clausula: & clausulam illam, *DE IVRE Tutor esse debeat & Curator*, attentiùs lege: & certò deprehendes, Bullam velle, ut proximior & senior ipsemet Adgnatus sciat, se Bullis Aureis DE IVRE Tutorem & CVRATOREM esse debere: id est, ut sciat, suam Tutelam esse Tutelam juris usitatam & vulgarem, non autem Tutelam præter & contra jus, & ad evertendum Ius Commune inductam: & sic ut sciat, se Testamentario Tutori, & ipsi cõsequenter Electori sive Testatori IVRE cedere debere: sicut cæteri Adgnati de jure, Tutelam de jure prætendentes, Tutori testamentario & testatori jure cedere solent & debent: denique sicuti cæteri de jure Tutores Adgnatos suos de Tutela testari posse sciunt & sinunt: Et consequenter, ut nihil ipse proximior & senior Adgnatus adversus Electorem ipsum vel Tutorem ab eo testamento datum, quocunque modo vel colore attentet vel innovet. ATTENDANDI namque & INNOVANDI verba propriè ad Neoburgicos pertinent, utpote NOVAM speciem Tutelæ Anomalæ introducere volentes. Clausula itaque prohibitiva Tutelas respiciens, Bullis inserta, ad Electores ipsos non est ita referenda, (ut fingunt Neoburgici, ex huiusmodi prava contortaque relatione vel interpretatione colligentes: *Præcipuos totius Germaniæ Principes, Electores scilicet de tutela liberorum suorum testari non posse*) sed ad Adgnatos, etiam proximos & seniores: nempe ut ne PROHIBEANT Electorem testari de liberorum tutela, & Tutorem ab eo datum Tutelam gerere. Quia voluntas, mens, & intentio Bullarum specialis est & expressa, ut proximior & senior Adgnatus *de Iure Tutor esse debeat*: id est, ut illo titulo sit contentus: ut præter & contra illum titulum ne quid affectet, attentet, ambiat, innovet vel sibi sumat, aut vindicet: et sic, ut Electori de liberorum suorum tutela testanti, & Tutori testamento per eum dato cedat: nec eum in jus eo nomine vocet, eiusve famam & existimationem, verbis, scriptis, aliisve modis lædat: multo minus, ne Ruinam, vel tale quid ipsi minetur.

Hæc est genuina mens Bullarum & Clausulę illius Prohibitivæ Bullis

inditæ: auream verè, piam, honestam & Christianis auribus dignam hanc sententiam nobis suggerens: Nempe, *Electori liberos impuberes relinquenti, de liberorum tutela testari licere, nec à quoquam (etiam proximiore & seniore Adgnato) testari prohibendum esse* quòd nullum jus aliud Bullis proximior & senior Adgnatus habeat, quàm ut sit DE IVRE Tutor, id est, Tutor, ut alij communiter & vulgariter sunt de Iure Tutores.

Norent ergò perpetuis inposterum temporibus Neoburgici: *Clausulam illā prohibitivam*, non Electores & eorū liberos (quorum præcipuo intuitu vel favore Bullæ promulgatæ sunt. quis enim credat Imperatores Bullis suis plus juris, uni proximiori & seniori Adgnato tribuere voluisse, quàm Electori eiusve liberis?) spectare: verùm Adgnatos non tantùm remotiores, cumprimis & ante omnes, Proximiorem ipsum & seniorem Adgnatum: *ne scilicet Electori testari de Tutela volenti sit molestus: ut Electori & liberis eius permittat, quod sibi liberisq; suis permitti cuperet: ne putet se plus juris in Electoratu regendo habere, quam ipse Elector ejusque liberi habeant.* Alioqui si clausulam illam Bullarum (PROHIBITIVAM testandi de Tutela faciendi) ad Electores & eorum liberos cum Neoburgicis retuleris: inciviles & inhonestas sequentes sententias ex Bullis & Bullarum interpretatione Neoburgica elicies: *Elector liberrimā testandi facultatē habeto: & nihilominus tamen* (quantumvis pater, & prudēs, & Princeps, & Regis Romanorum ac Imperatoris Elector, & consiliariis optimis instructus, & liberorum subditorumq; suorum natura, legisque divinæ imperio, amans) *Tutorem liberis suis impuberibus ne dato: sed proximior & senior Adgnatus* (eo invito, & liberis & subditis invitis) *solus & unicus* (nullis contutoribus adjunctis) *Tutor adeoque Elector esto: liberam & modis omnibus absolutam administrationem habeto: Si fors Elector eum Tutorem dederit, nullas conditiones* de statu Politico & Ecclesiastico Palatino conservando, nec ullas alias ei, nisi quas ipse proximior Adgnatus admittere sponte vel conscentia sua libera voluerit, *imponito: Promissionem vel juramentum* (de statu Electorali, uti mortis Electoralis tempore repertus fuerit, Primogenito Electorali puberi facto, Totaliter, penitus, sine renitentia & difficultate aliqua restituendo) *à proximiore & seniore Adgnato ne exigito: Si exegerit, & alium Tutorem*, (liberis suis fortè metuens, & illis consulere & cavere paterno affectu volens) *dederit, ex Bulla Caroli IIII. & Sigismundi, banno Imperij, infamia, multaque subditus esto: bona qui poterit eius de facto occupato. quin manum, quivis etiam ei inijcito.* Absurditates q̃ magnæ, ex prava Neoburgicorum interpretatione resultent, ad vivum quoad fieri potuit sensibus

bus externis repræsentare operæpretium censui: lectores ut intelligant (imò iam ut palpent) utra verior, æquior, sanctior interpretatio sit, Neoburgica an potiùs Bipontina: quin ut errore suo manifestissimo cognito Neoburgici, tandem aliquando veritati cedant, & à lite malè cœpta desistant, & Principem suum, non tam Administratori (qui ab Electore defuncto datus est) & Electori Iuveni (seu primogenito Electoris defuncti) quàm ipsimet, (ut ita loquar) Electori (de cuius tabulis hîc agitur, & cuius recens adhuc memoria nobis est) reconcilient: & in gratiā tandem omnes, omnes, cum ipso Serenissimo Iuuene Electore & eius Administratore redeant: & in Palatinæ familiæ salutem, non IN RVINAM, dictis, scriptis, factis amicè coniurent. Præstat enim seriùs id fieri q̄ nunquam: ut calor [a] iracundiæ potius, quàm iudicium animi fuisse videatur, quidquid hactenus dictum factumve à Neoburgicis fuerit.

a] *l. divortium 3. π. de divortiis. l. quidquid calore 48. π. de Regulis iuris.*

¶ *AD VICESIMAMNONAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Responsio Bipontina.*

BIPONTINI dixerunt [b], *Paucos à tempore conditæ Bullæ Electores intestatos decessisse.* Neoburgicorum quænam hîc Responsio est? *Aiunt* [c] *& fatentur hoc verum esse: sed (ut saepius iam dictum) in quæstione non esse, An liceat Electoribus testamenta facere, (neminem enim hoc negare) dummodo ipsæ tabulæ testamenti legem publicam non infringant.*

b] *p. 61. vers. Sed progrediamur ulterius.*

INTESTATI pauci Electores à tempore Bullarum Aurearum.

c] *d. vers. Sed progrediamur.*

SED MEO iudicio Neoburgici valdè sibi contrarij sunt. Aiunt enim se fateri, *Electoribus licere testamentum facere*: & nihilominus Electoris defuncti de tutela testamentum non admittunt. Et cur quæso? *Quia* (inquiunt Neoburgici) *legem publicam suo testamento infringit*, id est, (ut apertiùs exponam, quod pudore quodam Neoburgici reticent) quia Bullis Aureis ei testari de Tutela non licet, nisi proximiorem & seniorem ipsum Adgnatum det tutorem: *imo non potest*, (inquiunt Neoburgici) *Elector proximiorem ipsum & seniorem Adgnatum Tutorem dare, & ei conditiones imponere, nisi quas proximus & senior ipse Adgnatus admittere sponte sua voluerit*: uno verbo, Testamentum Electoris Tutelare inutile fuerit, nisi & ipsum proximiorem & seniorem Adgnatum Tutorem unicum & solum prorsus dederit, non alium: & quibus conditionibus ipse proximior Adgnatus voluerit, non aliis. His quæso quid proferri potest absurdius? Hoc enim consequens erit: Elector

QVÆSTIO præcipua in hac controversia quænam sit.

ctor non potest de liberorum suorum Tutela ex animi sui sententia testari, sed ex proximioris tantùm Adgnati sententia: aut (quod in idem incidit) Elector de liberorum tutela testamenti factionem habet, & non habet. Posse Electoré testari de Tutela fateris: de liberorū suorum igitur Tutela liberè testetur, ut alij liberè testantur. Dicis & adseris, Electorem cogi proximiorem & seniorem Adgnatum omnimodo tutorem dare: nec conditiones ullas ei imponere, nisi quas Adgnatus ipse voluerit? Sanè coactum non liberum facis. Non enim video, quemadmodum hoc casu voluntas Electoris possit LIBERA dici: cùm nec eum, quem velit, nec quomodo velit, tutorem dare possit: & sic voluntas ejus & in ipsa materia & formâ coacta est, non libera. Sed rem totam penitùs expendamus. Demus Neoburgicis, Electori licere de liberorum suorum Tutela testari, dummodo proximiorem & seniorem Adgnatum Tutorem det. Ponamus Electorem, proximiorem illum & seniorem Adgnatum Tutorem dedisse: An saltem in aliis quibusdam capitibus libertas de Tutela testandi fuerit? verbi gratia, mandandi proximiori illi & seniori Adgnato, *Ne quid in Statu vel Religione mutet, & ut hos vel illos Contutores admittat*. Id si Neoburgici confessi fuerint, causa cadere debebunt. Nam hoc confesso, conditionibus à defuncto Electore præscriptis proximior & senior Adgnatus morem gerere debuit. Si negaverint (ut conduplicatis verbis vivo adhuc Serenissimo Electore negârunt, & adhuc nuper Electoris nomen, dignitatem & connexa, ex lege ad se inpræsentiarū pertinere asseruerunt) negent pariter necesse est, Electorem prorsus testabilem fuisse, cùm nec alium à proximiore & seniore Adgnato Tutorem dare, nec prædictas conditiones ei imponere jure potuerit. Et consequenter Neoburgicorum ipsorum sententiâ Princeps Elector omnimodo intestabilis erit. Quòd si intestabilis, quo jure vel colore dicunt eum testari posse? Solvat hæc magnus Apollo, si poterit.

¶ AD TRICESIMAM RE-*sponsionem Apologeticam Neoburgicorum, Bipontina Replicatio.*

p. 61. Vers. Trigesima. BIPONTINI dixerunt [a]: *Se posse producere non modò de Tutelis Electoralibus, sed etiam de SVCCESSIONIBVS Electoralibus PACTA*

PACTA diversa à legitimis successionibus & Tutelis: & ea quidem PACTA usu recepta fuisse, ita ut Testamentarij heredes & Tutores legitimis sint prælati, scientibus omnibus aliis tam Ecclesiasticis, quàm Laicis Imperij Electoribus. Neoburgici quid? *Negant* [a] *hujusmodi pacta proferri posse, quæ heredes & tutores legitimos invitos & repugnantes, contra Auream Bullam (hoc enim duntaxat in quæstione esse,) exclusérint. Negant vel innuunt, talia pacta à Bipontinis proferri posse bonâ fide integra, authentica & sine rubore, & in rerum natura esse, nedum ab Electoribus adprobata fuisse.*

PACTA de Electoralibus etiam successionibus usu recepta.

a] *d. vers. Trigesimo. ibi. Ecqua vero sunt tandem illa pacta,*

SED RESPONDENT Bipontini, Se cùm in Iudicium causa deducetur, plura producturos, quàm defensionis Bipontinæ necessitas postulabit. Hoc itaque Bipontini jam promittunt. Et meminisse alioqui debuerunt Neoburgici, quòd piè defunctus Elector pacis studio Neoburgicum Principem invitârit [b], ut Heidelbergam Cõsiliarios suos mitteret, ubi Archivum Electorale est, & ubi de iis quæ ad hanc rem faciunt, plenissimè instrui potuissent. Cur autem benevolam illam oblationem Neoburgicus aspernatus sit, & ab hujusmodi communicatione abhorruerit, aliis cogitandum relinquitur. Sufficiant interim manifestissima illa, quæ hactenus ab Electoralibus allegata sunt [c]: & in primis, Ipsummet Neoburgensem Ducatũ per Testamentum Electoris Palatini Ottonis Henrici p.m. ad Neoburgicos pervenisse, non autem ab intestato. Frustra itaque petunt Neoburgici, quod penes se habent. Sed & alia ab Electoralibus allegata sunt, quæ Neoburgici negare non possunt, puta defensionis pag. 43. sæpedicto Iohanni Palatino Neoburgum (quod vocant *ante Sylvam*) Stephano Simerensi adsignatum fuisse: quæ tamen absque dispositione vel pacto, (ut inseparabiliter cum Electoratu connexa) in eos transire non potuerunt. Quorum etiam exemplum Fridericus III. p.m. in Testamento suo secutus est. Neapolim enim sive Neostadium Ioanni Casimiro p.m. reliquit. Neque latet etiam Neoburgicos, Testamento Philippi Electoris, tertium ejus filium Fridericum secundum, in successione Electoratus & dependentium, secundi filij masculis Ottoni Henrico & Philippo cordatissimis Principibus prælatum fuisse: atque illud Testamentum, (utut ægrè ferente Ottone Henrico,) ab Imp. Carolo V. & Electoribus omnibus ratum & validum habitum atque observatum fuisse. Ex quibus apparet, conventiones & dispositiones de successionibus & bonis Electoralibus, Electoribus etiam permissas esse, & ab Imperatoribus probatas & confirmatas.

b] *Anno 1602. die 8. Octobr.*

c] *Defens. pag. 58.*

¶ AD TRICESIMAMPRIMAM *Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

a] *p. 62. vers. Trigesimo primo.*

ILL. Neoburgicus hortatus est anno 1584. Tutores testamentarios, ut officio suo non deessent, adversus Ducem Iohannem Casimirum legitimam Tutelam sibi adserentem.

b] *p. 62. vers. Sed respondetur.*

BIPONTINI dixerunt [a], *Ipsummet Illustrissimum NEOBVRGICVM anno* MDLXXXIIII. *TVTELAM Testamentariam Ludovici Electoris comprobasse, & per literas Ducem Wirtembergicum (unum ex Testamento datis tutoribus) hortatum fuisse contra Iohannem Casimirum, ne suo deesset officio, unà cum reliquis suis testamento Ludovici Electoris nuncupatis Contutoribus.* NEOBVRGICI quid? *Fatentur* [b] *quod res est, prædictum Ludovicum Electorem præcipuè in votis habuisse ad extremum usque vitæ spiritum, ut filius suus & heres unicus Fridericus (cujus modò Testamentum controvertitur) IN PATERNA RELIGIONE (a qua NONNIHIL dissentiebat Princeps Iohannes Casimirus, frater & tutor legitimus) persisteret & educaretur: eaque de causa potissimum Contutores monuisse, Brandenburgicum, Wirtenbergicum & Hassum Principes, NON ut Aureæ Bullæ fieret præjudicium* (de hoc enim sibi diligenter cavit) SED VT RELIGIONIS PVRITAS CVM FILIO TVM SVBDITIS ESSET INTEGRA &c.

c] *p. 62. Vers. Hoc unicum præcipuè in votis habuisse.*

d] *p. 62. Vers. Eaque de causa.*

e] *p. 63. vers. Sed ut Religionis puritas.*

f] *p. 63. Vers. Non ut Aurea.*

MVLTVM sanè fatentur Neoburgici, & arma Bipontinis admodum fortia suggerunt. Ex illa namque Neoburgicorum confessione superstitibus & posteris innotescit, Electorem (& quidem Palatinum) testamento suo cavere, & hanc conditionem Tutori legitimo imponere posse: ut [c] LIBERI ELECTORALES IN PATERNA RELIGIONE PERSISTANT & EDVCENTVR. Quod alibi Neoburgici pernegarunt. *Secundo*, eandem ob causam, Electorem CONTVTORES [d] legitimo Tutori adjungere posse. Quod itidem alibi pernegarunt. *Tertiò*, Electorem testamento cavere posse, ut RELIGIONIS PVRITAS CVM FILIO, TVM SVBDITIS [e] sit integra. *Quartò*, prædictis Electoris votis, cautionibus, mandatis, præceptis, & conditionibus nullum [f] Bullis Aureis præjudicium fieri: ac proinde prædictis conditionibus & mandatis Neoburgicos parére & obtemperare debuisse: quòd huiusmodi testatoris præceptum Bullis Aureis non sit contrarium, & nullum eis præjudicium adferat. *Quintò*, prædictas cautiones & condi-

conditiones testamentario Tutori ab Electori impositas, olim [a] justas & æquas ipsimet Illustrissimo Principi Neoburgico visas fuisse; quin & inprimis eundem Neoburgicum optasse, ut HÆC TAM PIA ET SOLICITA OPTIMI PARENTIS VOLVNTAS HABERET EXITVM: Cùm tamen conditiones huiusmodi à defuncto Electore Illustrissimo Principi Neoburgico propositas, Neoburgici hoc etiam scripto contendant [b] ita comparatas esse, VT SINE MACVLA EXISTIMATIONIS ET CONSCIENTIÆ acceptari nullo modo ab Illustrissimo Principe Neoburgico potuerint. *Sextò* Illustrissimum [c] Principem Neoburgicum, non ad Wirtebergicum modò, sed ad ipsummet Principem Ioh. Casimirum (LEGITIMVM ut volunt Neoburgici Tutorem) scripsisse amicè & quibus potuit rationibus monuisse, hortatum & obsecratum fuisse, ut quoad fieri posset sine PRÆIVDICIO AVREÆ BVLLÆ, voluntati paternæ PRÆSERTIM IN PVNCTO RELIGIONIS ADQVIESCERET.

a] *p. 63 Vers. Itaque non ad VVirtenbergicum.*

b] *p. 72. Vers. Quasdam etiam conditiones.*

c] *p. 63 vers. Itaque non ad VVirtebergicum.*

Ex prædictis enim articulis, à Neoburgicis olim confessis, laudatis, & prolatis, in specie vel in individuo potiùs colligitur & elicitur, defunctum Electorem Fridericum IV. Testamentum jure condere potuisse. *Secundò*. eundem Electorem Testamento suo cavere potuisse, ut RELIGIONIS puritas FILIO & SVBDITIS servaretur, neve quid in Statu vel Religione mutaretur. *Tertiò*. Defunctum Electorem potuisse ad hujusmodi piam & sollicitam voluntatem conservandam eiusdem religionis Tutorem dare, licet remotiorem Adgnatum. Cùm enim concedunt Neoburgici, *Patris pro liberorum & subditorum re.. omne solicitudinem in puncto religionis PIAM ESSE, & eum in finem Electorem testari posse*, necesse est quoque ut fateantur, Electorem eiusdem RELIGIONIS Tutorem (licet remotiorem Adgnatum) dare potuisse. Hoc enim concesso necesse est [d] pariter, ut antecedentia & media ad illum finem & scopum tendentia, & eum adjuvantia permittant & concedant. Nam alioqui lusoria, puerilis & nullius momenti futura esset illa patris erga liberos, domini erga subditos, PIA, sanctaque pro RELIGIONE tuenda conservandaque AFFECTIO: nisi Princeps Elector (velut Pater & Dominus pro liberorum & subditorum religione sollicitus) Tutorem religionis illius confirmatorem dare potuerit vel possit. Parum [e] est enim, jus in aliquo Principatu esse, nisi sit aliquis, qui jus illud custodiri faciat.

d] *l. 2. π. de Iurisdict. l. ult. π. de officio eius cui mandata est Iurisdict. l. Veteres 4 π. de itinere actuque legato. c. praeterea: 5. in fin. c. suspicionis 39. Extra de officio & potestate delegati.*

e] *l. 2. §. post originem 13. π. de origine iuris.*

Atqui (dicunt Neoburgici) *defunctus Elector Tutorem nuncupare proximiorem & seniorem Adgnatum debuit?* Respondent

Bipontini: sanè initio voluit, pro sua comitate: sed cognito Neoburgicorum scopo nec debuit nec potuit. Non debuit, id est, non coactus fuit, quia liber, nec Aureis Bullis adstrictus ut id faceret, extitit. Ac ut debuerit (id est, Bullis iussus) tamen non potuit: ne PIVM illud (etiam Neoburgicorum sententiâ) pro liberorum & subditorum religione votum & desiderium irritum redderet: non quòd proximiorem & seniorem Adgnatum *non nihil in religione dissentientem* minùs coleret: (nam hoc etiam defunctus Elector voluit, & Illustrissimo Principi Neoburgico Tutelam Electoralem detulit) sed quia periculum notorium & apertissimum vidit, eo nuncupato Tutore, qui variis & apertis argumentis ostentabat se mutandi animum habere, ut paulò pòst luce Meridiana clarius, ad paginam 70. 71. 72. probabitur. Denique ut hoc apertiùs etiam exponam, non voluit quidem Elector defunctus Illustrissimum etiam Neoburgicum, LICET NONNIHIL, in religione scilicet, DISSENTIENTEM (ut de Duce Iohan. Casimiro paulò ante locuti sunt Neoburgici, vt hęc verba de suo nobis hic concedant) Tutorem dare: Res illa nunquam defunctum Electorem deterruit, nec remorata est, quò minùs proximum Adgnatum Tutorem etiam daret. Quid igitur? Quòd oblatas & propositas (*de Statu & Religione non mutandis*) conditiones (quas [a] ipsimet Neoburgici paulò post adserunt, conditiones esse, quæ sine macula existimationis & conscientiæ acceptari nullo modo possint) proximior & senior Adgnatus admittere noluit: & alia quædam (quæ initio prioris libri supra sunt relata) minitabundus addidit. Quid aliud hîc, salva conscientia, faceret vel fecisset Elector, quàm ut PIVM illud votum (ut ne quid in Statu & Religione mutaretur) ad exitum quibus remediis poterat, perduceret: & utrumque (STATVM scilicet & RELIGIONEM liberorum & subditorum) in tuto collocaret: et ad posteros, ex ipsius corpore vel sanguine descendentes, & de gradu in gradum succedentes, transmitteret? Nam & primum [b] præceptum iuris gentium est, *erga Deum religio*: & summa [c] omnium ratio, *quæ pro religione facit*.

a] *p. 72. ubi dicemus plura.*

b] *l. 2. π. de iustit. & iur.*

c] *l. sunt personæ. 43. π. de religios.*

Ac præterea defunctus Elector non ignarus fuit, se Statum Electoralem liberis primùm suis: deinde, proximis Adgnatis debere: & consequenter bonum, commodum & utile liberorum, Adgnati proximioris bono præferre posse. Caritatis [d] enim rectè ordinatæ iustissimus hic & æquissimus gradus est. Nec scopus Electoris fuit, proximiori & seniori Adgnato vel in minimo contra

d] *l. ultima. in fine Cod. de servitutibus.*

jus

jus Bullarum, præjudicium aliquod facere. Sed (ut verba antecedentia & consilia Neoburgicorum totidem verbis & syllabis retineam) scopus Electoris principalis & unicus fuit, *ut* [a] *Electorales liberi in paterna religione persisterent & educarentur: ut* [b] *Religionis puritas cùm filio, tùm subditis esset integra: ut* [c] *hac tam P I A & sollicita optimi parentis voluntas haberet exitum: ut* [d] *in puncto Religionis proximior & senior Adgnatus* ADQVIESCERET. Hæc Neoburgicorum consilia olim fuerunt. Si defunctus Elector talia consilia Neoburgicorum olim, id est, anno MDLXXXIIII. fuisse, totidem verbis & syllabis demonstrat: quæso quid conqueruntur hodie, aut quos accusare poterunt Neoburgici, nisi se ipsos, qui talia consilia (aliud tamen agere volendo) defuncto Electori suggesserunt? Ac proinde si quæsiveris, quorum consilio defunctus Elector de liberorum & subditorum Tutela pro Status & Religionis conservatione sit testatus? Heidelbergenses Consiliarios ne quærito, neve accusato, sed Neoburgicos ipsos, qui prædicta axiomata & consilia olim pro veris & oraculis Electorali Administratori ediderunt. Certò namque & meritò dici poterit, non aliorum quàm Neoburgicorum consiliis usum, defunctum Electorem, testatum fuisse: Nam ut ex prædictis apparet, Neoburgicorum hæc consilia fuerunt: *Iustum esse, ut liberi in Paterna Religione persistant & educentur: ut Religionis puritas filio & subditis sit integra: ut hac tam pia voluntas sortiatur exitum: ut in puncto Religionis proximior & senior Adgnatus adquiescat voluntati defuncti.*

a] p. 61. vers. in paterna.
b] p 63 vers. Sed ut religionis puritas.
c] p. 63. vers. Vt hac tam pia.
d] p 63. vers. Praesertim in puncto religionis.

Possumus adhuc non minus hoc evidenti argumento uti: Si confessione Neoburgicorum, defuncti Electoris de liberorum & subditorum Statu & Religione conservandis & manu tenendis sollicitudo PIA EST, eum sanè in finem defunctus Elector Tutores, quos voluit, dare potuit. PIETATIS enim prohibitio non potest esse, nisi impia. Lex & Bulla (quæcunque tandem proferri poterit) pietatem huiusmodi prohibens, AVREA dici non debebit, sed PLVMBEA vel FERREA & ADAMANTINA.

Habent itaque, puto, jam Neoburgici, (ut [e] eorum verba in ipsosmet retorqueam) & quidem non in diversis personis, sed in uno eodemque individuo *domesticum miræ vicissitudinis testimonium, si literas tunc temporis scriptas & admonitiones suas cum præsentibus suis literis & protestationibus contulerint.*

d] p. 63. vers Vt vel domesticum linea 16.

ster cum moreretur. Chlodoveo II. neglecta matre Tutorem dedit Majorem Palatii. Ludovicus IX. uxore praetermissa, quandiu peregrè abesset, Abbatem S. Dionysii jussit vice sua imperare. Quod si quis intestato decederet, vetus est quaestio, an mater, an uxor, an proximi praeferantur? quae quia nunquam nisi vi & tumultu finita est, cur eam jure & legibus definirem? Certè Ascanius Æneae F. usq; ad puberem aetatem in Tutela muliebri fuit, inquit Livius. Macedones contra, muliebre Imperium non ferebant. Itaque haec quaestio est temporum, & locorum.

Esto tamen: & lex Gallica verissima, & quidem talis existat: *Impuberis Regis, Mater tutrix esto:* Nemo [a] tamen dixerit, illa lege Regem de tutela liberorum testamento disponere vetari: Praesertim cùm in illa lege Gallica, clausula prohibitiva, *Ne quid contra fiat*, non sit addita, id est cùm nec Rex illa lege nominatim & specialiter de liberorum suorum tutela testari sit prohibitus.

a] *Authentica Matri & aviae: ibi, solis testamentariis eas praecedentibus. C. quando mulier Tutelae officio fungi possit. Novella 118. c. c. 5.*

AT QVID inde colligunt Neoburgici? *Igitur*, inquiunt, *lex Germanica de Tutela Electorali a lege Gallica de regiis tutelis est diversa: quòd in lege Gallica de tutela regia Matri delata, non sit inserta clausula, Ne quid a Rege testamento contra legem fiat: cùm tamen in lege Germanica (quae proximiori & seniori Adgnato tutelam defert) Clausula prohibitiva sit adjecta: nempe ut nihil quomodocunq; (& sic etiam testamento) ab Electore contra fiat.*

SED FACILIS responsio est. Errant enim Neoburgici solennem illum suum, & pene insanabilem errorem, de Tutelis Electoralibus tractantes, cùm aiunt: *Clausulam illam prohibitivam, Electorum personas spectare.* Pertinet enim propriè clausula illa prohibitiva ad Adgnatos ipsos Electorales, & quidem disertim etiam ad proximiorem & seniorem ipsummet Adgnatum. Quomodo? Primùm omnium, ut remotiores vel eodem etiam gradu Adgnati, proximiori & seniori Adgnato Electorali cedant, tanquam potiori & potiora jura habenti: & eum Tutorem Electoralem esse, Tutelamque gerere & administrare permittant: nec adversus eum quid Tutelae Electoralis nomine, facto, scriptis aliove modo committant, audeant, vel faciant. Et vis adhuc videre manifestius, quò referenda sit Bullarum PROHIBITIVA CLAVSVLA? Intuere quaeso, & lege diligenter & specialiter haec Bullae Sigismundi verba: TVNC *senior frater, nepos, & consanguineus proximior in linea genitura, si frater non extiterit ejusdem defuncti, Laicus duntaxat, dicti pupilli & Iuvenis, ad quem praescripta devolventur*

CLAVSVLA Bullarum de Tutelis, PROHIBITIVA, ut nihil quomodocunque contra fiat, malè a Neoburgicis ad Electores refertur: cùm ad Adgnatos ulteriores & ad proximiorem & seniorem Adgnatum referri necessario debeat.

DE IVRE Tutor & Curator esse debeat. His enim verbis Adgnatos solos alloquitur Sigismundus: & litium omnia semina inter eos tollere nititur, ordinem succedendi certum in Tutelis Electoralibus constituens: nempe ut nepos fratri, Consanguineus nepoti, seniori consanguineo Iunior, Ecclesiasticus Laico cedat. Quæ cùm ita sint, apparet Clausulam illam prohibitivam, *Ne quid contra fiat*, Adgnatos tantum inter se, non Electores spectare. Attende nunc & vide, quemadmodum etiam proximiorem & seniorem Adgnatum spectat, non alium, prædicta prohibitiva clausula: & clausulam illam, *DE IVRE Tutor esse debeat & Curator*, attentiùs lege: & certò deprehendes, Bullam velle, ut proximior & senior ipsemet Adgnatus sciat, se Bullis Aureis DE IVRE Tutorem & CVRATOREM esse debere: id est, ut sciat, suam Tutelam esse Tutelam juris ussitatam & vulgarem, non autem Tutelam præter & contra jus, & ad evertendum Ius Commune inductam: & sicut sciat, se Testamentario Tutori, & ipsi cõsequenter Electori sive Testatori IVRE cedere debere: sicut cæteri Adgnati de jure, Tutelam de jure prætendentes, Tutori testamentario & testatori jure cedere solent & debent: denique sicuti cæteri de jure Tutores Adgnatos suos de Tutela testari posse sciunt & sinunt: Et consequenter, ut nihil ipse proximior & senior Adgnatus adversus Electorem ipsum vel Tutorem ab eo testamento datum, quocunque modo vel colore attentet vel innovet. ATTENDANDI namque & INNOVANDI verba propriè ad Neoburgicos pertinent, utpote NOVAM speciem Tutelæ Anomalæ introducere volentes. Clausula itaque prohibitiva Tutelas respiciens, Bullis inserta, ad Electores ipsos non est ita referenda, (ut fingunt Neoburgici, ex huiusmodi prava contortaque relatione vel interpretatione colligentes: *Præcipuos totius Germaniæ Principes, Electores scilicet de tutela liberorum suorum testari non posse*) sed ad Adgnatos, etiam proximos & seniores: nempe ut ne PROHIBEANT Electorem testari de liberorum tutela, & Tutorem ab eo datum Tutelam gerere. Quia voluntas, mens, & intentio Bullarum specialis est & expressa, ut proximior & senior Adgnatus *de Iure Tutor esse debeat*: id est, ut illo titulo sit contentus: ut præter & contra illum titulum ne quid affectet, attentet, ambiat, innovet vel sibi sumat, aut vindicet: et sic, ut Electori de liberorum suorum tutela testanti, & Tutori testamento per eum dato cedat: nec eum in jus eo nomine vocet, eiusve famam & existimationem, verbis, scriptis, aliisve modis lædat: multo minus, ne Ruinam, vel tale quid ipsi minetur.

Hæc est genuina mens Bullarum & Clausulæ illius Prohibitivæ Bullis

inditæ: auream verè, piam, honeſtam & Chriſtianis auribus dignam hanc ſententiam nobis ſuggerens: Nempe, *Electori liberos impuberes relinquenti, de liberorum tutela teſtari licere, nec à quoquam (etiam proximiore & ſeniore Adgnato) teſtari prohibendum eſſe* quòd nullum jus aliud Bullis proximior & ſenior Adgnatus habeat, quàm ut ſit DE IVRE Tutor, id eſt, Tutor, ut alij communiter & vulgariter ſunt de Iure Tutores.

NOTENT ergò perpetuis inpoſterum temporibus Neoburgici: *Clauſulam illā prohibitivam*, non Electores & eorū liberos (quorum præcipuo intuitu vel favore Bullæ promulgatæ ſunt. quis enim credat Imperatores Bullis ſuis plus juris, uni proximiori & ſeniori Adgnato tribuere voluiſſe, quàm Electori eiusve liberis?) ſpectare: verùm Adgnatos non tantùm remotiores, cumprimis & ante omnes, Proximiorem ipſum & ſeniorem Adgnatum: *ne ſcilicet Electori teſtari de Tutela volenti ſit moleſtus: ut Electori & liberis eius permittat, quod ſibi liberisq; ſuis permitti cuperet: ne putet ſe plus juris in Electoratu regendo habere, quam ipſe Elector ejuſque liberi habeant.* Alioqui ſi clauſulam illam Bullarum (PROHIBITIVAM teſtandi de Tutela faciendi) ad Electores & eorum liberos cum Neoburgicis retuleris: inciviles & inhoneſtas ſequentes ſententias ex Bullis & Bullarum interpretatione Neoburgica elicies: *Elector liberrimā teſtandi facultatē habeto: & nihilominus tamen* (quantumvis pater, & prudēs, & Princeps, & Regis Romanorum ac Imperatoris Elector, & conſiliariis optimis inſtructus, & liberorum ſubditorumq; ſuorum natura, legiſque divinæ imperio, amans) *Tutorem liberis ſuis impuberibus ne dato: ſed proximior & ſenior Adgnatus* (eo invito, & liberis & ſubditis invitis) *ſolus & unicus* (nullis contutoribus adjunctis) *Tutor adeoque Elector eſto: liberam & modis omnibus abſolutam adminiſtrationem habeto: Si fors Elector eum Tutorem dederit, nullas conditiones* de ſtatu Politico & Eccleſiaſtico Palatino conſervando, nec ullas alias ei, niſi quas ipſe proximior Adgnatus admittere ſponte vel conſcientia ſua libera voluerit, *imponito: Promiſsionem vel juramentum* (de ſtatu Electorali, uti mortis Electoralis tempore repertus fuerit, Primogenito Electorali puberi facto, Totaliter, penitus, ſine renitentia & difficultate aliqua reſtituendo) *à proximiore & ſeniore Adgnato ne exigito: Si exegerit, & alium Tutorem*, (liberis ſuis fortè metuens, & illis conſulere & cavere paterno affectu volens) *dederit, ex Bulla Caroli IIII. & Sigiſmundi, banno Imperij, infamia, multaque ſubditus eſto: bona qui poterit eius de facto occupato: quin manum, quivis etiam ei iniicito.* Abſurditates q̃ magnæ, ex prava Neoburgicorum interpretatione reſultent, ad vivum quoad fieri potuit ſenſibus

bus externis repræsentare operæpretium censui: lectores ut intelligant (imò iam ut palpent) utra verior, æquior, sanctior interpretatio sit, Neoburgica an potiùs Bipontina: quin ut errore suo manifestissimo cognito Neoburgici, tandem aliquando veritati cedant, & à lite malè cœpta desistant, & Principem suum, non tam Administratori (qui ab Electore defuncto datus est) & Electori Iuveni (seu primogenito Electoris defuncti) quàm ipsimet, (ut ita loquar) Electori (de cuius tabulis hîc agitur, & cuius recens adhuc memoria nobis est) reconcilient: & in gratiâ tandem omnes, omnes, cum ipso Serenissimo Iuuene Electore & eius Administratore redeant: & in Palatinæ familiæ salutem, non IN RVINAM, dictis, scriptis, factis amicè coniurent. Præstat enim seriùs id fieri q̃ nunquam: ut calor [a] iracundiæ potius, quàm iudicium animi fuisse videatur, quidquid hactenus dictum factumve à Neoburgicis fuerit.

a] *l. divertium 3. ff. de divortiis. l. quidquid calore 48. ff. de Regulis iuris*

❡ AD VICESIMAMNONAM *Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Responsio Bipontina.*

BIPONTINI dixerunt [b], *Paucos à tempore conditæ Bullæ Electores intestatos decessisse.* Neoburgicorum quænam hîc Responsio est? *Aiunt* [c] *& fatentur hoc verum esse: sed sæpius jam dictum: in quæstione non esse, An liceat Electoribus testamenta facere, (neminem enim hoc negare) dummodo ipsa tabulæ testamenti legem publicam non infringant.*

b] *p. 61. vers. Sed progrediamur ulterius.*

INTESTATI pauci Electores à tempore Bullarum Aurearum.

SED MEO judicio Neoburgici valdè sibi contrarij sunt. Aiunt enim se fateri, *Electoribus licere testamentum facere:* & nihilominus Electoris defuncti de tutela testamentum non admittunt. Et cur quæso? *Quia* (inquiunt Neoburgici) *legem publicam suo testamento infringit,* id est, (ut apertiùs exponam, quod pudore quodam Neoburgici reticent) quia Bullis Aureis ei testari de Tutela non licet, nisi proximiorem & seniorem ipsum Adgnatum det tutorem: *imò non potest,* (inquiunt Neoburgici) *Elector proximiorem ipsum & seniorem Adgnatum Tutorem dare, & ei conditiones imponere, nisi quas proximius & senior ipse Adgnatus admittere sponte sua voluerit:* uno verbo, Testamentum Electoris Tutelare inutile fuerit, nisi & ipsum proximiorem & seniorem Adgnatum Tutorem unicum & solum prorsus dederit, non alium: & quibus conditionibus ipse proximior Adgnatus voluerit, non aliis. His quæso quid proferri potest absurdius? Hoc enim consequens erit: Elector

c] *d. vers. Sed progrediamur.*

QVÆSTIO præcipua in hac controversia quænam sit.

ctor non poteſt de liberorum ſuorum Tutela ex animi ſui ſententia teſtari, ſed ex proximioris tantùm Adgnati ſententia: aut (quod in idem incidit) Elector de liberorum tutela teſtamenti factionem habet, & non habet. Poſſe Electoré teſtari de Tutela fateris? de liberorū ſuorum igitur Tutela liberè teſtetur, ut alij liberè teſtantur. Dicis & adſeris, Electorem cogi proximiorem & ſeniorem Adgnatum omnimodo tutorem dare: nec conditiones ullas ei imponere, niſi quas Adgnatus ipſe voluerit? Sanè coactum non liberum facis. Non enim video, quemadmodum hoc caſu voluntas Electoris poſſit LIBERA dici: cùm nec eum, quem velit, nec quomodo velit, tutorem dare poſſit: & ſic voluntas ejus & in ipſa materia & formà coacta eſt, non libera. Sed rem totam penitùs expendamus. Demus Neoburgicis, Electori licere de liberorum ſuorum Tutela teſtari, dummodo proximiorem & ſeniorem Adgnatum Tutorem det. Ponamus Electorem, proximiorem illum & ſeniorem Adgnatum Tutorem dediſſe: An ſaltem in aliis quibuſdam capitibus libertas de Tutela teſtandi fuerit? verbi gratia, mandandi proximiori illi & ſeniori Adgnato, *Ne quid in Statu vel Religione mutet, & ut hos vel illos Contutores admittat*. Id ſi Neoburgici confeſſi fuerint, cauſa cadere debebunt. Nam hoc confeſſo, conditionibus à defuncto Electore præſcriptis proximior & ſenior Adgnatus morem gerere debuit. Si negaverint (ut conduplicatis verbis vivo adhuc Sereniſſimo Electore negârunt, & adhuc nuper Electoris nomen, dignitatem & connexa, ex lege ad ſe inpræſentiarū pertinere aſſeruerunt) negent pariter neceſſe eſt, Electorem prorſus teſtabilem fuiſſe, cùm nec alium à proximiore & ſeniore Adgnato Tutorem dare, nec prædictas conditiones ei imponere jure potuerit. Et conſequenter Neoburgicorum ipſorum ſententiâ Princeps Elector omnimodo inteſtabilis erit. Quòd ſi inteſtabilis, quo jure vel colore dicunt eum teſtari poſſe? Solvat hæc magnus Apollo, ſi poterit.

¶ *AD TRICESIMAM RESponſionem Apologeticam Neoburgicorum, Bipontina Replicatio.*

BIPONTINI dixerunt [a]: *Se poſſe producere non modò de Tutelis Electoralibus, ſed etiam de SUCCESSIONIBUS Electoralibus PACTA*

[a] p. 62 Verſ. Trigeſima.

PACTA diversa a legitimis successionibus & Tutelis: & ea quidem PACTA usu recepta fuisse, ita ut Testamentarij heredes & Tutores legitimis sint prælati, scientibus omnibus aliis tam Ecclesiasticis, quam Laicis Imper.; Electoribus. Neoburgici quid? *Negant* [a] *hujusmodi pacta proferri posse, quæ heredes & tutores legitimos invitos & repugnantes, contra Auream Bullam (hoc enim duntaxat in quæstione esse,) exclusserint. Negant vel innuunt, talia pacta à Bipontinis proferri posse bonâ fide integra, authentica & sine rubore, & in rerum natura esse, nedum ab Electoribus adprobata fuisse.*

PACTA de Electoralibus etiam successionibus usu recepta.

a] *d. vers. Trigesimo. ibi. Ecqua vero sunt tandem illa pacta,*

SED RESPONDENT Bipontini, Se cùm in Iudicium causa deduceretur, plura producturos, quàm defensionis Bipontinæ necessitas postulabit. Hoc itaque Bipontini jam promittunt. Et meminisse alioqui debuerunt Neoburgici, quòd piè defunctus Elector pacis studio Neoburgicum Principem invitârit [b], ut Heidelbergam Cōsiliarios suos mitteret, ubi Archivum Electorale est, & ubi de iis quæ ad hanc rem faciunt, plenissimè instrui potuissent. Cur autem benevolam illam oblationem Neoburgicus aspernatus sit, & ab hujusmodi communicatione abhorruerit, aliis cogitandum relinquitur. Sufficiant interim manifestissima illa, quæ hactenus ab Electoralibus allegata sunt [c]: & in primis, Ipsummet Neoburgensem Ducatū per Testamentum Electoris Palatini Ottonis Henrici p.m. ad Neoburgicos pervenisse, non autem ab intestato. Frustra itaque petunt Neoburgici, quod penes se habent. Sed & alia ab Electoralibus allegata sunt, quæ Neoburgici negare non possunt, puta defensionis pag. 43. sæpedicto Iohanni Palatino Neoburgum (quod vocant *ante Sylvam*) Stephano Simerensi adsignatum fuisse: quæ tamen absque dispositione vel pacto, (ut inseparabiliter cum Electoratu connexa) in eos transire non potuerunt. Quorum etiam exemplum Fridericus III. p.m. in Testamento suo secutus est. Neapolim enim sive Neostadium Ioanni Casimiro p.m. reliquit. Neque latet etiam Neoburgicos, Testamento Philippi Electoris, tertium ejus filium Fridericum secundum, in successione Electoratus & dependentium, secundi filij masculis Ottoni Henrico & Philippo cordatissimis Principibus prælatum fuisse: atque illud Testamentum, (utut ægrè ferente Ottone Henrico,) ab Imp. Carolo V. & Electoribus omnibus ratum & validum habitum atque observatum fuisse. Ex quibus apparet, conventiones & dispositiones de successionibus & bonis Electoralibus, Electoribus etiam permissas esse, & ab Imperatoribus probatas & confirmatas.

b] *Anno 1602. die 5. Octobr.*

c] *Defens. pag. 52.*

¶ AD TRICESIMAM PRIMAM *Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

a] *p. 62. vers. Trigesimo primo.*

ILL. Neoburgicus hortatus est anno 1584. Tutores testamentarios, ut officio suo non deessent, adversus Ducem Iohannem Casimirum legitimam Tutelam sibi adserentem.

b] *p. 62. vers. Sed respondetur.*

BIPONTINI dixerunt [a], *Ipsummet Illustrissimum NEOBVRGICVM anno* MDLXXXIIII. *TVTELAM Testamentariam Ludovici Electoris comprobasse, & per literas Ducem Wirtembergicum (unum ex Testamento datis tutoribus) hortatum fuisse contra Iohannem Casimirum, ne suo deesset officio, unà cum reliquis suis testamento Ludovici Electoris nuncupatis Contutoribus.* NEOBVRGICI quid? *Fatentur* [b] *quod res est, prædictum Ludovicum Electorem præcipuè in votis habuisse ad extremum usque vitæ spiritum, ut filius suus & heres unicus Fridericus (cujus modò Testamentum controvertitur) IN PATERNA RELIGIONE (a qua NONNIHIL dissentiebat Princeps Iohannes Casimirus, frater & tutor legitimus) persisteret & educaretur: eaque de causa potissimum Contutores monuisse, Brandenburgicum, Wirtenbergicum & Hassum Principes, NON ut Aureæ Bullæ fieret præjudicium* (de hoc enim sibi diligenter cavit) SED VT RELIGIONIS PVRITAS CVM FILIO TVM SVBDITIS ESSET INTEGRA &c.

c] *p. 62. Vers. Hoc unicum præcipuè in votis habuisse.*

d] *p. 62. Vers. Eaque de causa.*

e] *p. 63. vers. Sed ut Religionis puritas.*

f] *p. 63. Vers. Non ut Aurea.*

MVLTVM sanè fatentur Neoburgici, & arma Bipontinis admodum fortia suggerunt. Ex illa namque Neoburgicorum confessione superstitibus & posteris innotescit, Electorem (& quidem Palatinum) testamento suo cavere, & hanc conditionem Tutori legitimo imponere posse: ut [c] LIBERI ELECTORALES IN PATERNA RELIGIONE PERSISTANT & EDVCENTVR. Quod alibi Neoburgici pernegarunt. *Secundò*, eandem ob causam, Electorem CONTVTORES [d] legitimo Tutori adjungere posse. Quod itidem alibi pernegarunt. *Tertiò*, Electorem testamento cavere posse, ut RELIGIONIS PVRITAS CVM FILIO, TVM SVBDITIS [e] sit integra. *Quartò*, prædictis Electoris votis, cautionibus, mandatis, præceptis, & conditionibus nullum [f] Bullis Aureis præjudicium fieri: ac proinde prædictis conditionibus & mandatis Neoburgicos parére & obtemperare debuisse: quòd hujusmodi testatoris præceptum Bullis Aureis non sit contrarium, & nullum eis præjudicium adferat. *Quintò*, prædictas cautiones & condi-

conditiones testamentario Tutori ab Electori impositas, olim [a] justas & æquas ipsimet Illustrissimo Principi Neoburgico visas fuisse; quin & inprimis eundem Neoburgicum optasse, ut HÆC TAM PIA ET SOLICITA OPTIMI PARENTIS VOLVNTAS HABERET EXITVM: Cùm tamen conditiones hujusmodi à defuncto Electore Illustrissimo Principi Neoburgico propositas, Neoburgici hoc etiam scripto contendant [b] ita comparatas esse, VT SINE MACVLA EXISTIMATIONIS ET CONSCIENTIÆ acceptari nullo modo ab Illustrissimo Principe Neoburgico potuerint. *Sextò* Illustrissimum [c] Principem Neoburgicum, non ad Wirtebergicum modò, sed ad ipsummet Principem Ioh. Casimirum (LEGITIMVM ut volunt Neoburgici Tutorem) scripsisse amicè & quibus potuit rationibus monuisse, hortatum & obsecratum fuisse, ut quoad fieri posset sine PRÆIVDICIO AVREÆ BVLLÆ, voluntati paternæ PRÆSERTIM IN PVNCTO RELIGIONIS ADQVIESCERET.

a] *p. 63 vers. Itaque non ad Wirtenbergicum.*

b] *p. 72. vers. Quasdam etiam conditiones.*

c] *p 63 vers Itaque non ad Wirtebergicum.*

Ex prædictis enim articulis, à Neoburgicis olim confessis, laudatis, & prolatis, in specie vel in individuo potiùs colligitur & elicitur, defunctum Electorem Fridericum IV. Testamentum jure condere potuisse. *Secundò*. eundem Electorem Testamento suo cavere potuisse, ut RELIGIONIS puritas FILIO & SVBDITIS servaretur, neve quid in Statu vel Religione mutaretur. *Tertiò*. Defunctum Electorem potuisse ad hujusmodi piam & sollicitam voluntatem conservandam ejusdem religionis Tutorem dare, licet remotiorem Adgnatum. Cùm enim concedunt Neoburgici, *Patris pro liberorum & subditorum religione solicitudinem in puncto religionis PIAM ESSE, & eum in finem Electorem testari posse*, necesse est quoque ut fateantur, Electorem ejusdem RELIGIONIS Tutorem (licet remotiorem Adgnatum) dare potuisse. Hoc enim concesso necesse est [d] pariter, ut antecedentia & media ad illum finem & scopum tendentia, & eum adjuvantia permittant & concedant. Nam alioqui lusoria, puerilis & nullius momenti futura esset illa patris erga liberos, domini erga subditos, PIA, sanctaque pro RELIGIONE tuenda conservandaque AFFECTIO: nisi Princeps Elector (velut Pater & Dominus pro liberorum & subditorum religione sollicitus) Tutorem religionis illius confirmatorem dare potuerit vel possit. Parum [e] est enim, jus in aliquo Principatu esse, nisi sit aliquis, qui jus illud custodiri faciat.

d] *l. 2. ff. de iurisdict. l ult. ff. de officio eius cui mandata est iurisdict. l. Veteres 4 ff. de itinere actuque legato. c. praeterea: 5. in fin. c. suspicionis 39. Extra de officio & potestate delegati.*

e] *l. 2. §. post originem 13. ff. de origine iuris.*

Atqui (dicunt Neoburgici) *defunctus Elector Tutorem nuncupare proximiorem & seniorem Adgnatum debuit?* Respondent

jus Bullarum, præjudicium aliquod facere. Sed (ut verba antecedentia & consilia Neoburgicorum totidem verbis & syllabis retineam) scopus Electoris principalis & unicus fuit, *ut* [a] *Electorales liberi in paterna religione persisterent & educarentur: ut* [b] *Religionis puritas cum filio, tum subditis esset integra: ut* [c] *hæc tam PIA & sollicita optimi parentis voluntas haberet exitum: ut* [d] *in puncto Religionis proximior & senior Adgnatus* ADQVIESCERET. Hæc Neoburgicorum consilia olim fuerunt. Si defunctus Elector talia consilia Neoburgicorum olim, id est, anno MDLXXXIIII. fuisse, totidem verbis & syllabis demonstrat: quæso quid conquerunta hodie, aut quos accusare poterunt Neoburgici, nisi se ipsos, qui talia consilia (aliud tamen agere volendo) defuncto Electori suggesserunt: Ac proinde si quæsiveris, quorum consilio defunctus Elector de liberorum & subditorum Tutela pro Status & Religionis conservatione in t. statis? Heidelbergenses Consiliarios ne quæ ito, neve accusato, sed Neoburgicos ipsos, qui prædicta axiomata & consilia olim pro veris & oraculis Electorali Administratori ediderunt. Certò namque & meritò dici poterit, non aliorum quàm Neoburgicorum consiliis usum, defunctum Electorem, testatum fuisse: Nam ut ex prædictis apparet, Neoburgicorum hæc consilia fuerunt: *Iustum esse, ut liberi in Paterna Religione persistant & educentur: ut Religionis puritas filio & subditis sit integra: ut hac tam pia voluntas sortiatur exitum: ut in puncto Religionis proximior & senior Adgnatus adquiescat voluntati defuncti.*

[a] *p. 62. vers. in paterna.*
[b] *p. 63. vers. Sed ut religionis puritas.*
[c] *p. 63. vers. Et hæc tam pia.*
[d] *p. 63. vers. Præterea in puncto religionis.*

Possumus adhuc non minus hoc evidenti argumento uti: Si confessione Neoburgicorum, defuncti Electoris de liberorum & subditorum Statu & Religione conservandis & manu tenendis sollicitudo PIA EST, eum sanè in finem defunctus Elector Tutores, quos voluit, dare potuit. PIETATIS enim prohibitio non potest esse, nisi impia. Lex & Bulla (quæcunque tandem proferri poterit) pietatem huiusmodi prohibens, AVREA dici non debebit, sed PLVMBEA vel FERREA & ADAMANTINA.

Habent itaque, puto, jam Neoburgici, (ut [e] eorum verba in ipsosmet retorqueam) & quidem non in diversis personis, sed in uno codemque individuo *domesticum miræ vicissitudinis testimonium,*

si literas tunc temporis scriptas & admonitiones suas
cum præsentibus suis literis & protestationi-
bus contulerint.

[e] *p. 63. vers. Et ... domesticum lines ...*

AD TRICESIMAMSECVNdam Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Bipontinorum Replicatio.

a] *p. 63. vers. Trigesimosecundo &c.*

CAMERÆ Spirensis præiudicium.

BIPONTINI autoritate CAMERÆ Imperialis nixi, duo adseruerunt [a]. Vnum: *Cameram Imperialem anno* MDLXXXIIII. *expresse & iteratò rescripsisse, in Caroli IIII. & Sigismundi Bullis testamenti factionem NVSQVAM NVSQVAM PROHIBITAM esse: sed potiùs Communi Iure liberrimam & licitam esse.* Alterum: *Eandem Cameram contra modernum Ducem Bipontinum, ut Tutorem & Administratorem Electoratus Testamentarium, processus decrevisse.* NEOBVRGICI quid? *Primum omnium Johannem Casimirum literis compulsorialibus contra suam Serenitatem emanatis, suis exceptionibus satisfecisse, & demonstrasse: Non licere magis Electori circa Tutelam testari, quam circa successionem: Dispositiones huiusmodi legi, providentia Maiorum, Aurea Bulla, moribus Electoralium domorum, & fraternis atque familiæ Palatinæ pactis repugnare.*

b] *lib. 4.*

SED NOS prædictis satis superque superiùs ad Resolutionem Casimirianam respondimus [b].

c] *p. 63. in fin. & p. 64. in princ.*

d] *l. quisquis C. Quorum appellat. non recipiuntur.*

NEC MOVENT interim quæ secundo loco dicunt [c] Neoburgici: *Non obstantibus exceptionibus prædicti Ducis Ioannis Casimiri, editionem ipsius Testamenti iniunctam, executionem tamen eius suspensam fuisse, per interpositam Revisionem, cui adquieverunt Actores simul & Iudices: Et hoc non levis conjecturæ argumentum esse, Testamentum illud pro nullo & invalido habitum, ideoque permissam Revisionem fuisse: cùm aliàs legibus* [d] *prohibeatur sub pœna pecuniaria, ne quis provocet ab ea sententia, quæ aperturam sive editionem Testamenti iniungat: & verisimile esse, ob eandem causam non modò Actores & Contutores Testamentarios faciliùs à capta lite destitisse, sed & Cæsarem permotum, ut Iohanni Casimiro soli investituram concederet.*

Nam ma-

Nam magni hîc iterum sunt errores. Fingunt enim Neoburgici quædam, ut Lectori facti ipsius ignaro imponant. Sic autem res habet. Reiectis (ut ipsi fatentur Neoburgici) Casimirianis Exceptionibus fori declinatoriis à Camera per sententiam, Revisio non tantum interposita, sed causa etiam in Revisorio Iudicio ventilata, & in illo finaliter sententia contra Ducem Ioh. Casimirum pro Contutoribus Testamentariis pronunciata, & lis ad Cameræ forum remissa fuit. Quomodo igitur acquieverunt Revisioni Actores simul & Iudices? Quomodo, aut à quibus testamentum illud pro nullo & invalido habitum? Et quomodo hinc Cæsar permotus fuit, ut soli Duci Ioh. Casimiro investituram concederet? Hanc enim illi concessit, cùm adhuc lis inter illum & Contutores decurreret. Quin ipsemet Cæsar datis ad Ducem Ioh. Casimirum Praga literis, solemniter 11. Septembr. anno MDLXXXV. contestatus est, se litem illam inter dictas partes in cœpto Iudicii cursu finiri ac decidi velle. Investituram autem jam ante, nimirum decima Maii eodem anno MDLXXXV. Dux Ioh. Casimirus consecutus: Sententia autem Confirmatoria à Revisoribus lata diu admodum post fuit, nempe XXII. Augusti, anno MDLXXXVIII. atque ita ex intervallo totius pænè quadriennii. Ex quibus omnibus evidenter constat, Neoburgicos male informatos esse, aut alios malè informare velle.

NEC TERTIO movet, quod aiunt [a] Neoburgici: *Heidelbergenses rescriptum illud Cameræ (quo scilicet testati sunt, nullibi in Bullis Imperialibus Testamenti factione Electoribus interdictum) nunc allegare non posse, quòd ante paucos annos id tanta vehementia oppugnaverint: ac proinde clamant Neoburgici, ô TEMPORA, ô MORES: & in ea tempora nos incidisse, de quibus scriptura dicit* [b]: *Iuxta adesse dies perditionis & adesse tempora, quibus semper jurgia quærit malus.*

Sunt enim prædicta nihil aliud quàm probra & convicia, ideoq; legentibus & audientibus prætereunda: imò contemnenda. Pii namque viri indicium est, SATVRARI OPPROBRIIS. [c] Paucis tamen ad prædicta sequentem in modum respondemus. Heidelbergenses quidem rescriptum illud Cameræ tunc impugnasse, sed quosdam tantum, non omnes. Vt res sit, si rescriptum Cameræ in processibus decretis verissimum & æquissimum esse Heidelbergenses hodie agnoscunt (quo scilicet Camera innuit, *in Bullis Aureis Testamenti factione Electoribus non interdici*) Cameram ipsam Spirensem, non autem Hei-

a] p. 64. vers. [illegible] fit.

b] Proverb. [illegible] v. 11.

c] Threnor. 3 vers. [illegible]

tem Heidelbergenses ipsos accusent Neoburgici, & Cameræ pariter dicere audeant (ut dicunt Heidelbergensibus) *juxta dies perditionis esse, & adesse tempora, quibus semper jurgia quærit MALVS*: & ob portum, id est, ad ædes Spirensium Adsessorum, obvagulatum eant, & pipulo singulos differant, Quòd rem in toto Imperio notoriam, *Per Bullas* nimirum *Electoribus testamenti factionem ademptam esse*, (id quod Neoburgici toties adfirmant) soli ipsi vel ignoraverint, vel scientes in pœnas Bullarum inciderint, decretis processibus in re tam notoria, quæ cùm judicati vim haberet, à judicii limine arcenda fuerat.

a] *p. 64 vers. Quod verò ad ipsos processus attinet.*

PRÆDONEM Neoburgici vocant falsum tacitè Ducem Bipontinum.

NEC QVARTO obstabit, quod aiunt [a] Neoburgici: *Allegatos processus contra Bipontinum (velut Testamentarium Tutorem) se ignorare: sed sine dubio processus illos Cameræ contra eum decretos, non tanquam contra Tutorem & Administratorem justum, SED TANQVAM INIVSTVM OCCVPATOREM: Nec se videre, quid inde Bipontinis accedat bonæ fidei, CVM ET PRÆDO IN IVS VOCARI POSSIT.*

Nam ut hoc *primùm* dicatur, constabit processus illos Cameræ contra Ducem Bipontinum decretos esse velut contra Tutorem & Administratorem verum & justum: ac proinde verum non esse, quod Neoburgici scribunt, *dictos processus contra Ducem Bipontinum decretos esse tanquam contra INIVSTVM occupatorem*. Quia in decretis illis processibus nunquam reperietur, verbis expressum, nec subintellectum, Spirensem Cameram prædictos processus adversus Ducem Bipontinum decrevisse, tanquam contra iniustum occupatorem: ut non leve sit argumentum, Neoburgicos ad huiusmodi calumnias, deficientibus probationibus veris, confugere: quod litium concinnatoribus [b], qui malam causam fovent, proprium est. Et cur quæso, si citatus ab aliquo Dux Bipontinus, velut Testamentarius Palatinatus Administrator fuisset, Camera Spirensis decernet *processus contra Bipontinum, tanquam contra iniustum occupatorem*: cùm nec pars id unquam postulaverit, imò adversus Bipontinum tanquam adversus verum Administratorem egerit? *Secundò*. Quàm inciviliter & injuriosè adversus Ducem Bipontinum agant Neoburgici, nemo non videt: cùm PRÆDONEM eum appellent, qui tabulis Electoris defuncti munitus, per omnia solennibus & justis, Administrationis Electoralis possessionem sit adeptus, nullo neque vulnerato, neque vi dejecto, sed consentientibus & vocantibus omnibus.

b] *l. nec quidquam 9 §. 2. ff de officio Proconsulis.*

NEC QVIN-

NEC QVINTO movet, quod superaddunt[b] Neoburgici: *Cameram Spirensem in illis contra Ducem Bipontinum (velut Testamentarium Tutorem) processibus, FORTASSIS SOLIS supplicantium narratis fidem adhibuisse, sine tamen præiudicio eorum, quorum interest, vel periculi partis (quod non rarò fit) citationem decrevisse: vel processus illos decretos propter moræ periculum, in eum qui PRO TVTORE SE GERIT, QVAMVIS VIOLENTER. In Camera namq; plerunq; magnos errores intercidere solere, ut discerni non possit, utrum quis Tutor fuerit, an verò quasi Tutor pro Tutore administret, vel simpliciter administret, negotia gerat.*

Quia prædicta quæ à Neoburgicis allegata sunt, ne quidem conjecturæ nomen merentur: sed pura meraque ægrorum somnia sunt. Ac præterea cùm dicant, FORTASSIS *ita se rem habere*: pari verbo respondeamus: FORTASSIS *etiam ita se non habere*: imò liberè & multò veriùs dicimus, prædictos processus à Camera contra Ducem Bipontinum tanquam contra justum Administratorem Electoralem decretos esse, ut decreta Cameræ meliorem in partem sumamus: Quemadmodum dubia[b] semper meliorem in partem sumere jubemur. ἡ γὰρ ἀγάπη οὐ περπερεύεται, οὐ λογίζεται τὸ κακόν, *nec temeraria est, nec male cogitat*, & *semper*[c] *quidquid dubium est, in melius inclinat.*

a] *l. benignius 18. π. de legibus.*
b] *1. Corinth. 13. ver. 4. & 5.*
c] *Seneca 11. Epist. 82.*

¶ *AD TRICESIMAMTERTIAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

BIPONTINI duo dixerunt[d]. Primum: *extare Philippi Electoris Testamentum, & quidem à Cæsare confirmatum, quo probari possit, etiam in SVCCESSIONE Electoratus Testamenti causam & dispositionem legitima potiorem.* NEOBVRGICI quid? *Hanc Bipontinorum assertionem negant*[e], *& probationem petunt. Nec enim sequi; Electores & Principes interdum de feudis testati sunt, consentientibus tum Imperatore tum Agnatis: Ergò in perpetuum à lege feudali & Aurea Bulla secessio facta, & successoribus factum præjudicat. Hoc enim falsum esse.*

d] *p. 65. in princ* DE SVCCESSIONE quoque Electorali, dispositiones Testamentariæ ab Imperatoribus sunt probatæ.
e] *p. 65. Vers. prius autem membrum negatur.*

MALE. Probabitur enim, & si opus erit, cùm causa hæc in Iudicio ventilabitur, edetur Testamentum illud Electoris Philippi, edetur etiam Caroli V. confirmatio. *Secundo* sciant Neoburgici, à Bipontinis non dici, exemplum illud dispositionis Electoralis de successione Electorali, jus perpetuum simpliciter facere: sed exemplum esse, & controversiæ inter Electorales & Neoburgicos habitæ lumen aliquod inferre. *Tertio* potest etiam dici, prædictam dispositionem jus perpetuum facere: quia in re tanta vel nullus ex Adgnatis proximis est repertus, qui tunc contradixerit: aut si contradixit, nec obtinuit, constare ex eo, jus perpetuum esse, ut etiam de successione Electorali possit justis causis existentibus Elector disponere.

a) *p. 65. vers. neque verum esse.*

b) *Versiculo. At posterius hoc membrum.*

SECVNDO loco Bipontini dixerunt[a]: *Verum non esse, quod Ludovicus (prædicti Philippi parens) tutores testamentarios ordinaverit Archiepiscopum Moguntinum & VVirtebergensem.* Neoburgici quid? *Hoc [b] posterius membrum remitti defendendum MARQVARDO FREHERO, Consiliario Electorali Palatino, INSIGNI IVRISCONSVLTO & HISTORICO, qui in Chronico Bavariæ edito Ambergæ Anno MDCVII. & inscripto Serenissimo Bavariæ Duci Maximiliano p. 146. Hoc contestatur, & authorem laudat presbyterum Ecclesiæ Ratisbonensis Leonardum Baubolz: ut Heidelbergenses cum ipsis expostulent, si velint.*

Sed vel unum hîc dici sufficit: verum non esse, quod aiunt, *Freherum id contestatum esse.* An enim qui autorem aliquem in lucem profert, cuncta quæ ille scripsit, protinus approbat? Gentilium, Sarracenorum, Iudæorum, similesve historias edimus quotidie: an ideò Gentiles, Sarraceni vel Iudæi sumus? Sed & nos ea de re locis aliquot jam diximus: Et quod magis est, ab eodem Amplissimo & optimo Frehero (quem insignem Iurisconsultum & Historicum fatentur) quando cum eo super hoc loco, Neoburgicorum monitu, amicè expostulavimus, quid responsi continuò tulerimus, non abs re fuerit cum illis candidè communicare.

Ita igitur ille magnus noster Amicus:

SVAVES *satis estis, Amici, qui rerum ante sæcula gestarum rationes à me exigitis, & me contestatum ea causamini, quæ neque scire potui,*

neque

neque etiamnum ipse credo. De Friderico quæ certis auctoribus tradita habui, libello singulari consignavi. In quibus quia illud de Tutoribus fraterno testamento scriptis non habetur, repudiatum à me credere poteratis. At Leonhardum (dicitis) qui id pro comperto tradit, nobis dedisti. Num & fidem ejus usquequaque præstare teneor? Sufficiat in LIVIO *illo* BOIORUM *(quo eum elogio Aventinus*[a] *honestare dignatur) collatis exemplaribus integrè edendo, Reipublicæ non inutilem operam navasse, meamque in instauranda patria Historia fidem magnis viris, atque ipsi ante omnes Serenissimo Boiorũ Duci aliquatenus probasse.* Veritatem *interim* rerum erroribus gestorum *(i. actorum, ut vulgo loquimur, sive scriptorum)* non vitiari, *scitis ab Vlpiano*[b] *tradi rectissimè. Neque ego ipsius Titi Livii Patavini, Romanæ historiæ parentis, nedum Bojicorum illorum Liviorum Andreæ & Leonardi, commentarios periculo meo esse velim. Nec tanti mihi fuerit eos cum tineis blattisque belligerantes, ut de servatis scilicet civibus corollam merear, periculo interitus liberasse. An verò monendi à me demum estis, scriptis Monachorum & Clericorum (quorum*

a] *lib. VII. Annal. Boior. fol. 652 & 658. editionis Basil. 1580.*

b] *L. 6. §. veritas. D. de offic. Præsidis.*

ſolis manibus tractari, per aliquot ſæcula fatum fuit Hiſtoriæ) qua discretione & circumſpectione fides ſit adhibenda? nimirum ut plerunque è fabellarum & nugarum congerie quosdam auri grumos, velutique è ſterquiliniis gemmas eruamus. A quibus Annalium ſcilicet conditoribus ut dolus & fallendi propoſitum abſuerit, certè civilium rerum ſolida cognitio, conſiliorum & eventuum variorum cum circumſtantiis ſcientia & noticia non fuit exigenda. Audite magnum in eo ordine virum[a], *de ſe hoc fatentem*: Præcipuè gloriam nobis parvam ab Hiſtoria petere fixum: quia per homines CLERICALIS officii temerariè noſtra, jactanter aliena, præterita infructuosè, PRÆSENTIA SEMIPLENE, turpiter falſa, periculosè vera dicuntur. *Si ille vir in luce clara verſatus, rerum ſui ævi & ſoli non plenam cognitionem ſibi arrogat; quid obſcuriſsimi alii homines in clauſtris, mandris, lauris ſuis reſides? Veſtra igitur, non mea culpa fuerit, Amici, ſi ejusmodi dubiæ ſubleſtæque fidei ſcriptoribus, ſemiplenè & perfunctoriè res magnas tractantibus, fidem vel ſemiplenam nimis facile tribueritis: ubi præſertim contrarium aut per alios auctores graviores, aut indubitatis documentis*

a) *Sidoni. Apollinar. lib. IIII, Epiſt. 22.*

mentis

mentis scriniorum publicorum, constare credibilius videtis.

Hæc ille: quibus adquiescere fas visum.

¶ AD TRICESIMAMQVARTAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Bipontinorum Replicatio.

BIPONTINI dixerunt[a], *Se nunquam suscepisse defendendum: Quod sine ulla causa plane EXTRANEI ab aliis familiis Principales Tutores dari possint in Electoratu, præteritis omnibus Adgnatis: Et ita si qui dicunt, EXTRANEOS posse sine ulla causa Tutores ab Electore dari præteritis Adgnatis, Electorales sive Bipontinos eos defendendos non suscepere. Caterùm in præsenti causa EXTRANEVM Tutorem datum non esse. Ducem enim Bipontinum, non esse extraneum: omnes autem extraneos (etiam legitimos) posse REMOVERI, antequam gerere incipiant: adeoque tot SVSPICIONVM causas in Iure expressas reperiri, ut earum plures vel singula (si ad præsens negotium accommodentur) sufficientes sint ad exclusionem Principis Neoburgici: Quas tamen hactenus pacis & concordiæ studio in specie indicatas evulgare noluerunt.*

NEOBVRGICI quid? Dicunt[b], *insignem hanc esse FALLACIAM simul & INIVRIAM: & DIGNVM[c] PROFECTO AVTOREM, QVI VAPVLET ALAPA*, ex Germanorum dicterio.

SIC VBIQVE non vindictam simplicem, sed verbera simul & plagas meditantur. Sed qui rationibus, non conviciis, multo minus pugnis, conferre cum alio de jure cupimus, dicteria, maledictaque illa nulla faciamus, alapas & injuriosa rapismata stabulariis relinquamus, & ad rem ipsam descendamus.

At (inquiunt[d] Neoburgici) *si Bipontini dicunt, liberam esse Electori Nominationem, idq; de Iure Communi (quo omnes omninò Tutores dari*

a] p. 65 vers. Tricesimusquartus locus.
EXTRANEI an possint, præteritis omnibus adgnatis Electoralibus, [illegible] Electoratui dari?

b] p. [illegible] vers. Tricesimusquartus.
c] [illegible] p. [illegible] ibi. Dignus profecto autor.

d] p. [illegible] p. 64.
EXTRANEI [illegible] Electoratui [illegible] possint?

Testamento possunt, qui non prohibentur) QVA FRONTE (inquiunt iidem Neoburgici) Bipontini possunt dicere, se EXTRANEIS hoc loco non patrocinari? Nam hoc NEMO VIR BONVS negare potest, si libera sit testamenti factio, posse ad Electoralem Administrationem &c. plures, & extraneos, & Ecclesiasticos, & fœminas, & infimæ sortis homines (dummodo vitio & morum honestate suspecti non sint) Tutores dari. Nam illi omnes Iure Communi Tutelæ sunt capaces.

RESPONDEO, & FRONTIS integræ, & VIROS BONOS idem dicturos, quod Bipontini dixerunt: *Nempe Electorem testandi de Tutela liberorum suorum potestatem habere: & tamen nec plures, nec extraneos, nec Ecclesiasticos, nec fœminas, nec infimæ sortis homines Tutores dare posse, ut supra* [a] *jam diximus.* Mantissæ vel additamenti loco sufficiat hoc addi: Consuetudine Electoralium familiarum (quæ [b] legum & Bullarum Aurearum interpretes optimæ sunt) Ius illud liberum testandi de tutela competens Electoribus sub prædictis exceptionibus receptum. Quia nunquam usitatum in familiis Electoralibus fuit, Tutores præcipuos (qui jus vocis, scilicet Electionis, & Administrationis, in solidum & æqualiter habeant) plures, vel extraneos, vel Ecclesiasticos, vel fœminas, vel sortis infimæ dari. Et sic Neoburgici præter illa jura quæ locis aliis protulimus, Consuetudines Electorales (& sic Ius illiteratum, καὶ ἄγραφον & moribus receptum) habent, in quibus adquiescere meritò possunt & debent. Potest & hoc addi, prædictas Consuetudines Electorales in Bullis etiam Aureis fundamenta sua habere. Nam [c] ab intestato unicus tantùm Tutor est: & quidem Adgnatus, non extraneus: Laicus, non Ecclesiasticus: Mas, non fœmina: Princeps, non sortis infimæ. Lex certa testandi de tutela Electorali Bullis præscripta quidem non est, ut arbitrariam ab initio relictam Electoribus fuisse credibile sit. Arbitrarium [d] enim solet esse, quod legum cancellis limitatum non est. Postea tamen Electores arbitrium illud liberum prorsus testandi de tutela paulatim ad Bullarum iconium vel Idæam, id est, ad normam & similitudinem conformasse videri possunt: ut scilicet & Vnum, & Adgnatum, & Laicum, & Marem, & Principem Tutorem darent: sic tamen, ut libertatem & substantiam Tutoris testamento dandi ipsi semper haberent prædictis personis exceptis.

Sanè justiùs hoc tuentur Bipontini, quàm Neoburgici, liberam Electoribus testandi de Tutela facultatem in speciem adserentes, & tamen Electoribus nullum jus Tutoris eligendi, vel tutori dato conditiones aliquas imponendi, permittentes. Quid si Bipontinus aliquis hoc loco,

a] *lib. 3. Refut. 28. 29. 30. & locis aliis subinde*

b] *l. si de interpretatione, 37. ff. de legibus.*

c] *V. Bullam Caroli IIII. & maximè Sigismundi.*

d] *§ Præterea quasdam 31. Inst. de actionibus.*

hoc loco, frontem & virum bonum à Neoburgicis præfractè flagitaret; quæso quò se verterent, aut quid tandem responderent: cùm ipsi substantiam ipsam quoque de Tutela testandi Electoribus denegent, (scilicet ut nec hunc, nec illum Adgnatum eligere possint, sed absolutè velint ut proximiorem & seniorem Adgnatum dent Tutorem, nec conditiones ullas ei imponant): Bipontini verò saltem substantiam permittant, id est, huius vel illius eligendi facultatem, quibusdam tantùm personis consuetudine magis quàm jure scripto exceptis, Bullarum Aurearum exemplo.

Verùm ad alia pergamus. Talium enim nimis jam piget tædetque.

ADDVNT Neoburgici, *Fateri* [a] *se, Tutores legitimos* [b] *(æquè ac Testamentarios & dativos) posse tanquam SVSPECTOS REMOVERI: sed nonnisi causa suspicionis PROBATA Iudici vel causæ cognitori. Nudæ namque assertioni non stari: multò minus pupilli voluntati &c. Ceterum dici, SVSPICIONIS causam esse, quæ Serenissimum Adgnatum oneret, quo minùs officio Tutelæ idoneus sit, MANIFESTISSIMAM & SPVRCISSIMAM CONTVMELIAM esse, suo tempore & loco legitimè vindicandam.*

SVSPECTI possunt accusari quoque legitimi Tutores & removeri, Neoburgicorum etiam sententia.

a] *p. 60 vers. Legitimos æquè ac Testamentarios.*

b] *l. 1. §. ostendimus 5. vers quare & si legitimus ff. de suspect. Tutorib.*

SED VT prætereamus, jam vindictam spirare Neoburgicos, si ex voto in Palatinatu Electorali dominari ipsis aliquando licebit: & hujusmodi testatione plures indies recusandi causas Electoralibus suppeditare: ex prædictis interim Neoburgicorum verbis PRIMVM omnium notandum, Neoburgicorum sententia, *Legitimos licet Tutores, suspectos posse non tantum postulari, sed & removeri*.

SECVNDO: Non obstare quod iidem Neoburgici tradunt, *Legitimos Tutores, non nisi causa suspicionis probata Iudici, removeri posse*. Quia id tantùm locum obtinet, quoties paterfamiliâs intestatus est mortuus, & jus Tutelæ Adgnato per legem quæsitum est. Cæterùm illud non obtinet, si paterfamiliâs Tutorem jam testamento dedit. Tunc enim legitimi Tutoris nullæ sunt partes. Quia citra suspecti postulationem à limine Iudicii protinus & illicò à Tutela removeri potest: utpote testamento præteritus aut exclusus, & sic nullum Ius petendæ Tutelæ habens adversus Tutorem testamento datum.

TERTIO

Tertio. Quod legitimi non tantùm durante tutela postulari suspecti possunt, sed & postulati durante accusatione ab Administratione removendi sunt [a]: Imò & ipso jure Administratio illis interdicitur.

Quarto. Imo & antequam gerere incipiant, excludi possunt: *quia melius est* [b] *intacta minorum jura servari, quam post vulneratam causam remedium quærere*: Manetque firma immotaque juris regula: *Quibus datur actio, eis multo magis exceptionem competere dicendum est*.

Quinto. Notandum est, eum qui suspectum Tutorem dicit & removendum, non eo solo *manifestissimam & spurcissimam contumeliam ipsi inferre videri* (ut Neoburgici προπετῶς nimis colligunt): veluti si tuendæ tantùm Tutelæ testamentariæ causa dictum illud fuerit. Nam, vel fatentibus alibi Neoburgicis, quod tuendæ vel protegendæ litis gratiâ dicitur vel scribitur, non contumelia vel injuria, sed juris sui consequendi ratio Iuridica, ordinaria, legitimaque est. Executio [c] quippe Iurius injuriam non continet. Et verò in Iudiciis suspectos ita dicimus & rejicimus (legibus id cuique permittentibus) testes: imò Iudices, & sic Præsides, Proconsules & similes: & ab eorum sententiis appellamus. An protinus eos injuriâ vel contumeliâ adficimus, quasi injusti vel iniqui sint? An Iudici vel recusato, vel à quo appellatum fuit, eam ob causam adversus recusantem vel appellantem actio vel accusatio est? Minimè [d]: licet in ipso Iudicio & oculis Iudicis appellationis, Iudicis sententiam nullam, injustam, iniquam, contra leges & constitutiones latam dixerimus, & id scriptis in Iudicio appellationis protestati sæpius ac sæpius fuerimus. Hæc Iudiciorum omnium libertas est. Et ita quoque Traianum risisse legimus [e], cùm Iudex à litigatore reiectus fuisset. De alia itaque consequentia mitiore cogitent Neoburgici: & quàm tolerabilius & civilius sit, *suspectum* aliquem à Bipontinis dici, videant, quàm ab ipsis Neoburgensibus scribi: *Ducis Bipontini Administrationem FVRTO comparari, & PRÆDONEM* [f] *in Ius vocari posse*. Adhæc, nisi SVSPECTI verbo liberè causis in huiusmodi vel judiciis, uti litigatoribus usu exigente licebit: dispungantur itaque tituli Iuris, *De suspectis Tutoribus*: dispungantur quoq; leges, quæ de *Iudicibus* [g] *vel testibus recusandis latæ sunt*: dispungantur omnes *De appellationibus & appellationum causis* tituli. His enim modis omnibus (si vera Neoburgicorum sententia fuerit) *manifestissimas & spurcissimas calumnias* adversus Tutores, Iudices,

a] *l. Eumquem. 7. C. de susp. tut.*

b] *V. Port. in §. suspectum. n. 1. & ibi addit. Inst. Eo. tom. l. ultima in fin. Cod. in quibus causis in integrum restitutio necessaria non est.*

c] *l. injuriarum actio 13. §. 1. π. de injuriis.*

d] *l. & in majoribus 20. Cod. de appellat.*

e] *V. Plinium Panegyri o.*

f] *p. 64. lin. 25. ibi, cùm & prædo in jus vocari possit.*

g] *l. apertissimi. 16. l. ult. autem. Si vero contigerit. Cod. de judicib. Novell. 86. cap. 2.*

Iudices, Testes, effuderimus. Quæso quem in finem appellationes inductæ sunt? Nonne ut [a] INIQVITATEM vel IMPERITIAM Iudicum corrigant? Nonne [b] iniquitatis sententiæ querelam continent? An propterea provocantes à Iudice *manifestissimam & ipsurcissimam calumniam* adversus eum dicemus effudisse? Minimè sanè. Nec [c] enim oportet Iudicem INIVRIAM sibi fieri existimare eo solo, quòd litigator ad provocationis auxilium convolavit: vel quòd litigator eum recusaverit [d]: Imò quò religiosior quisque Iudex est, eò citius ipsius judicii munere abstinet, nec causis suspecti diligentiùs inquiri patitur: ne causas recusationis scrupulosè nimis inquirendo, se ingerere liti, & judicium adfectare, seque suspectum magis reddere videatur.

SEXTO. Prædictis adiiciatur, suspectum aliquem removeri posse, *manente* [e] *fama vel honore*: ut inde colligas, non omnem suspecti causam, famam alterius continuò lædere & sugillare: nec quemcunque suspectum postulatum, se continuò injuria adfectum putare debere: Cùm possit & suspectus postulari actione in factum, vel exceptione opposita removeri, fama scilicet & honore manente: & famæ suæ (ut ita loquar) Tabulam, post naufragium salvam supervenientibus ostentare.

SEPTIMO. Sciant etiam Neoburgici, Præteritiones Adgnatorum in tutelis, arbitrarias esse, & à mero testatoris arbitrio pendere: licet nullas præteritionis causas probabiles Testator addiderit, vel nullas judici vel cognitori causas suspicionis reddiderit. Quia licet successionis & hereditatis partem certis casibus fratri relinquere paterfamiliâs cogatur; & fratrem præterire nisi justis & legitimis causis additis non possit [f]: non tamen eum Tutorem dare tenetur: sed eum præterire potest, nullis etiam additis præteritionis in Tutela causis. Quia (ut antea dictum est) fratri vel Adgnato non ita Tutelam ut successionem debemus. Et præcipuus est etiam patrisfamiliâs scopus, liberis suis datis quos idoneos putat Tutoribus) consulere: non autem Adgnatis nocere. Hanc libertatẽ patribusfamiliâs lex dedit, vel potiùs permisit, id est non abstulit, sed liberam & velut debitam [g] reliquit: ut sine injuria jus illud patrifamiliâs, fratri, vel Adgnato, Frater vel Adgnatus auferre non possit. Et breviter, cùm de Tutelis Testamentariis quæritur, errant Neoburgici, cùm dicunt, *Simplici* [h] *patrisfamil âs adsertioni non stari*. Certum est enim, nudæ, simplici, ac unicæ Testatoris voluntati & præteritioni stari. Errant & in eo Neoburgici, cùm putant, *patrem-*

a] *l. 1. ff. de appellat*

b] *l. præfecti. 17. ff. de minorib.*

c] *l. Et in maioribus 20. C. de appellat.*

d] *l. si quis provocatione interposita, suspecti judicis 30 eiq. Nec timeat, contumeliam judiciorum C de appellat.*

e] *l. scire 21 § 2. ff de Tutorib & Curatorib. datis ab his.*

f] *l. fratris 21. l. fratres 27. C. de inoffic. Novell. 1. in fin principii. Vers. Interdum verò etiam fratribus.*

g] *l. 1. C de sacros. Eccles.*

h] *l. p[illegible] vers. Legitimo[illegible] Non [illegible] adsertioni non statur.*

familiàs non posse fratrem præterire, nisi causas suspicionis judici vel cognitori probaverit [a]. Quia tantum abest, ut cautam suspicionis judici vel cognitori probare debeat: ut etiam suspicionis nulla causa addita, aut tactâ obiter, possit eum prorsus & omnimodo in Tutela præterire. Satis est Testatorem illis casibus dixisse: *Titius ille extraneus, vel Cognatus remotior, Tutor esto:* nullis prorsus omnino additis præteriti proximioris Adgnati causis.

a] *p. 66. d. vers. Legitimos ibi. sed non nisi causa suspicionis probata.*

OCTAVO. Valde quoque notandum est, quod addunt Neoburgici: *In* [b] *removendo legitimo Tutore voluntati pupilli non stari: cum propter judicii VIX DVM NASCENTIS IMBECILLITATEM, verum officium suorum Tutorum non intelligat: & PLERVNQVE salutarem severitatem odio, ac perniciosam ASSENTATIONEM AMORE prosequatur.* Nam cùm Neoburgici sciant, de Tutela Friderici V. (qui XV. ætatis annum ferè completum consecutus DEI gratia est, & plurium præterea linguarum & scientiarum, inprimis Sacrarum Scripturarum cognitione ad miraculum usque singulari Dei beneficio instructus est) hic potissimùm agi; mirum sanè est, cur intempestivè adeò dicant: *Pupillorum voluntati in removendo Tutore non stari, propter IMBECILLITATEM ingenii vix dum in eo NASCENTIS: secundò propter illam ingenii vix nascentis imbecillitatem VERVM officium suorum Tutorum NON INTELLIGERE: tertiò pupillum plerunque SALVTAREM severitatem odio habere, contrà perniciosam adulationem amore prosequi.* Iamdudum enim demonstrarunt Electorales Consiliarii, Fridericum V. Electorem, nequaquam pupillum, sed Minorem, vel (ut Sigismundus loquitur) IVVENEM, atque adeò in ea ætate esse, ut & Investituram petere & accipere, & si res exigat, ex consilio & arbitrio cognatorum repellere & excludere Adgnatum, ad tutelam se importunè & pertinaciter ingerentem, omninò possit [c]. Satis enim superque ipse iam intelligit, magnis ex causis & incredibili erga se amore permotum Serenissimum Dominum (patrem suum piæ memoriæ) in ultimo suo elogio de Curatore idoneo sibi prospexisse: cæterum prorsus incommodam ac detrimentosam illius tutelam sibi suæque domui fore, qui non ut Tutor, sed ut Successor, Iure proprio & libere dominari cupit, & qui sublimia illa Iura Electoralia, & cuncta ab his dependentia, in se unum devoluta & transmissa contendit: Et cum insuper Neoburgici [d] persuadere conantur, Ius & potestatem CORRIGENDI *Iuniores* illi competere. Videant itaque Neoburgici,

b] *p 66 vers. Multò minus pupilli Voluntati.*

FRIDERICVM V. Electorem, pupillum non esse, & posse ingerentem se tutorem reiicere.

c] *V. l. 6. C. de susp. tut. l. Impuberib. 7. & ib. Bart. n. eo tit. §. Impuberes. Inst. Fo. Grat. Cons. 44. lib. 1.*

d] *V. Supra ad 34. Respons. huius lib.*

e] *Respons. Apologet. pag. 40.*

[illegible] & e[illegible] statum agnoscant, & de tanto Principe, cui tam quam Palatinæ familiæ pro tempore Principi vel patri, reverentiam debent, hæc [illegible] [illegible] quanto [illegible] cautius & honestius. His addantur, quæ XXXX. Refutatione infra à nobis sunt tradita.

¶ AD TRICESIMAMQVINtam Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Bipontina Replicatio.

BIPONTINI [a] ex Augustani cuiusdam Iurisconsulti testimonio dixerunt: *Exemplum Principis Iohannis Casimiri huc non pertinere & omnino valere testamentum, quod ad alia dominia, quæ non indivisibiliter Electoratui sunt connexa: Alioqui in Ottonis Henrici Palatini Electoris potestate & arbitrio minime fuisset, Neoburgensem Principatum ad Ducem Wolfgangum Palatinum transferre.* NEOBVRGICI quid? *Se [b] non satis scire, QVO TITVLO aut QVA FIDE istius Iurisconsulti Augustani autoritas allegetur.*

a] *p. 66. vers. Trigesimoquinto.*

b] *p. 67. vers. Respondetur.*

SANE NON sine ratione prædicti Iurisconsulti autoritas allegata est. Potest enim dici, exemplum Principis Iohannis Casimiri huc non pertinere, & eo Neoburgicos uti non posse. Est enim multis modis diversum à Tutela per Neoburgicos prætensa (ut alio loco multis differentiis allatis probavimus): ideoque frustrà Neoburgici, Resolutionem prædicti Ducis Iohannis Casimiri ulteriori & pleniori suæ INFORMATIONI addendam curaverunt: frustrà quoque legitimam prædicti Ducis Tutelam pro se allegarunt, utpote diversam admodum ab ea quam prætendunt modò Neoburgici. SECVNDO ad rem facit, quod *de Ottone Henrico Electore dictum est*. Nam si Otto Henricus Elector potuit in Wolfgangum Palatinum Principatum Neoburgensem transferre: constabit ex eo satis, Electores posse quoq; non tantùm de liberorum tutela, sed etiã de bonis ipsis & bonorum successione aliquãdo & aliquatenus disponere, & non obstãte Bullarum prohibitione EA veluti DIMEMBRARE: aut saltem (quod succedaneum est) posse liberè disponere de bonis & prædictis, quæ indivisibiliter Electoratui non sunt connexa. Sin autẽ id jure factum ab Electore Ottone Henrico fuit.

patiantur itaque Neoburgici, Electores de bonis huiusmodi, & multò magis de Tutela liberorum disponere: Necidem semper adfectando, Iuveni Electori occasionem præbeant, de successione fortè disponendi, quantum jure & consuetudine illi permissum est. Sin verò prædictus Otto Henricus Elector nullo jure Principatum Neoburgensem in Wolfgangum transtulit, verum utique non erit, quod hîc proscripserunt Neoburgici: *Se quoad Electores & Electorales liberas ades habere.* quia nullo titulo Principatum Neoburgensem possidebunt: & sic quoad Electorales Palatinos, adeò liberum illum Principatum hodie non habebunt.

Sed pergamus ad alia.

¶ *AD TRICESIMAMSEXTAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontinorum.*

a] *p. 67. Vers. ad Trigesimumsextum.*

DVCIS Ioh. Casimiri Consiliarii Bullas Aureas melius intellexissent, si Bipontinorum vel Electoralium præsentium rationes cognitas habuissent.

b] *p. 67 vers. Respondent ipsa acta.*

Bipontini dixerunt [a]: *Serenissimum Iohannem Casimirum aliquid HVMANI passum, & errasse in eo, quod Testamentaria Tutela Ius per Aureas Bullas Caroli IIII. & Sigismundi Imperatorum sublatum esse adseruit.* Neobvrgici quid? Aiunt [b], *prædicta Acta respondere: & ea non prædictum Iohannem Casimirum, PRINCIPEM SOLERTISSIMVM atque PRVDENTISSIMVM, sed modernos Advocatos Heidelbergenses tempori inservientes, erroris manifesti arguere.*

c] *libro 4.*

d] *Ad Rom. 8. v. 27.*

Sed cvm Acta ipsa appellent Neoburgici, Acta proinde consulantur: & interim legantur, quæ ad Resolutionem integram prædicti Ducis Ioan. Casimiri, licet ex intervallo [c] non exiguo, tamen illustrandi veri gratiâ, non inutili exercitio ab initio ad finem usque lib. V. exposuimus. Iudicet interim (cùm Neoburgici conscientias Bipontinorum toties appellent) ὁ [d] ἐρευνῶν τὰς καρδίας, utri meliore Conscientia in huius causæ patrocinium descenderint, Neoburgici,

burgici, an verò Bipontini? Finem sanè & scopum, cui tanto conatu Neoburgici hanc infaustam litem & ceperint, & adhuc urgeant, qui attentiùs consideraverit, facile animadvertet, bonam conscientiam cum nimia cupiditate nunquam benè convenire posse. Electoribus profecto omnibus Laicis, & Electorum filiis, ac posteris in centesimam usq; generationem, ἀκήρυκτον & ἄσπονδον bellum indixerunt Neoburgici, cùm Iura libertatis omnium maximę & omnibus debitæ (testandi scilicet de Tutela, & tutoris testamento dandi) præripere, tantisque Iuribus eos exuere, & ad pallium (ut ita loquar) & crepidas, velut Philosophos, redigere conantur: & utrosque (Electores scilicet & eorum liberos) verbis & factis sæviter admodum oppugnant, incessunt, fatigant: quos contrà nos tueri legibus & rationibus, placidè, ut res postulat, & Iurisconsultos decet, pro virili tentamus.

Addunt [a] interim Neoburgici: *Cætera quæ huic objectioni sunt adnexa, satis & perspicuè refutata in nupera & Ulteriore Informatione Dusseldorpij excusa: & eo Lectorem studio brevitatis remittere.* Si ita est, quæ ad illum locum pariter ipsi scripsimus, Lector benigne, legere dignabere.

a] p. 67. vers. Cætera.

¶ *AD TRICESIMAM SEPTIMAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

Bipontini dixerunt [b]: *Ducis Bipontini patrem de Electoratu benè meritum, præcipuè cùm anno* cIↄIↄLXXXXII, *Richardus Comes Palatinus moveret Electori defuncto Quæstionem Status: ideoque Ducem ipsum Bipontinum meritò ad Tutelam Electoralem vocatum.* Neoburgici quid? *EFFUGIUM* [c] *illud satis esse frivolum. Nam de suo quemcunque, non de alieno debere largiri.*

b] p. 67. vers. Trigesimum septimum effugium.

c] d. vers. Trigesimum septimum.

Hic iterum existimationem nuper defuncti Electoris injuriâ aspergunt, ac si ille de alieno quidquam largitus fuerit. Sed sit ita: de suo quemque, non de alieno testari posse: quomodo probabunt Neoburgici, defunctum Electorem de Illustrissimi Principis

Neoburgici jure quidquam testatum esse?

a] *p. 68. lin. 1.*

MORTE an & quomodo extinguatur Dignitas Electoralis? & an transeat in tutorem?

Quia (inquiunt [a] Neoburgici) *Dignitas eligendi Romanorum Regem, & cætera Palatinatus officia, EXTINGVVNTVR MORTE, ut omnia alia, & TRANSMITTVNTVR ad heredem non non ante, quam XVIII. compleverit annos: eorum interim Administratione manente penes eos, quibus per Auream Bullam & providentiam Majorum est destinata. Itaque in potestate Electoris non fuisse, hanc DIGNITATEM ab ipsa lege datam adimere seniori & proximiori Adgnato, & eam conferre alteri remotiori per Testamentum: cum lex majorem, quam hominis voluntas, æquitatem in se habeat, ut supra latius sit ostensum.*

Sed Facilis est ad omnia prædicta Replicatio.

Primum negari potest, *Dignitatem eligendi Romanorum Regis, & cætera Palatinatus officia, morte extingui, ut omnia alia.* Quia dignitas ipsa eligendi non est personalis, quæ cum persona Electoris extinguitur, sed hereditaria est & successione defertur, ut ex Bullis Aureis apparet [b]. Hereditaria autem morte non extinguuntur. Nam ad heredem hereditaria statim [c] transeunt, si suus & ex liberis sit: vel ad extraneum heredem institutum, si adiit aut pro herede gessit: aut interim hereditas ipsa DOMINA [d] censetur, & DOMINI [e] loco habetur: aut rectâ viâ ad eum transit, quem Lex nuncupavit vel vocavit: aut fit caduca, & fisco [f] locus est. Ac propterea cùm de Principatibus hereditariis potissimùm agitur, Dignitatem ipsam, & Principatum extingui nemo dixerit: quia licet [g] Princeps ipse moriatur, eius tamen Dignitas non moritur. Et ita quoque prædecessoris & successoris VNVS [h] esse Proconsulatus dicitur. Adhæc, si dignitas eligendi Romanorum Regem morte extinguitur (ut dicunt Neoburgici), quæri poterit, an ita prorsus extincta sit, ut apud nullum amplius existat? Minimè. Nam (ut diximus) hereditaria est. An verò apud pupillum Electoralem existet? Negant Neoburgici. Aiunt enim, illam dignitatem eligendi non ante transmitti ad heredem, quàm XVIII. annos compleverit. Eritne apud Tutorem & Administratorem? Ne id quidem, si verum est, quod aiunt initio Neoburgici, Dignitatis illius administrationem interim penes eos esse, quibus per Auream Bullam & providentia Maiorum destinata est. Differunt enim hæc duo, Dignitatem & Dignitatis administrationem habere. Nam qui dignitatem eligendi propriè habet, eam à se habet, non ab alio. At dignitatis admini-

b] *c. 7. & 24. Carol. IV. Bullæ & Bulla Sigismundi.*
c] *l. in suis ff. de liberis & posthum.*
d] *l. liber homo 13 § 2. l. ob id 43. ff. ad l. Aquil.*
l. non minus 31. in fin. ff. de heredib. instit.
l. hereditas 61 ff. de adquir. rer. dom.
l. denique 13. § 5. inf. ff. quod vi aut clam.
l. 1. § 1. ff si is qui testamento liber.
l. cum hereditas. 9. Cod. depositi.
e] *l. si post aditam 15. ff. de interrogationib.*
f] *Novell. 1. & Cod. de bonis vacantibus.*
l. unic. Cod. de caducis toll.
g] *l. quod Principi relictum est. 56. & ibi Bald. ff. de legat. 2.*
h] *l. Meminisse 10. ff. de officio Proconsulis.*

nistra-

nistrationem habere, est ab alio non à se habere. Sed clariùs & apertius postea loquuntur Neoburgici: *Dignitatem illam eligendi ab ipsa lege datam esse seniori & proximiori Adgnato.* Mirum, quòd non pariter dicant, fructus & reditus Electorales, cum omni causa, utilitate & dignitate, Administratoris fieri. Sic enim alibi quoque scripserunt: *Nec NOMEN*[a], *nec OFFICIVM, nec DIGNITATEM Electoralem in Primogenitum ante eius XVIII. annum, imo ne PRINCIPATVS*[b] *quidem transmitti: sed EA omnia habere proximum Adgnatum.* Ex quibus apparet, cùm hîc Administrationis verbo utuntur Neoburgici, non nudam & sterilem administrationem eos rei pupillaris, & sic alienæ, sed opimam & plenam administrationem rei suæ & propriæ intelligere, quam Adgnatus consecutus sit & habeat ex Majorum scilicet providentia, non ut Tutor, sed ut successor. Sed longè aliter res habet, ut paulò post fusiùs ostendemus.

a] *In brevi Informat. p. 15.*

b] *In ulteriori Informat. pag. 4. b §. Ad secundum. ibi. Vna cum* PRINCIPATIBVS.

Ceterum esto: Dignitas illa eligendi data sit Tutori: addimus tamen, datam tantùm, cùm DE IVRE TVTOR esse debebit, id est, cùm ab intestato Tutor existet, & nullus alius Testamentarius Administrator præcedet. DE IVRE namque qui sunt tutores omnes (id est Iure & legibus ad Tutelam aliquam vocati) nunquam ad Tutelam admittuntur, nisi testamentariis Tutoribus deficientibus: quia testamentarij tutores, semper[c], semper legitimos præcedunt.

c] *Instit. de legitima Adgnatorum tutela.*

SECVNDO vera non est Neoburgicorum collectio: *Dignitas eligendi per Auream Bullam & Majorum providentiam destinata est proximiori & seniori Adgnato: Ergo non potest alteri ex Testamento conferri: cum lex maiorem, quam hominis voluntas, æquitatem in se habeat.* Quia dignitas illa proximiori & seniori Adgnato destinata tantum est ab intestato, ut diximus: Et sic nec Electorem testari de liberorum suorum tutela, nec testamenti factionem impedit. Imò contraria hæc collectio verissima est: *Dignitas eligendi Regem Romanorum, proximiori & seniori Adgnato nonnisi DE IVRE, id est, ab intestato tantum, per Bullam Auream & Majorum providentiam destinata est: Ergò potest nihilominus Elector per Bullas Aureas de Tutela liberorum suorum testari, non obstante proximiori & seniori Adgnato per Bullas ad Tutelam Electoralem tunc demum vocato, cum de Iure Tutor esse, id est, ab intestato & legitimus esse debebit.*

TERTIO

TERTIO. Verum non est etiam, quod aiunt Neoburgici: *Legem* [a] *majorem æquitatem in se habere, quam voluntas hominum habeat*, in destinanda scilicet Tutela Electorali. Nam hoc multis antea [b] rationibus profligavimus, & ostendimus, longè justiores, utiliores & certiores esse Tutelas testamentarias legitimis & ab intestato tutelis, & majorem æquitatem esse in Tutelis testamentariis quàm in legitimis. Et verò nisi ita esset, nunquam Romani Tutelas Testamentarias, sed legitimas tantùm admisissent.

a] *p. 68. vers. cùm lex majorem.*

b] *lib. 3. refutat. 32.*

QVARTO distinctionem & interpretationem necessariò admittit, quod à Neoburgicis dicitur: *Dignitatem* [c] *eligendi ad heredem non transmitti, antequam XVIII. annos compleverit.* Potest enim & debet res ita commodè distingui, dicique: *Dignitatem quidem Eligendi statim à morte Electoris ad Primogenitum (licet impuberem) transmitti, ut Iuvenis Elector dominio & proprietate sit: Dignitatem verò (id est, Dignitatis illius Electoralis exercitium vel ministerium) penes Tutorem & Administratorem esse.* Nam ut id dicatur, movet me Bulla Caroli IIII. [d] quæ prohibet *Dignitatem Electoralem a proprietate & dominio ditionis Palatinæ dividi & separari: ut apud unum sit proprietas, apud alium Dignitas.* Ex his itaque dicendum est, *DIGNITATIS Electoralis proprietatem & dominium apud primogenitum esse: exercitium verò, usum & ministerium, apud Tutorem.*

c] *p. 68. vers. linea 3. uti & transmittuntur ad heredem.*

d] *Titulo 20.*

AT, inquient Neoburgici, Bullæ volunt *Tutorem jus, vocem, dignitatem & potestatem Electionis, Primogenito puberi facto ASSIGNARE & RESTITVERE. Igitur Tutor Dignitatem Electoralem habet: alioqui restituere non posset?* Sanè dignitatem habet, quo modo scilicet vel quo sensu nunc & proximè diximus: nempe dignitatis exercitium, usum & ministerium. Et ita quoque prædictæ Bullæ verba accipienda sunt, ut vitetur contrarium superius: & in absurdum ne incidamus, dicendo, nudam proprietatem & dominium bonorum apud Primogenitum esse, Dignitatem verò Electoralem totam apud Tutorem manere. Dignitatis itaque Electoralis exercitium & ministerium Tutor habebit velut in deposito, quod velut depositum bonæ fidei, Primogenito puberi facto restituere protinus debet: ut & exercitium & Administrationem Tutor vel Curator restituit Minori ætatis suæ facto. Absurdum est enim putare, Tutores & Curatores Tute-

Tutela constante rerum pupillarium dominium habere, & Tutela finita dominium illud pupillis maioribus factis restituere. Quid igitur? Tutores illo casu, non dominium (quod nunquam habuerunt) restituunt, sed exercitium, ministerium, & jus sive ipsum potius actum administrandi, quem tantùm habuerunt: quia non domini, sed Tutores tantùm extiterunt.

At Tutores *Domini* alicubi [a] dicuntur: Sanè dicuntur: sed illo tantùm sensu, quo diximus: id est, administratione [b] & providentia [c]. Ac propterea locis aliis, non domini, sed *qu si domini*, & *dom in vice* [d], vel *domini loco* esse dicuntur tutores. Tutores alioqui rerum vel jurium vel dignitatum pupillarium re ipsa domini & proprietarij non fuerunt, non sunt, neq; erunt unquam: sed custodes tantùm & depositarij, exercitium dignitatis ad pupillum pertinentis habentes. quod depositum vel exercitium finita tutela & cura reddere ac restituere integerrimè debent: ut ita exercitium dignitatis, ad dignitatis proprietatem redeat, & fiat CONSOLIDATIO, jureque Consolidationis Primogenitus ætatis suæ factus plenissimam tunc Electoralem dignitatem habeat: ut de usufructu ad proprietatem reverso, & ei consolidato [e] dicere aliàs solemus: *Proprietatis dominum tunc* [f] *in re plenam potestatem habere.*

a] *V. l. qui fundum 7 § si Tutor. ff. pro emptore.*
b] *d. l qui fundum.*
c] *l. Tutor qui tutelam 27. ff. de administrat. tut.*
d] *l. is qui in puteũ 11 §. Ignoscitur. 7. ff. quod vi.*
e] *§. 3. Inst. de usufr. l. 3. ff. de usufr.*
f] *§. ult. Inst. de usufruct.*

QVINTO non abs re (puto) fuerit, distinctionem Dignitatum hereditariarum à non hereditariis uno saltem Iuris exemplo confirmare: ne temerè vel indistinctè cum Neoburgicis dicamus vel putemus, *Dignitatem eligendi cum Electoris persona mori vel extingui, sicut & alia morte moriuntur.* Verum enim non est, omnia officia morte extingui, sed personalia tantùm. Sciunt Neoburgici, Militias quasdam Romanas fuisse hereditarias, & non hereditarias: Hæ moriente milite extinguebantur, nec ad heredem transmittebantur: Priores verò transmittebantur [g], imò vænales erant, & pignori dari poterant. Hæc in præsenti satis: alibi fusiùs aliquando.

MILITIÆ Romanæ quædam hereditariæ.

g] *l. ult. Cod de pignorib. l. 5. Cod qui militare poss. l. 30. §. ult. ff. de inoffi. testo. l. restituenda Cod de advocat. divers. Iudic. Novella 35 & 53 ubi videndus est Cuiacius.*

Ex prædictis interim apparet, dignitates hereditarias, ut Electoralis est dignitas, non à hereditariis omnino distinguendas esse.

¶ *AD TRICESIMAM OCTAvam Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

a] p. 68. vers. *Tricesimo octavo.*

CONTROVERSIÆ & lites Neoburgico cõplures sunt adversus Electoratum Palatinum: De feudis quibusdam Iuliacensibus, & vectigalibus quibusdam auctis.

BIPONTINI dixerunt [a]: *Permultas esse controversias Principi Neoburgico cum moderno pupillo Electorali, præcipuè de comitatu Novæ Aquila, Baronatu Mobach, aliisque dominiis (quæ post mortem ultimi Ducis Iuliacensis ad Electoratum devoluta sunt): item de aucto vectigali in Ducatu Neoburgico, quo subditi Electorales gravantur: Ac propterea prædictum Principem Neoburgicum MINVS IDONEVM administrando Electoratui esse: & eam fortè causam fuisse, propter quam etiam antehac ab Electore quondam Ludovico in adjungendis Principi Iohanni Casimiro Contutoribus, prædictus Dux Neoburgicus præteritus fuerit.* NEOBVRGICI quid? *Instantiam hanc* [b] *Bipontinorum supra ad nauseam refutatam esse, ideoque se nolle actum agendo lectori molestos esse.*

b] Vers. *Quia verò est eiusdem argumenti.*

IGITVR, cùm & nos pariter illo loco Neoburgicis satis superque satisfecerimus, Lectorem rogamus, ut quæ à nobis dicta, probata, refutata illo loco fuerunt, legere, & cum Neoburgicis conferre velit. Vnicum tamen hoc addunt [c] Neoburgici, nempe *cum prædicto Ludovico Electore familiarissimè vixisse: jus vicinitatis & amicitiæ sanctè coluisse: NEC VERVM ESSE, subditos Electorales, multò minus Ambergenses, augmento vectigalis Neoburgici contra expressam conventionem gravatos: Huic Bipontinorum adsertioni evidentiam facti contradicere: Quinimò hanc auctionem vectigalis, & Cæsaris & reliquorum Electorum consensu factam esse.*

c] p. 68. vers. *Hoc unicum addentes.*

Quid si Bipontinus hic exclament: *ô tempora! ô mores!* Quo enim jure vel colore scriptores illi Neoburgici tam audacter negare audent, Electoris Palatini subditos contra expressam conventionem augmento vectigalis gravatos? Qua fide, qua conscientia, ignaris harum rerum insinuare & persuadere volunt, Neoburgicum Principem cum piè defuncto Electore Ludovico, moderni Electoris avo, sanctè

vicini-

vicinitatis & amicitiæ jus coluisse: imò evidentiam rei comprobare, quòd Ambergenses & alij contra pacta conventa nunquam gravati fuerint, neque adhuc hodie graventur? Quid si Heidelbergenses utantur & ipsi hîc conduplicatis istis formulis Neoburgicorum, atque allegent *hoc esse, notorium, manifestum, evidens, perspicuum, clarum, nec negari ullo modo posse a quoquam, nisi cavillationes quærente, aut conscientiam suam vulnerante*. Quid si utantur testimonio, quod omni exceptione majus est, TRIVM nempe CIRCVLORVM Romani Imperij, FRANCONICI, BAVARICI, SVEVICI, Qui apud Imp. Ma.tem contestati sunt, Neoburgicum Principem limitatæ concessioni huic non adquievisse: sed ENORMITER ET MVLTIS MODIS CONTRAVENISSE: omnes illos Circulos supra modum permissum extorsionibus indebitis vexasse: locis etiam insolitis novas vectigalium exactionem instituisse: Reversales suas Electori Palatino datas, & fide ac sigillo suo munitas, minimè observasse: Decretum Spirense, & Circulorum istorum monita sprevisse: variis rationibus beneficio hoc abusum esse: quodque violenter indebita adhuc quotidie extorquere pergat. VERVM ergò est, & firmum, ac trium Romani Imperij Circulorum testimonio comprobatum manet, Quòd Neuburgicus Princeps Francos, Bavaros Suevos indebitis vectigalium extorsionibus gravârit, & proinde falsò à Neoburgicis scriptoribus objectum, NON VERVM ESSE, *Quòd Neuburgicus indebitis vectigalibus Electorum aliorumque Ordinum subditos gravaverit*.

Die beständige warheit ist / das groblich vnd vielfaltig darwider gehandlet worden.

Quin etiam intelligimus, exstare & cùm opus erit, produci posse aliquot querelas, & expostulatorias sæpedicti Illustrissimi illius Electoris Ludovici p. m. Epistolas ad ipsummet hunc Neoburgicum Principem & ad alios scriptas, exstare etiam eiusdem Ludovici Edictum publicum typis anno MDLXXVII. evulgatum, quibus omnibus Princeps ille Elector graviter incusat Neoburgicum: Quòd is contra Ambergensium notoria privilegia, contra concessionis expressam condicionem, contra Reversales sigillo ipsiusmet Neoburgici Principis munitas, Ambergenses aliosque Electores subditos indebitis vectigalibus gravârit: Insuper doceri pluribus posse, ab unis & solis Ambergensibus aliquot millia florenorum injustissimè contra prædictas conventiones ac promissiones jam ab aliquot annis extorta & expressa esse: sed & has extorsiones adhuc hodiè continuari, ipsâ evidentiâ demonstrari aiunt: sæpenumero, atque adeo & nuper adhuc Ambergenses de hoc conquestos esse. An autem istiusmodi exactoribus tutelaris administratio & im-

perium in Ambergenses, & alios pariter gravatos Electorales subditos permittendum sit, quivis æquus æstimator judicet.

QVOD AVTEM ad palliandas istas extorsiones in Neob. Apologetica subiicitur, *Cæsarem & reliquos Electores in hanc vectigalis auctionem & exactionem consensisse*, hoc modo quo & pleraque alia, à Neoburgicis allegatur. Consensus enim ille Cæs: Majestatis & Electorum certis legibus & condicionibus expreßè limitatus est. (*Certa tamen*, ait Imp. *ac definita & limitata hac condicione & modo.*) nempe I°. *Vt cùm præfiniti anni Conceßionis expiraverint (qui intra paucos annos expirabunt.) auctio illa ceßet*: II°. *Vt Cæsaris & Electorum subditi, Officiales & aliæ privilegiatæ personæ, illorumque bona, ab hac auctione immunes sint, eàque nullo modo graventur.* Quas condiciones se observaturum ac nullo modo contraventurum Neoburgicus Princeps sanctè promisit, huiusque promißionis Instrumentum seu Reversales dedit, in quibus expressa sunt verba illa: *Quod sub fide & honore Principis promisit, ac se obligavit, se prædictos Electorum subditos, illorumque bona non supra antiquum vectigal gravaturum, sub pœna amittendæ istius impetratæ auctionis, in quam IPSO FACTO, si ullo modo contravenіat, incurrere debeat: Cum renunciatione omnium exceptionum.* At huic obligationi in hunc usque diem multis annis, multis modis contraventum, atque ab Ambergensibus, reliquisque Electoralibus Palatinis subditis auctionem illam vectigalis exactam esse, atque etjamnum injustißimè exigi & extorqueri, querelæ illorum ostendunt. Contrà Illustrißimus Dux Iohannes Bipontinus p. m. eiusque Filius, Electoralis noster Administrator (consortes istius impetratæ concessionis & auctionis) condiciones & limitationes ejusdem bona fide impleverunt. Ideoque mirandum non est, quòd & Ludovicus & Fridericus IIII. Electores Agnatum hunc Neuburgicum à Tutela liberorum suorum prorsus exclusum voluerunt: & ille potiùs extraneos Principes, hic potiùs uno gradu remotiorê Agnatum, Illustrißimum Administratorem nostrum, pacta conventa & fidem religiosè servantes, ad Tutelam vocaverint.

Mit gewisser / bestimten / limitirten maß vnd bescheidenheit.

Geloben / versprechen obligieren vnd verbinden vns / bey vnsern Fürstlichen ehren vnd waaren worten.

ET QVONIAM Neoburgici publicis suis scriptis ista pernegare audent: interim iniustißimè illas exactiones, contra Electorales subditos (in quos liberũ Imperium Neoburgici maximis studiis enixißimè affectant, [illegible] ἐπιρρίπτειν ἑαυτῷ, ut Modestinus IC. loquitur) continuant: non deerunt, qui haud multo post inter plures suspecti Tutoris causas etiam hanc prolixiùs demonstrabunt. Inficicationibus autem suis Neuburgici videant, ne jam causam prebeant renovand

prædictum mandatum Ludovici Electoris, & de tuendis Electoralibus subditis contra illas injustissimas exactiones & extorsiones, ac de recuperandis eis, quæ hactenus contra concessionis Imperatoriæ limitationes, contra omnium Electorum conventas & expressas conditiones, contra ipsiusmet Neoburgici Principis solennes promissiones extorta sunt, rationem inveniendi.

ADDIMUS insuper, Non solùm prædictas inter Electoralem heredem & Neoburgicum Principem esse controversias, sed nullum omnium Palatinatus Electoralis vicinorum esse, à quo ita controversiis, attentatis, litigiis divexatus & molestatus hactenus fuerit, atque etiamnum hodie adhuc vexetur, quàm à Neoburgicis. Quod ipsum fortassis & alii, qui Neoburgicis vicini sunt, conquerentur.

MANET etiam firmum, quòd de Comitatu Novæ Aquilæ, de Baronatu Mobach, & aliis dominiis (quæ post mortem ultimi Ducis Iuliacensis ad Electoratum reversa esse dicuntur) inter Electorem Palatinum Iuvenem & prædictum Ducem Neoburgicum controversiæ adhuc hodie existant. Nam tametsi jure veteri [a] propter litem cum pupillo vel adulto Tutor vel Curator excusationem non habeat (nisi fortè de omnibus bonis, aut maiore eorum parte, vel hereditate controversia sit): potest tamen, imò debet novo [b] jure debitor pupilli, vel QVI RES EIVS TENET eive obnoxius est, ab eius Tutela vel Cura prohiberi. Causas prohibitionis huius Lector apud Iustinianum [c] & Harmenopolum [d] elegantes & justissimas omnium deprehendet.

a] *l. propter litem 21. π de excusat. Tut. l. si ut allegas 16. C. de excusat. Tut. §. propter litem 4. Inst. de excusat.*
b] *Novella. ut hi qui se obligatàs 72. authẽt. minoris debitor. C. qui dare Tutores.*
c] *d Novella 72. c. 1. ubi v. Cuiacium.*
d] *lib. 5. tit. 11. §. 39.*

Nec sanè in desuetudinem Novella illa venit, cùm rationibus divini & humani Iuris nitatur: quamvis illud velint Neoburgici, qui quoties commodum ipsis est, Iuris Communis regulas allegant; quoties ipsis sunt contrariæ, abrogatas illas esse, vel in desuetudinem abiisse profitentur: ac si in ipsorum foret arbitrio, Leges pro libitu figere ac refigere. Sed ad rem. Tutor, qui prædictæ Iustiniani Constitutioni non paret, nec excusat se, cùm sit debitor, illa Novella tenetur. Ac præterea, cùm unica [e] tantùm Mater & Avia (creditrix licet, vel debitrix) ad Tutelam filii vel nepotis admittatur (quòd extra suspicionem omnem sit) dicendum est, id privilegium nullis Adgnatis dari, & Adgnatis, licet proximiores & seniores sint, concedendum esse: ut & alio loco plenius diximus. Et notandum quoque est, illa Iustiniani lege Matrem vel Aviam debitricem filii vel nepotis Tutela eius prohiberi, si secundas nuptias contraxerit: ut id multò ma-

e] *Novella 94. & 118.*

Kkk 3

gis in Adgnatis sit dicendum, si creditores vel debitores pupillorum (quorum Tutelam adfectant) in matrimonio positi fuerint, nec spem proximam ei succedendi (ut Matri & Aviæ) pupilli habuerint. Deniq, ad Adgnatum Tutela Adgnati removendum sufficit, novo [a] jure Adgnatum proximiorem res Adgnati IMPVBERIS TENERE vel POSSIDERE, eique OBNOXIVM [b] esse: & id etiam magis dicendum esse, quòd lites illæ de feudis Iuliacensibus ad Electoratum reversis sint de Comitatu novæ Aquilæ, Baronatu Mobach, & aliis non contemnendis bonis, prædiis & latifundiis. Hinc enim constat, magna dominia esse, ac propterea ob quantitatem debiti Tutorem legitimum à Tutela removendum esse, ut solent cæteri [c] Adgnati, magna debiti mole pupillis obnoxii.

a] *d. Novella 72.*

b] *Glossa Bart. & cæteri Dd in Auth. Minoris C. Qui da. tut. poss. Iulianus Patricius Constitutione 65. c. 2.*

c] *V. Accursium & Bald. ad Authent. minoris debitor. C. qui dare Tutores.*

Sed de hac Iuliacensi causa ab aliis brevi plura in publicum, ut audio, prodibunt, quibus evincetur, vel ob unicam illam controversiam Neoburgicos ad hanc Tutelam non admittendos, etiamsi nullum exstaret Testamentum.

¶ *AD TRICESIMAMNONAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Bipontina Replicatio.*

d *p. 69. vers. Tricesimanona.*

BELLIS & sumptibus implicatus, an possit esse Tutor?

e] *p. 66. vers. Sed cohibere: ibi, non enim nos fugit, quo & auxilio & consilio.*

BIPONTINI primùm omnium dixerunt [d]: *Principem Neoburgicum bellis & sumtibus supra vires implicatum, ideoq, pro Tutore non admittendum esse.* NEOBVRGICI quid? *Bipontinos* [e] *scire, bellum Iuliacense auxilio & consilio Principum Vnitorum gestum: decretumque, communibus auxiliis & viribus Principem Neoburgicum & Brandeburgicum defendendum esse.*

SED QVA fide Neoburgici id allegent (Decretum scilicet ab Vnitis fuisse, communibus Principum Vnitorum periculis & viribus Principem Neoburgicum & Brandeburgicum in Iuliacensi causa defendendum esse) hoc omnes Vniti Principes & Ordines nôrunt: Qui ex liberrima benevolentia tantùm certum & definitum auxilium promiserũt: Omnia pericula & omnem defensionem nunquam in se receperunt. Sed huius loci non est, pluribus ista iam deducere: suo namque tempore,

pore, fieri poterit hoc rectiùs. Et facilè intelligunt omnes, in quantos ſumptus, in quanta pericula Electoratum hunc demerſurus fuiſſet Neoburgicus Princeps, ſi omnium dominiorum & redituum Electoralium Adminiſtratio ipſi, (aſſerenti nempe iſta & enixiſſimè expoſtulanti) libera, & uti domino, vel quaſi domino permiſſa fuiſſet. Ius autem noſtrum [a] magna & juſtiſſima ratione vult, ad tutelam minimè admittendum eſſe, qui pupillum ad tanta onera ſibi obligatum & obnoxium allegavit. De quo & alii brevi, plura, ſi his adquieſcere Neoburgici non volent.

a] *Novell. 72. cap 1. Auth. Minoris debitor C. Qui de tut.*

SECVNDO Bipontini dixerunt [b]: *Proximiorem & ſeniorem Adgnatum ad Tutelam admittendum non eſſe, præſertim cùm Tutelam tam enixè & cum tantis minis adfectet.* NEOBVRGICI quid? *Hanc Bipontinorum concluſionem ATROCITER [c] INIVRIOSAM eſſe & Fictam.*

b] *p 69. verſ. Triceſimanona: ibi, præſertim cum Tutorem.*

ADFECTANS enixe & cum maximis minis Tutelam, an ſit ad Tutelam admittendus?

ITA SOLENT Neoburgici ad omne, quod adverſus Neoburgicos à Bipontinis juris ſui tuendi cauſa dicitur vel ſcribitur, ATROCITER INIVRIOSVM eſſe, dicere. Sed ſi Tutelam Neoburgici non adfectant, cur toties moniti nullum jus ipſis Tutelæ competere, tot Informationes, Reſolutiones, Reſponſiones, & id genus ſcripta varia publicitus edunt, & in Tutela Electorali vindicanda pertinaces adeò exiſtunt?

c] *d. verſ. Triceſima nona Bipontinorum concluſio etiam atrociter iniurioſa eſt, fingens &c.*

At *Tutelam deberi ſibi* dicunt? Iuſtè, nec ne, Lectores, Iudicesque (facta ſcriptorum Electoralium cum Neoburgicis collatione) definiant ac ſtatuant. Quin dici poteſt, Neoburgicos non tantùm hanc Tutelam Electoralem adfectare enixè, ſed etiam (quod ambientium & adfectantium indicium eſt) non uſitatis modis perſequi. Nam juris viam ordinariam in hac cauſa Tutelari refugiunt, ad quam tamen in cauſis & controverſiis Iuliacenſibus Electorales remittunt. Verùm, quia & alibi de hoc quoq; diximus, & iam alios in deducendis cauſis quaſi ſuſpecti Tutoris occupatos ſcimus, plura dicere nunc ſuperſedebimus.

TERTIO Bipontini dixerunt [d]: *Proximiorem & ſeniorem Adgnatum Tutelam Electoralem adfectare tam enixè, ut etiam nullum CONTVTOREM, nullam CONDICIONEM, nullum MODVM ſe admiſſurum, non ſemel conteſtatus ſit.* NEOBVRGICI quid? *Quærunt [e], quis unquam Bipontinorum, quo loco, quo tempore, & à quibus audiverit, Neoburgicus ex hac parte quæri Adminiſtrationem omnimodo*

d] *p 69. verſ Triceſimanona: ibi, ut etiam nullum Contut.*

LIBERAM à Contutore, condicione, modo, Tutelam poſtulant Neoburgici.

e] *p. 69 verſ. Quid verò unquam.*

mnimodo LIBERAM & ABSOLVTAM, id est omnis modi vel condicionis expertem: adeoque nullis vel legum, vel rationis, vel discretionis, & temperamenti Politici regulis moderatam.

SANE EX sequenti Neoburgicorum confessione id constabit evidenter. PRIMO quia verbis [a] expressis fatentur, *Neoburgicum & sentire & dicere, ex Aurea Bulla SIBI SOLI de jure deberi, & quidem LIBERAM, Tutelam & Administrationem Electoralem.* SI SOLI volunt Tutores esse, & LIBERAM Tutelam habere: sanè LIBERTAS Electorum in testando nulla fuerit: nisi quis credat vel dicat pariter, Neoburgicos in testando liberos esse, si lege aliqua vel condicione coacti fuerint, me solum & unicum heredem instituere vel Tutorem dare. Sciant liberum non [b] esse eum, cui quid vi vel jure facere non permittitur: liberum (inquam) non esse, in eo scilicet quod vi vel jure facere prohibetur, licet aliàs liberam suam condicionem non mutet. SECVNDO. Vtut ista negent Neoburgici, tamen aliquot documentis ea probari possunt, & cùm causa in Iudicio ventilabitur, edentur illa. Sufficiat inpræsentiarum, quòd ipsemet Neoburgicus Princeps ad fratrem suum Iohannem Comitem Palatinum, Ducem Bavariæ &c. Administratoris nostri patrem piæ memoriæ, sub dato XXX. Augusti Anno MDCII. eadem scripsit, quæ defensor testamentariæ tutelæ allegavit, & inde hausit. Illa Neoburgici legant, & cum hac sua inficiatione conferant.

a] *p. 69. in fin. vers. Illud id confessio est. lin. antepen. & seq.*

b] *l. libertas. 4. π. de statu hominum.*

NEQVE OBSTAT, quod fatentur Neoburgici: *Se sentire & dicere, LIBERAM Tutelam & Administrationem Neoburgico soli deberi, sed ita [c] ut habeatur ratio 1. Electoris defuncti. 2. Serenissimæ viduæ. 3. pupillorum Electoralium. 4. Regiminis Politici. 5. Status Ecclesiastici. 6. subditorum & quamplurimorum aliorum, quæ recensere nimis longum foret: & quod in illis omnibus Administratoris DISCRETI sit ita versari, ut QVOAD FIERI POTEST, à Testatoris voluntate, QVAM MINIMVM RECEDAT: Eamque fuisse Principis Neoburgici sententiam semper. & adhuc: Testem esse eius CONSCIENTIAM.* Multi sunt enim in hac protestatione & pollicitatione defectus, & quidem maximi. *Primò*: quia licet LIBERAM illam Tutelam Electoralem (quam petunt) sex & pluribus etiam casibus limitare vel restringere initio videantur Neoburgici: nihil tamen eo promovebunt. Quia protinus & illicò LIBER-

c] *p. 70. in princ. lin. 1. ibi, sed ita tamen.*

LIBERAM Tutelam à Contutoribus condicionibus & modis omnibus Neoburgici sibi prætendunt, quidquid dicant.

LIBERTATEM illam Tutelæ, quam petunt, in infinitum extendunt, & DISCRETIONI Proximioris Adgnati, limitationes illas omnes subjiciunt. Hoc enim verbo, DISCRETIONIS scilicet, quid quantumve proximiori Adgnato tribuatur, norunt qui vel in Iure, vel Interpretibus sunt versati. Nam licet vox illa viri boni arbitrium prima facie ostendere videatur [a]: *Discretio* tamen illa, in manu superiorem nullum habentis, & in rerum ipsarum, de quibus agitur, possessione constituti posita, & jam testantis palam, vel adserentis, *quasdam ex conditionibus a defuncto Electore propositis, existimationem & conscientiam proximioris Adgnati lædere*, utique valde lubrica fragilis & suspecta est. Quia proximior Adgnatus animi sui motum jam detexit [b], & quid DISCRETIONIS verbo intelligat, satis prodidit. *Secundo* volunt Neoburgici, ut proximior Adgnatus QVOAD FIERI POTEST, voluntatem Electoris servet. Ad hac Clausulâ *QVOAD fieri potest* (satis & ipsâ captiosâ) jus omne Tutelæ Electoralis, Tutoris arbitrio committunt, & Electoris voluntatem inutilem reddere possunt: quin Tutorem ipsum, judicem in hac causa faciunt, ut defunctum Electorem intestatum reddat. Semper enim Tutor dicere poterit, condiciones à defuncto propositas jure impleri non posse, velut existimationem & conscientiam lædentes: Condiciones quippe huiusmodi successoribus legatariis & Tutorib. remitti velut impossibiles de jure: & ea nos non posse, quæ non nisi inhoneste [c] possumus. *Tertio*. Clausula, VT QVAM MINIMVM *recedat Tutor à Voluntate defuncti*, non modò prodit animum Tutoris RECEDERE in aliquo jam cogitantis & volentis ab Electoris defuncti voluntate, sed infinitam recedendi potestatem (licet minimam recedendi prætexat & offerat) ei tribuit. Quis enim definiet MINIMVM illum Tutoris à voluntate defuncti Electoris RECESSVM? Est enim in [d] summis, in contractibus, ultimis voluntatibus & debitis, τὸ *minimum* semper arbitrarium, & in arbitrio [e] judicis positum. Quot itaque judicia, quot strophæ, quot ambages, in hoc MINIMO RECESSV interpretando, vel finiendo occurrent?

a] *Gloss. in c. cum virum. 12. in princ. Extra de regularib. & in c. non solum. 2. in verbo rationis, de regularibus in 6. Menoch. 1. de arbitrariis 8 n. 42. 25.*

b] *l. observandum: 19. in fin. ff. de offic. Præsidis.*

c] *l. conditiones: 4. l. filius. 15. ff. de condit. & instit.*

d] *l. 39. §. 6. ff. de legat. 1. l. 43. in fin. ff. de legat. 2. l. 29. §. 1. l. 71. ff. de legat. 3. l. 1. l. 83 § 3. l. 109. ff. de verb. oblig. l. 32. in fin. l. 42 ff. de pœnis. c. in obscuris: 30. de Regulis in 6.*

e] *Iohannes & Glossa in l. 2. ibi ex minima parte ff. quod cum eo. Gloss. in c. sedis Apostolica 15. in verbo Maiores & digniores de rescriptis. V. Menoch. 1. de arbitrariis 95 ubi de effectu illorum verborum plus & minus latè differit: & 2. de arbitrariis 72. ubi de magna vel levi læsione. Adde eundem casu 78. ubi etiam tractat, quando Conductor, Vasallus, Emphyteuta, fructuarius & inquilinus in re à se possessa male versari dicantur.*

SECVNDO. Esto: & prædicta vera concedantur: & (quod maius est) à voluntate defuncti recedendi ne latum quidem unguem Neoburgici animum unquam habuerint: suo tamen ista vel talia tempore & loco

INTEMPESTIVÆ Oblationes Neoburgicorum.

dici, allegari, repeti, inculcari, offerri à Neoburgicis oportuit, ut ea defunctus sciret Elector: alioqui (rebus amplius hodie non integris) seriùs ista videntur dici. Itaque valde dolendum est, civiles, & honestas, & pias huiusmodi Restrictiones & limitationes tempestivè propositas, & à Neoburgicis insinuatas Electori defuncto vel Bipontinis non fuisse. Atenim ut propositum[a] in mente retentum nihil operatur: ita dictum, factum, oblatum non opportuno tempore vel loco, dicenti vel facere volenti, vel offerenti nihil prodest, vel prodesse potest. Suis enim quæque temporibus[b] fieri oportet: alioqui serum, intempestivum & inopportunum est, & facientem non adiuvat. Id enim est, quod vulgo dici solet, *μετὰ τὸν πόλεμον ἥκει*, *post bellum adesse*.

a] *l. si repetendi 7. Cod. de condict. indebiti.*

b] *l. item quæritur. 13. § 1. in l. si merces 25. § conductor 3. ibi. suo quoque tempore ff. locati: l. si soluturus 39 ibi si in. opportuno tempore ff. de solut. l. qui conventus 14 in fin. ff. de re milit.*

c] *p. 70 vers. illud vero tacendum non est.*

RECVSAVERINTNE simpliciter Condiciones à defuncto Electore propositas Neoburgici: & liberam & omni condicione solutam Tutelã petierint?

Tertio non obstat, quod *fatentur quidem Neoburgici, Tutelam certis condicionibus a defuncto Electore Illustrissimo Neoburgico oblatam fuisse negant*[c] *tamen, à prædicto Duce Neoburgico SIMPLICITER REPVDIATAM. Negant etiam, Tutelam Electoralem LIBERAM, AB OMNI CONDICIONE SOLVTAM, sibi adseruisse: cum absoluta scilicet imperandi, vetandi & permittendi potestate tam in Politicis, quam in Ecclesiasticis.* Quia confessi sunt antea Neoburgici, *se semper sensisse & dixisse, LIBERAM Tutelam & Administrationem Tutori deberi.* LIBERAM autem Tutelam petere quid aliud est, quàm absolutam, & nullis condicionibus limitatam, cum absoluta iubendi, vetandi, permittendi potestate? præsertim cùm negent Neoburgici, Electori licere alium quàm proximum & seniorem Adgnatum Tutorem dare, Contutores adjungere, vel eidem Tutori dato condiciones ullas addere, nisi quas ipse proximior Adgnatus admittere voluerit.

LIBERAM & omni conditione solutam Tutelam petierunt Neoburgici.

Id etiam apparet ex ipsismet Neoburgicorum limitationibus & exceptionibus. Sunt enim perplexæ prorsus & ambiguæ, & captionis plenæ. Licet enim dicant: *se semper sensisse & dixisse, habendam esse rationem Electoris, viduæ, pupillorum, politiæ, religionis, subditorum & aliorum*: nunquam tamen (quod caput est rei) expresserunt SPECIALITER & Categoricè, quemadmodum & quatenus prædictorum habere rationem voluerint. An scilicet, quatenus defunctus Elector Testamento suo jussit, præcepit, mandavit? An verò, quatenus ipsimet Neoburgici censuerint vel censituri sint. Imò prius negant apertissimè[d]. Vnde sequitur, Neoburgicos semper sensisse & statuisse apud se, *pro suo ARBITRIO & beneplacito se rationem voluntatis ultimæ Electoris defuncti, viduæ,*

d] *p. 72 lin. 1. vers. hic fuit summa Responsio.*

viduæ, pupillorum, politiæ, religionis, status & aliorum habituros. Et sic Tutelam Electoralem suo, non defuncti Electoris, arbitrio petere & gerere velle. quod sanè nihil aliud est, quam *liberam & absolutam modis omnibus Tutelam* postulare, & testamentum Electoris, & viduam, & liberos, & statum Politicum & Ecclesiasticum, & subditos, & alia quæque voluntati, discretioni & arbitrio Tutoris legitimi subjicere: ut in unius illius potestatem & voluntatem transferantur & redigantur omnia: & ita defuncti Testamentum in effectu nullius sit momenti, utpote voluntati proximioris & senioris Adgnati subjectum. Quo sanè genere accidit, ut defuncti Electoris Testamentum, non sit amplius Electoris Testamentum, sed unius & solius proximioris & senioris Adgnati voluntas, sententia, placitum & arbitrium.

SED PRÆDICTA CLARIVS ADHVC ET MANIfestiùs ex condicionum ipsarum à defuncto Electore proximiori Adgnato propositarum recitatione verissima, & proximioris ipsius Adgnati responsione constabunt. Condiciones autem tales fuerunt, uti à Neoburgicis sunt [a] editæ.

a] p. 78 passim

CAVTIO IVRATORIA de Tutela Electorali certis condicionibus gerenda per defunctum Electorem à proximiore Adgnato justè fuit EXACTA.

Primò. *Illustrissimus Adgnatus corporali præstito juramento promitteret, se Electoris voluntati in Testamento expressæ per omnia & in omnibus sine exceptione obtemperaturum.* Secundò. *Vt Electorissæ matri, viduæ libera sit educatio pupillorum.* Tertiò. *Vt sine contradictione admittantur Contutores, neque impediantur in suo officio ullo modo, quos Elector in testamento suo nominaturus sit.* Quartò. *Vt omnia* MANEANT *in eo statu, quo essent tempore mortis: sine ulla innovatione, tam in* POLITICIS, *quàm in* ECCLE-

a] pag. 71. SIASTICIS. Quintò[a]. *Vt Consiliarii in omnibus & quibuscunq; consultationibus adhibeantur ii, quos Elector ordinaverit ipse, vel major pars Senatus eliget.* Sextò. *Nihil verò penitus cùm in publicis, tùm in privatis sive Oeconomicis statuatur, quod non totius Senatus vel majoris partis suffragio sit adprobatum.* Septimò. *Vt Religioni quam profitetur Elector, nullum fiat impedimentum, nulla calumnia.* Octavò. *Vt vivo Electori (sicubi Religionis causa conventus instituentur inter Protestantes) Directorium salvum sit, neque ulla unquam suæ Serenitati & suis successoribus Religionis causâ quæstio status moveatur.* Nonò. *Administratori verò non sit integrum, suæ Religionis publicum exercitium instituere aut permittere in Electoratu.* Decimò. *Aut si omninò pro se & suis fautoribus velit privatim sacra fieri, ut hoc fiat in suo conclavi: ita tamen, ut ne ad illud exercitium omnibus liber sit aditus, neque ullus admittatur Concionator Neoburgicorum, qui vel scripto vel ore oppugnavit Electoris Religionem.* Vndecimò. *Nec cedat Administrator sua Administratione etiam post completos XVIII annos, nisi prius* (in quo Majorum

jorum pacta & exempla existant) *Electoratus heres jurato promiserit, se paternæ dispositioni per omnia satisfacturum.*

His ita condicionibus si subscribat Neoburgicus, jurataque fide se obstringat, bene esse: sin minus, Electorem jam apud se statuisse, quid fieri velit.

Et hæ quidem ut eas ediderunt Neoburgici, Condiciones fuerunt ab Electore defuncto, unà cum Tutela Electorali Illustrissimo Principi Neoburgico propositæ.

AD HAS CONDICIONES QVID PROXIMIOR ET SENIOR Adgnatus re deliberata respondit?

Primùm[a] omnium. *Omninò se sperare, diutius victurum Electorem, utpote adhuc juvenem & ætate florida.* Secundò. *Se[b] sperare quoque, nihil facturum Electorem, quod* AVT PVBLICE AVT PRIVATIM *vergat in familiæ Palatinæ vel in Legum publicarum detrimentum.* Tertiò. *In[c] recenti adhuc memoria esse, quibus fundamentis[d] Iohannes Casimirus post obitum fratris Ludovici soli sibi adseruerit & obtinuerit Administrationem Electoralem.* Quartò. *Clara esse Aureæ Bullæ Caroli IIII. & Sigismundi verba.* Quintò. *Consuetudinem[e] & observantiam Imperii notoriam.* Sextò. *Perspecta[f] familiæ*

a] [illegible] vers. [illegible] deliberata.

b] vers. Omnino [illegible]

c] vers. In recenti.

d] EX MALO principio vel fundamento argumentantur Neoburgici. Erat enim Dux Io. Casimirus in possessione [illegible] strationis [illegible] [illegible] ut [illegible] [illegible] obtineret.

e] [illegible]

f] [illegible]

a] *Vers. Cum quibus omnibus si comparet.*

b] *Vers. sperare igitur se.*

c] *Vers. Utut autem Deus.*

pacta. Septimò. *Se*[a] *Neoburgicum, si cum prædictis omnibus* COMPARET *supra positas condiciones*, MAGNAM CONTRARIETATEM *deprehendere. Quasdam enim esse condiciones ita comparatas*, UT SINE MACULA EXISTIMATIONIS ET CONSCIENTIÆ *acceptari nullo modo possint.* Octavò. *Sperare*[b] *igitur se meliorem animi*[c] *propensionem.* Nonò. *Utut* DEUS *Opt. Max. futuros casus disposuerit, se in omnem eventum paratum esse, omnia illa* DEI BENEFICIO *præstare, quæ à* FIDELI *Adgnato* POSSUNT *&* DEBENT *expectari: eoque intendere omnem curam*, UT SALVA SIT AUREA BULLA, ET LIBERA CUIQUE, (& sic ipsi Neoburgico & ejus ministris: ut statuant quidquid ipsi voluerint) CONSCIENTIA, *& ipsius Electoris* IUSTA VOLUNTAS *non negligatur.*

Hæc summa fuit Responsionis Neoburgicæ. Cuius scopus est, nempe nullam prædictarum condicionum servandam, sed velut Aureæ Bullæ, Consuetudini & Pactis familiæ repugnantes, negligendas; Adgnato autem proximiori liberam omnino, non limitatam, non condicionatam, non modificatam administrationem, absque ullius Contutoris adjunctione, relinquendam esse.

Sed cùm interrogati Legati Electorales adfirmarent constanter, *se EXPRESSUM & Definitum MANDATUM HABERE, ne à propositis condicionibus vel latum unguem discederent*: tandem cum præ-

cum præcedenti Responsione sint dimissi. Nec ab eo tempore quidquam amplius de hac causa cum Neoburgicis tractatum, nisi [a] quod post longum intervallum fœdus VNIONIS initum est. De quo commonendos Lectores putarunt Neoburgici, *ne scilicet ignorantiâ rei gestæ vel Bipontinorum SVB & OBREPTIONE SEDVCANTVR.* Quod *hactenus tam extra Imperium quàm intra factum esse, cum magna Neoburgicorum injuria deprehensum* dicunt.

a] p. 73. l. 1.

COMPARENTVR NVNC CONDICIONES VEL cautiones ab Electore defuncto clarè & apertè propositæ cum proximioris Adgnati obscuris & ambiguis responsionibus: & ex illa collatione Lector judicet, an defunctus Elector Ius iniquum postulaverit, vel iniquas Condiciones proposuerit? & retrò, annon liberam & OMNI CONDICIONE solutam Administrationem (quod tamen verbis negant Neoburgici) reipsa petierit: cum absoluta imperandi, vetandi, & permittendi potestate, tam in Politicis quàm Ecclesiasticis.

NOTA LECTOR diligenter quæ sequuntur.

QVOD VT MELIVS intelligatur, præmittendum paucis est: Omnem Administratorem Electoralem Bulla Caroli [b] IIII. disertis & conceptis verbis *TENERI Principi Electori post XVIII. annos completos & exactos, jus, vocem, & potestatem, & omnia ab ipsis dependentia, TOTALITER CVM OFFICIO PROTINVS ASSIGNARE*: ut & Bullis Sigismundi: *TENERI ET DEBERE IVVENI & ELECTORALI, quam CITO ad ætatem debitam pertigerit, IVS, vocem, Dignitatem & potestatem prædictæ Electionis, ET OMNIA & SINGVLA AB EIS DEPENDENTIA, SINE DIFFICVLTATE ET RETINENTIA QVALIBET PROTINVS ASSIGNARE.* Addatur & hoc, Carolum IIII. Bulla sua præcisè [c] declarare; velle se, *ut Magnifici Principatus, dominia, honores & Iura Electorum Principum debeant præ cæteris aliis ILLÆSA servari: quod ubi majus incumbat periculum, ibi quoq; majus remedium debeat adhiberi: ne columnis ruentibus basis totius ædificii collidatur.*

IN BVLLIS Aureis fundatus fuit defunctus Elector, ut promissionem, Electoralem Statum Politicum & Ecclesiasticum conservatum, & sua die totaliter restitutum iri, à Proximiore & seniore Adgnato exigeret.

b] Tit. 7.

c] post tit. 23 §. si cæteros Principatus congruit in sua integritate servari.

Fundatus in illis duabus Bullis Aureis Fridericus IIII. & sciens *Tutores Electorales per Bullas Aureas adstrictos & obligatos suo juramento esse, IVVENI Electori puberi facto IVS, vocem, potestatem, & omnia ab ipsis dependentia, protinus, quam citò, sine difficultate & sine retinentia qualibet totaliter adsignare,* id est, restituere: Condiciones supra positas proxi-

FVNDAMENTVM rerum, Testamenti a defuncto Electore conditi.

proximiori Adgnato proposuit, & juramentum ab eo exegit de adimplendis prædictis condicionibus omnium justissimis & æquissimis, sanctis, honestis, quas etiam Bullæ verbis & sententiâ suâ continent. Omnes enim & singulæ condiciones & cautiones illæ tendunt eò, & unicum illum finem & scopum habent nec alium: nempe ut proximior Adgnatus, Electoratus Administrator, Iuveni Electori puberi facto, (utpote suo heredi, & in quem tam de Jure Communi, quàm singulari Bullarum, JVS & DOMINIVM omne totius hereditatis paternæ statim à morte parentis devolutum est & transmissum) ipsam etiam Administrationem Electoralem, & omnia ab ea dependentia restituat totaliter, protinus, quàm citò, sine difficultate & renitentia qualibet.

Non debuit itaque nec potuit proximior & senior Adgnatus condiciones prædictas, illum unicum (quem retuli) finem & scopum habentes nec alium, & ad conservandas Bullas & earum mentem tendentes, defuncto Electori petenti & stipulanti (& viduæ, liberis, subditisque suis, jus per Bullas Aureas quæsitum conservare volenti) recusare, detrectare vel respuere. Omnes enim & singulæ ad eundem scopum, id est, ad conservanda pacta Bullis comprehensa, & ab Adgnatis Electoralibus jurata referuntur: nec ulla prædictarum condicionum potest à Neoburgicis notari, quæ menti Bullarum vel in minimo repugnet. Ideoque & defunctus Elector eas exigere & stipulari: ut & prædictus proximior Adgnatus præmissas condiciones necessariò promittere debuit; sive se Tutorem, Curatorem & Administratorem dicere; sive se fideicommissi restituendi onere gravatum; sive se fructuarium aut usuarium; sive depositarium Electoralis Administrationis prætendere voluerit. Condicionibus enim talibus sunt prædictæ personæ legibus obstrictæ, nec illis legibus per Bullas proximior & senior Adgnatus est solutus: Vt antea Tutela vel Administratio ei committenda non sit, quàm [a] vel juraverit, aut certè promiserit idoneè, *Se Iuveni Electori puberi facto prædicta jura protinus, citò, sine renitentia & difficultate aliqua, & totaliter restituturum:* ut latiùs alibi probavimus. Nam ad illa omnia prædictis modis restituenda Bullis Aureis Tutor est adstrictus.

a) *l. 1. l. 3. l. 4. Cod. de Tutore vel Curatore qui non satis dedit: & Inst. de satisdat. l. legitimos. 5. §. 1. ff. de legitimis Tutoribus. & toto Titulo ff. Rem pupilli salvam fore.*

SED VT HOC etiam constet evidentiùs, singula Neoburgicorum momenta percurramus, quibus moti prædictas condiciones promittere recusaverint & quàm aliena à bonis moribus, legibus (imò & Bullis ipsis Aureis) sint, evincamus.

PRIMVM

PRIMVM OMNIVM verum non eſt, quod innuunt [a] Neoburgici: *prædictas condiciones* (unicum nempe ſcopum illum habentes tuendorum & conſervandorum omnium jurium Electoralium Iuveni Electorali; & ei puberi facto, etiam ſecundùm Aurearum Bullarum mentem, imo & verba notoria reſtituendorum) *VERGERE IN FAMILIÆ PALATINÆ, & LEGVM PVBLICARVM DETRIMENTVM.* Imò notorium & manifeſtiſſimum eſt, omnes & ſingulas illas condiciones ad familiæ Palatinæ & legum publicarum bonum & commodum referri, ſi ſcopum illum habent, ut IVVENI Electorali (de cuius bonis agitur, & qui prima & præcipua perſona in Electorali familia eſt) ſuo tempore puberi facto proſint & utiles ſint. Quinimò niſi condiciones illæ (rem pupilli Electoralis ſalvam fore continentes) ab Adminiſtratore Electorali promitterentur, Palatina familia legeſque publicæ in periculo manifeſtiſſimo eſſent conſtitutæ, quæ IVVENI ELECTORALI PVBERI FACTO IVRA SVA ASSIGNARI Totaliter, penitus, quàm citò, ſine renitentia & difficultate aliqua, jubent.

I.

CONDICIONES propoſitæ Neoburgicis, non vergunt in familiæ Palatinæ & legum publicarum detrimentum: imo bonum & commodum.

a] *p 72. verſ. omnino. ibi quod aut publicè aut privatim verget, vel in familia Palatina.*

AT Bullæ Aureæ proximiorem Adgnatum ad promittendum taliter, cavendum & jurandum, ſpecialiter non adſtringunt? Nec etiam prohibent: ut hinc ſciant Neoburgici, Iuris Communis diſpoſitioni relictum hoc eſſe. Vult autem Ius Commune, ut [b] legitimus licet Tutor ad Tutelam ab inteſtato vocatus (ut dicunt Neoburgici, *ſe ab inteſtato vocari*: nec etiam alium Titulum prætendere poſſunt, quia Teſtamento defuncti Electoris ſunt præteriti, nec in eo Tutores nominati) rem pupilli ſalvam fore caveat; ſive velut Tutor, ſive velut Curator & Adminiſtrator Tutelam adfectet; ut libro [c] II. pleniùs eſt oſtenſum. Conſtat etiam ex Imperatorum recentiorum Edictis, lacunas & defectus Conſtitutionum Imperialium, ex Iure Romano ſive Communi ſuppleri debere. Et quis dubitat, Agnatum, exiſtente contradictore vel patris excluſiva diſpoſitione, ad Tutelam non admittendum, niſi poſt cauſæ cognitionem Decretum obtinuerit? Ex quibus omnibus liquet, promiſſionis illius recuſationem, non modò contra leges Romanas, ſed & contra leges Imperiales, & omnes quarumcunque Gentium mores eſſe, & juris contumaciam manifeſtiſſimam continere, ac juſtiſſimam cauſam de alio Tutore liberis proſpiciendi præbuiſſe.

b] *Inſt. de ſatiſdat. Tutorum. in pr. l. 17. l. 19. ff. de Teſtam. tutela: & ff. paſſim: Rem pupilli ſalvam fore: & C de Tutore vel Curatore, qui non ſatiſdedit.*

c] *Adſertione 18.*

His accedat, quòd (ut ex Caroli IIII. Bulla apparet [a]) ubi maius incumbit periculum (incumbere autem maius ait Electoralibus, quàm aliis Principatibus) ibi maius debeat quoque REMEDIVM adhiberi, ne columnis ruentibus basis totius ædificii collidatur. Vt hinc etiam constet, iustis & certis & necessariis de caussis defunctum Electorem condiciones prædictas proximiori & seniori Adgnato proposuisse, & earum observationem ab eo exegisse, veluti REMEDIVM ultimum, ne Electoratus statu mutato aut labefactato, basis Imperii collideretur. Cautiones enim & promissiones huiusmodi quid, quæso, sunt aliud, quàm juris REMEDIA? Et ita sanè cautiones & juramenta [b], *remedia* jure nostro nuncupantur [c].

a] *post tit. 23. §. Nam ubi maius incumbit periculum.*

b] *l. 2. ff. de usufruct. earum rerum, quæ usu consumuntur.*

c] *l. 1. ff. de jurejur.*

Adde, quòd Sigismundus, Bulla sua, disertis verbis mandat, *Ne quis Bullam eius infringat, aut quomodolibet contraeat.* Atqui prædictarum condicionum exactio, & jurata maximè promissio, eò tantùm spectat nec alium scopum habet, quàm ut prædicta Bulla à nullo infringatur, neve quomodolibet à quovis contraeatur: ut inde Neoburgicorum contumacia vel mora satis iniusta appareat. Sed alia jam percurramus.

II.

CASIMIRI Tutelæ, non sunt contrariæ condiciones quas defunctus Elector Neoburgicis detulit.

SECVNDO NEC ad rem facit quod innuunt [d] Neoburgici: *Condiciones a defuncto Electore proximiori & seniori Adgnato propositas, contrarias esse illis, quibus Princeps Iohannes Casimirus Tutelam Electoralem sibi soli* ADSERVIT *& obtinuit.* Non enim necessaria consequentia est: Iohannes Casimirus Tutelam Electoralem soli sibi *adseruit*: Ergò *jure adseruit*: Cùm potuerit à suis quoque Consiliariis perindè malè informari, ut idem [e] Ludovicum fratrem malè à suis Consiliariis instructum allegavit. Et quidni dicamus eum à suis Consiliariis malè informatum, cùm & hodie Neoburgici audeant scriptis suis inserere? *Defunctum Electorem, Fridericum IIII. scilicet, à suis Consiliariis malè imbutum fuisse, tempori [f] inservientibus.* Nec etiam sequitur: Tutelam Electoralem sibi soli Ioh. Casimirus *obtinuit*: Ergo *jure* OBTINVIT. Quemadmodum etiam non est consequens: Dux Iohannes Casimirus Tutelam Electoralem SIBI soli obtinuit: Ergò & Illustrissimus Neoburgicus sibi soli obtinere potest vel debet. Aliis enim, & melioribus, & apertioribus, & pluribus tunc juribus & rationibus munitus erat prædictus Dux Ioh. Casimirus, quàm hoc tempore Neoburgicus. Quibus inquies? Testamento patris sui

Friderici

d] *p. 72. vers. in recenti adhuc memoria.*

e] *V. Resolutionem Casimirianam nuper à Neoburgicis editam. p. 20 vers. Ex quibus omnibus abundè colligendum, qui Consiliarii huic dispositioni adhibiti.*

f] *p. 67 vers. Ad Tricesimamsextam in fin. ibi, sed modernos potiùs Advocatos Heidelbergenses tempori inservientes.*

Friderici III. Dux Iohannes Casimirus nitebatur: & illud MAXIME [a] inter præcipuas Tutelæ suæ rationes allegavit. Secundò nitebatur etiam promissione fratris jurata: Cùm proximior & senior Adgnatus Neoburgicus nullius Electoris tali Testamento vel pacto nitatur, quo possit Tutelam Electoralem sibi adserere vel eam defendere. Igitur prædicti Ducis Ioannis Casimiri prædicta Tutela Neoburgicis nihil proderit, velut multis & maximis circumstantiis à prætensa per Neoburgicos differens, diversa & aliena. Volunt etiam alienam magis videre? Prædictus Iohannes Casimirus inter cætera (ut dixi) patris & fratris sui Testamentum allegavit, & sic fatebatur, duos Electores præcedentes & proximos de Tutela liberorum suorum testari potuisse: cùm tamen Electores testamenti factione (re ipsa: nam verbis id non fatentur) interdici contendant hodie Neoburgici. Ad hæc, prædictus Casimirus juratam fratris promissionem allegabat: cùm tamen jam Neoburgici negent, Electoribus licere de liberorum suorum Tutela pacisci, vel Adgnatum jurare cogi.

a] V. Resolutionem Casimirianam p. 13. b. vers. At negari nequit. ibi. & quidem Maximè vigore relicta ultimæ voluntatis quondam Electoris Palatini Friderici.

III.

BULLIS contrariæ non sunt condiciones à defuncto Electore propositæ proximiori Adgnato: imò consentaneæ, & ad scopum unicum Bullarum directæ.

TERTIO. NON est etiam vera & sufficiens causa denegatæ à Neoburgicis promissionis (de prædictis scilicet condicionibus implendis) dicere vel innuere, *Condiciones* [b] *à defuncto Electore proximiori & seniori Adgnato propositas esse contra clara Aureæ Bullæ Caroli IIII. & Sigismundi verba.* Quia paulò ante probavimus, defunctum Electorem in utraque Bulla fundatum fuisse, in condicionibus prædictis proximiori Adgnato proponendis. Et Bullarum verba sententiaque hunc scopum præcipuum vel unicum habent, ut pupillorum, & subditorum Electoralium res rectè ac fideliter administrentur: ut ipsis pupillis puberibus tandem factis res omnes Electorales protinus, quàm citò, sine renitentia & difficultate aliqua, totaliter à Tutore restituantur. Cùm itaq; condiciones à defuncto Electore proximiori Adgnato propositæ eundem prorsus finem habeant, quem Bullæ, & eò dirigantur omnes, ut Bullarum Aurearum dispositiones, bullarum aquatilium instar non sint inanes, inutiles & lusoriæ, sed ut suum exitum atque effectum sortiantur, & pupillorum subditorumque Electoralium Status Politicus & Ecclesiasticus conservetur; dicendum & consequens est, promittendas & jurandas sine refragatione à Neoburgicis fuisse.

b] p. 72.

Nec otiosum quoque hîc est, quod in Bulla Sigismundi prohibentur disertim *NOVITATES in Electoralibus attentari*. ut inde

meritò potuerit cautionem & promissionem defunctus Elector à proximiore Adgnato exigere, *Rem Electoralem salvam fore, & omnino nihil in Politicis & Ecclesiasticis INNOVATVM iri.*

IV.

CONSVETVDINI & Observantiæ Imperii notoriæ, non sunt contrariæ condiciones, quæ à defuncto Electore proximiori Adgnato propositæ sunt.

QVARTO NON EST etiam verum, quod aiunt Neoburgici: *Condiciones prædictas a defuncto Electore proximiori & seniori Adgnato propositas, contrarias Consuetudini* [a] *& Observantiæ Imperii notoriæ.* Quia nunquam id probare poterunt Neoburgici: & nulla est consuetudo vel observantia in Imperio, quæ plus tribuat Adgnato quàm patri: vel plus proximiori Adgnato, quàm Electori: vel quæ interdicat Electori de Tutela liberorum suorum disponere: vel quæ prohibeat Electores liberorum & subditorum Statui Politico & Ecclesiastico consulere, & res eorum in tuto collocare, & pias Electorum voluntates servare. Imò Consuetudines & Observantiæ omnes Imperii contrariæ sunt. Et jus illud etiam Illustrissimus Princeps Neoburgicus in suis Principatibus servavit hactenus: nec pateretur sine dubio, Consuetudinem & Observantiam illam piam, sanctam, honestam hodie sibi eripi. Imò credibile est, Illum & de successione suorum liberorum in bonis suis vel testatum pactumve, vel testaturum pacturumve esse, ut concordia inter eos fraterna conservetur.

a] *p. 72. Vers. Consuetudinem & observantiam Imperii notoriá.*

NEC OBSTABIT, si quis fortè rursus dixerit, *Cautiones & promissiones illas proximiori & seniori Adgnato per Bullas non imponi.* *Primò*, quia quod [b] legibus omissum est, id religione Iudicis suppleri potest & debet. *Secundò*, quia Bullæ non vetant cautiones illas exigi: igitur permittunt eas Iure Communi peti: partim quia permissum [c] censetur, quod specialiter prohibitum non est: partim quia Iuris Communis æquissimi correctiones, velut infames scopulos, semper vitare debemus. *Tertiò*, quia toties cautio potest exigi, quoties necessitas exposcit, & quoties periculi futuri metus evidens, aut suspicio manifesta est: adeò ut cautio possit etiam ante [d] diem & condicionis eventum ex causa à Iudice iniungi. Et adeò verum est, cautiones huiusmodi æquas exigi, & cautionibus talibus rem in salvum & tutum redigi posse, ut etiam [e] pupillum arrogare volens, eum non priùs arrogare possit, quàm si *CAVERIT, se restituturum ea quæ ex bonis eius consecutus fuerit.* Quantò magis Tutor & Administrator, in nudam Tutelam, Curam & Administrationem suam, pupillos Electorales receptu-

b] *l. quæsitum. 13. π. de Testib.*
c] *l. mutus 43 § cùm quæritur 1. π. de procurat. l. nec non 28. §. 1. π. ex quibus caussis maior. l. ab ea 5. π. de probat. l. 1 §. 1. π. de Testib. l statuas 7. C. de religios*
d] *l. inter omnes 12. in fin. π. Quo satisdare l. in omnibus bonæ fidei judiciis 41. π. de judic. l pro socio arbiter 37. π pro socio. l. Creditores 3. π. de reb. auct. l Paulus notat 8. π. de prætor stip. l 4. C. ut in poss. legat*
e] *l. Non aliter 18. & seq. π. de adopt.*

recepturus, non dicam CAVERE datis fidejussoribus vel pignoribus (hujusmodi namque [a] fidejussores vel pignora nullibi in tanti ponderis & momenti Tutela reperiri vel dari possent) sed saltem iuratò promittere debebit, *se nihil in Statu Pupilli Politico vel Ecclesiastico novaturum vel immutaturum*: præsertim cùm patrisfamiliâs defuncti seu Testatoris ea sit voluntas & jussio: & Tutoris Curatorisque munus sit, vel sponte, non exspectata cuiusquam petitione, prædicta promittere.

a] *vide Albericū in l. decreationibus. 27 C. de Episcopali audientia*.

Ne dicant itaque deinceps Neoburgici, *Condiciones à defuncto Electore proximiori Adgnato propositas, Consuetudini & Observantiæ Imperij contrarias*: sed potiùs dicant, *usitatas & necessarias & justas esse*.

V.

PACTIS familiæ Palatinæ, condiciones Tutelæ gerendæ delatæ Neoburgicis, non repugnant.

QVINTO. NON EST etiam verum, quod aiunt Neoburgici, *Condiciones prædictas seniori Adgnato a defuncto Electore propositas, PACTIS [b] familiæ Palatinæ perspectus contrarias esse*. Quemadmodum enim pactis familiæ Palatinæ contrariæ esse possunt, cùm non sint Bullis Aureis contrariæ, quæ ipsæ aliquo modo familiarum Electoralium pacta quædam conventa inter Electores & Adgnatos Electorales dici possunt, his præcipuis & paucissimis capitibus (quod Tutelas Electorales attinet) breviter comprehensa: Scilicet, ut proprietatem Electoratus liberis suis & Adgnationi servet Elector: ut Adgnati remotiores proximiorem & seniorem Tutorem Electoralem esse ab intestato sinant: ut proximior & senior Adgnatus de Iure Tutor esse debeat, & illo titulo sit contentus: & consequenter, Electorem de liberorum & subditorum suorum Tutela testari pro suo arbitrio & quibus voluerit condicionibus, permittat, ut & cæteri Imperij Cives & Principes testantur; imò ut ipse Illustrissimus proximior & senior Adgnatus testari posset & vellet: & ut nullo colore vel modo facultatem illam testandi proximior Adgnatus circumscribat: adhæc ut proximior & senior Adgnatus Tutor ab Electore fortè nuncupatus, condiciones Tutelæ ab eo propositas, & ad Pupillorum & subditorum Electoralium bonum, utilitatem & commodum pertinentes, nec aliud spectantes, facilis admittat: ut nihil in Statu Politico & Ecclesiastico mutet (non enim hoc permissum Tutori, alioqui Statum Electoralem evertere posset) & ita se comparet ut quo Statu Electoralem Administrationem accepit, eodem prorsus, non alio, nec mutato, velut bonæ fidei depositarius, protinùs, quàm citò, sine

b] *p. 72. Vers. Clara esse, ibi, perspecta familia pacta*.

renitentia & difficultate aliqua, totaliter Primogenito Electorali puberi facto restituat. In hæc pacta velut compromisit olim, Gens universa Electoralis & Adgnatio: Vt Bullis Aureis omnes Electorales Adgnati, etiam præsentes, velut successores & heredes priorum, prædictis conventionibus sint adstricti.

VI.

EXISTIMATIONI & Conscientiæ Neoburgicorum non possunt præiudicare condiciones ipsis à defuncto Electore propositæ.

a] *p. 72. vers. Quasdam etiam condiciones.*

SEXTO. NON EST etiam verum quod aiunt Neoburgici: *In prædictis condicionibus quasdam* [a] *ita comparatas esse, ut sine macula existimationis & CONSCIENTIÆ acceptari nullo modo possint.* Edant enim & digito demonstrent eas, quæ existimationem vel CONSCIENTIAM proximioris & senioris Adgnati lædere possint. Nam omnium & singularum hic unicus scopus est: *Vt Status viduæ, liberorum & subditorum, in Politicis & Ecclesiasticis non mutetur: & rursus, Vt Status viduæ, pupillis Electoralibus puberibus factis, & subditis restituatur idem, qui fuit mortis Electoris seu Testatoris tempore.*

b] *p. 72. paulo ante fin. ibi. Libera cuique conscientia.*

c] *p. 72. lin. 6. Administratoris discreti est.*

d] *p. 27. paulo ante fin.*

Nihil hîc peccatum sanè ab Electore video. *Liberi sunt & esse volunt Neoburgici?* Potuit idem meritò velle sibique sumere defunctus Elector. *Conscientiam* [b] *liberam sibi relinqui volunt Neoburgici?* Potuit & defunctus Elector libertatem conscientiæ suæ, testamento suo suis & posteris prodere, & libertatem conscientiæ, viduæ, liberis subditisque suis relinquere, non horariam vel momentaneam, sed fixam, stabilem ac perpetuam. *Ad suam discretionem* [c] *& conscientiam* [d] *voluerunt Neoburgici Bullas Aureas interpretari, & voluntatem defuncti Electoris servare?* Ius eodem modo fuit Electori defuncto, prædictas etiam Bullas in vero suo sensu accipere & exponere, & voluntatis & interpretationis suæ custodiam perspecto, fido, certo, & eam nunquam mutaturo Principi committere. *Volunt in alienis bonis & ad pupillos Electorales pertinentibus agere, ut lubet, Neoburgici?* Potuit & in propriis & liberorum bonis, & multo magis de liberorum suorum personis, pro animi sui quoque sententia defunctus Elector disponere.

Non video rursus, quemadmodum Neoburgicorum Existimatio vel Conscientia prædictis admissis vel iuratis condicionibus lædi potuerit: cùm & Serenissimus Dux Bipontinus eas admiserit (eiusdem familiæ Palatinæ scilicet Princeps) nec famæ suæ vel conscientiæ ea promissione quidquam detraxerit, Princeps inquam innocentissimus, pientissimus, & moribus sanctissimus. Descendant in se quotquot

in Or-

in Orbe, præsertim Christiano, patresfamiliâs sunt, (& consequenter Neoburgici, quotquot liberos habent): & judicent, an aliquid impium, inhonestum, absurdum, turpe, injustum, iniquum, insolens & inusitatum, prædictis condicionibus contineatur: & Electorales honestioribus, æquioribus, melioribus & apertioribus rationibus instruant Neoburgici, si possunt. In hoc interim liberæ conscientiæ concursu, Electoralis scilicet & Neoburgicæ, neminem repertum iri puto, qui non protinus statuat, Electorem iure potiorem esse. Quis [a] enim potior in hoc liberæ conscientiæ cócursu, alius quàm paterfamiliâs ipse: Electoratus possessor, vel defunctus Elector, vel qui Tutor & Administrator ab eo datus est?

a] *l. in pari causa. 128. ff. de reg. iuris c in pari. 65. de reg. iur. c. 6.*

VII.

OBLATIO prætensa Neoburgicorum qualis sit.

SEPTIMO. NIHIL etiam ad rem facit, quod Neoburgici dicunt [b]: *Proximiorem & seniorem Adgnatum testatum fuisse, IN OMNEM EVENTVM paratum esse OMNIA illa DEI BENEFICIO præstare, quæ a FIDELI Adgnato POSSVNT & DEBENT expectari: eoque intendere omnem curam, ut & salva sit BVLLA AVREA, & LIBERA CVIQVE CONSCIENTIA, & ipsius Electoris IVSTA voluntas non negligatur.* Nam si singulas voces prædictæ testationis Neoburgensis Electorales vel Bipontini diligentiùs, veluti trutinâ adhibita, expendent, in singulis penè dubia (ne quid dicam gravius) & ÆQVIVOCATIONES latere deprehendent.

b] *p. 72. Vers. Vtut autè Deum Opt. Max.*

PRIMVM enim omnium simpliciter verum non est, quod aiunt Neoburgici, *testatos se fuisse OMNIA illa capita, quæ a defuncto Electore proposita fuerunt, servaturos.* Nam permultas statim limitationes (ut mox videbitur) addiderunt, quæ speciosam illam testationem de implenda voluntate defuncti illico destruunt. Ad hæc, incertum est admodum & obscurum, an hæc verba, *OMNIA ILLA se servaturum*, referenda sint ad condiciones simpliciter à defuncto Electore propositas an verò ad easdem condiciones per eosdem Neoburgicos immediatè & proximè antea restrictas: (Solet [c] enim in dubiis præsumi relatio fieri ad proxima, & proxima respicere) Ponunt enim & adserunt [d], *Condiciones illas vergere in detrimentum Palatinæ familiæ & legum publicarum: item contrarias Tutelæ a Duce Ioh. Casimiro gestæ, Bullæ ũ verbũ notorius, Consuetudini & Observantiæ Imperij, Pactis familiæ, postremo Existimationi & Conscientiæ* Nam inter hæc duo plurimum interest. Enimverò priore casu, defuncti Electoris voluntati viden-

I.

OMNIA illa PRÆSTARE &c.

c] *si idem cum eo lem 12. in fin. ubi gloss. ff. de iurisdict. per l. 1. §. deinde § eum ff. de post. Alciat. 9. Respons. 169. n. 8.*

d] *p. 72. Vers. Omnino verò sperare. ad vers. hæc fuit summa.*

videntur Neoburgici velle adquiescere sine restrictionibus & limitationibus ullis, quemadmodum defunctus Elector postulavit: posteriore verò casu, se universam ejus voluntatem ab initio ad finem evertere. Vt hinc constet, verba prædicta, OMNIA ILLA, generaliter & indefinitè à Neoburgicis ita posita, insidiosa [a] esse.

a]l.3. π.de reb.dubiis.

II.

QVÆ à FIDELI Adgnato POSSVNT & DEBENT.

SECVNDO, (nihil ut dicam de quibusdam aliis vocibus in dicta testatione Neoburgica positis) potest adhuc dici, clausulam vel promissionem illam, *Quæ à fideli Adgnato POSSVNT & DEBENT expectari*, adhuc satis obscuram esse. Sed illam non attingam.

III.

VT SALVA sit Aurea Bulla.

TERTIO. Est adhuc obscurior longè clausula hæc sequens: *Vt & SALVA sit Aurea Bulla*. Nam al teram intelligunt ex professo Neoburgici, quàm defunctus Elector: ut hinc constet, hanc litem de omnibus Electoralibus Iuribus (ad Tutelæ Administrationem pertinentibus) inter Electorem & proximiorem Adgnatum esse: ut ob illam & unicam causam, Tutela Neoburgicis committenda non fuerit: quòd in hac lite de tota & universa Electorali Administratione agatur.

IIII.

LIBERA ut sit CONSCIENTIA

QVARTO Vox LIBERA CONSCIENTIA est etiam perobscura. Nam *liberam* cuique quidem, in Electoratu Palatino defunctus Elector conscientiam esse voluit: sed noluit sub prætextu conscientiæ, quamvis CONSCIENTIAM publicè privatimque permitti. Nam & hoc modo & prætextu Electoratus Palatini status politicus & Ecclesiasticus facilè posset everti.

V.

CVIQVE.

QVINTO. Est etiam satis perplexa & admodum periculosa hæc promissionis à Neoburgicis defuncto Electori oblatæ clausula, *Vt libera CVIQVE sit conscientia*. Nam potest etiam ita intelligi, ut defuncto Electori libera sit conscientia, quamdiu vixerit: & eo mortuo, libera vicissim sit Tutori & proximiori Adgnato conscientia in Electoratu Palatino regendo. *Deinde* non hoc etiam postulavit defunctus Elector, ut CVIQVE libera conscientia esset. Noluit enim Libertinis & Anabaptistis liberam esse: & ita id, de quo nunquam sensit, nec honestè sentire potuit defunctus Elector, aiunt Neoburgici, se defuncto Electori obtulisse. Adhæc noluit (ut hoc quoque specialiùs dicam) defunctus Elector, liberis etiam suis vagas quascunque opiniones permitti: quas quidam, religionis & pietatis nomine velare vel adumbrare consueverunt. Votum hujusmodi vel simile Neoburgici quondam in tuendo Ludovici Electoris testamento, literis, verbis, & nunciis sunt testati. *Postremò* licet disponens de suis rebus

rebus defunctus Elector, *liberam Tutori futuro & eius domesticis Conscientiam reliquit, & exercitium ejus privatum* (ut apparet ex Neoburgicorum ipsorum relatione) permisit: non tamen voluit ipsis Conscientiâ cedere: nec liberorum & subditorum conscientiam aliorum conscientiæ servire: sed jus herile & dominicum liberis suis relinquere, quod & quale à majoribus suis accepit.

VI.

Vt IVSTA VOLVNtas Electoris non negligatur.

SEXTO. Suspecta sunt admodum verba Neoburgicorum, *Proximiorem & seniorem Adgnatum defuncto Electori obtulisse, se in eam curam incumbere velle, ut ipsius Electoris IVSTA voluntas non negligatur.* Quæro namque, quam vim in prædicta pollicitatione habeat vox illa, *IVSTA IPSIVS voluntas?* An quæ defuncti Electoris fuit, & quam hodiè defunctus Elector justam, si nobis superstes existeret, esse diceret: & quam pariter justam putant eius vidua, Primogenitus, liberi cæteri, amici Principes & Reges, Proceres, Consiliarii, vasalli, subditi? An verò quam Neoburgici in possessionem Electoratus missi JVSTAM esse deinceps forent dicturi? Et quantum est adhuc à Neoburgicis dici, *Proximiorem Adgnatum pollicitum esse; Iustam defuncti voluntatem neglectum non iri?* cùm etiam potuerint apertiùs loqui (& sic voto & desiderio Electoris satisfacere) se per omnia & in omnibus, nullis mutatis, additis, detractis, voluntatem defuncti Deo teste & vindice seruaturos.

TOT ADEO scrupulis, dubiis, obscuris, ambiguis (& ut ita loquar) æquivocationibus scatent illæ Neoburgicorum pollicitationes: ut summa circumspectione in hac re tam gravi fuerit agendum, & vetus illud Sapientis monitum etiam atq; etiam observandam, Μέμνησο ἀπιστεῖν.

EX PRÆDICTIS Neoburgicorum responsionibus obscuris (velut dixi) & dubiis, & nihil certi, pacati, tranquilli, in statu Politico & Ecclesiastico promittentibus, apparet; *Legatos Electorales*, tunc interrogatos ab Illustrissimo proximiore Adgnato, *in prædictas limitationes & restrictiones Neoburgicorum consentire non potuisse: hoc constanter semper addito* (diligenter [a] enim fines mandati custodiendi sunt) *SE EXPRESSVM & definitum mandatum habere, ne à propositis condicionibus vel latum quidem digitum discederent.*

SEPTIMO prædictis adjiciamus: Neoburgicorum (quibus Electoralis Administratio à defuncto Electore amicè & honorificè offerebatur) non fuisse LEGES DARE, sed [b] accipere, (juxta [c] illud: *Disponat Testator, & erit Lex*). Quia ut liberum est heredi, legatario, fideicommissario, vel donatario causa mortis, condiciones à Testatore impositas defugere, & hereditatem, legatum, fideicommissum vel donatio-

a] *l. diligenter 5. π. mandati.*

b] *l. siquis sub condicione π. de Testament. Tutel. §. 3. inst. eod. Et Cod. de condicionib. insertis & Cod. de donationibus quæ sub modo. & tot. tit. π. de condicionib. Inst. & tit. de condicionib. & demonst.*

c] *Novella 22.*

nem repudiare: ita quoque liberum est testatori, quascunque condiciones honestas & æquissimas (& quas ipsimet in pari casu heredes, legatarii, fideicommissarii, donatarii suis sine dubio testamentis insererent) Tutori dato imponere. Quinimò puto, majorem adhuc Testatoribus honesta jubendi quàm Tutoribus justa recusandi libertatem competere: & Adgnatum Tutorem, Testamento patrisfamiliâs datum, Iudicis officio cogi, justis condicionibus delatam Tutelam recipere. Quia condiciones huiusmodi justas & honestas, licet non expressas à Testatore, Tutores per se, non etiam moniti, & ex officio suo, nec imminente Iudice debent implere: & justæ condiciones expressæ magis obligant quàm tacitæ. ADDATVR & hoc: Rei dominum posse legem tradendis [a] & deponendis [b] rebus suis dare. ADDE rursus, quòd honoris species sit, Tutorem dari [c]; & honore adfecti partes esse, leges aut condiciones non præscribere donatori, sed à donatore potiùs accipere, boniqueconsulere, quòd à Testatore Tutor datus sit. Nam & vetus proverbium est, Hieronymo [d] teste, *Equi donati dentes inspiciendos non esse*. Honores isti vel huiusmodi solent ita, sub condicionibus certis & modis deferri. ADDE postremò, quòd ut proximior Adgnatus liberrimus est, ita defunctus Elector non minùs liber extitit: ut possint Bipontini vel Electorales Neoburgicis dicere: οὐκ ἐσμὲν παιδίσκης τέκνα, ἀλλὰ τῆς ἐλευθέρας. Hebræi estis? & nos. Israelitæ? nos quoque. Semen Abrahæ? rursus & nos. Liberi [f]? & nos itidem. Et breviter, Neoburgensium non fuit, huic liberorum & subditorum & bonorum Electoralium deposito, id est Tutelæ & Administrationi Electorali condiciones dare, sed delatas & propositas ab Electore piæ memoriæ prompto gratoque animo recipere: quin & ultro (plenioribus & ulterioribus Informationibus omissis) eas promittere, & velut pias, honestas, & in Bullis Aureis locis variis benè fundatas non gravatim jurare.

a] *l. in Traditionibus 48. π. de pactis.*
b] *l. Publia Mævia. 26. π. depositi.*
c] *l. amicissimos 36. π. de Excusationibus. l. Iure nostro 26. §. Honoris causa. 1. π. de testam. Tutela. l. quod si 14. §. 1. π. de solutionibus.*
d] *Hieronymus in præfatione Epistola ad Ephesios.*
e] *Galat. 4. vers. ult. Non sumus ancillæ filii, sed liberæ.*
f] *2. ad Corinth. 1. vers. 22.*
g] *1. ad Corinth. 9. vers. 5.*

Et quæso, quid à Neoburgicis in possessione Administrationis Electoralis positis, Electoralibus expectandum fuisset, quod Electoris defuncti Testamentum ad optatum finem perduceret: cùm non possidentes Neoburgici, prædictas condiciones à defuncto Electore propositas tot modis palam accusent: *quasi vergentes in familiæ Palatinæ & Legum publicarum detrimentum: quasi contrarias Tutelæ legitimæ Electorali à Duce Ioan. Casimiro gestæ: quasi repugnantes Aureæ Bullæ, consuetudini & observantiæ Imperii, & pactis familiæ Palatinæ: & postremò quasi maculam existimationi & Conscientiæ inurentes?* Si Neoburgici in Administrationis Electoralis possessione nondum positi, tot voluntati defuncti scrupulos

pulos & obices opponunt; si de tot & adeò magnis juribus, & capitibus, & articulis, litem & controversiam Electoribus & eorum liberis movere nunc audent: quid, quæso, dicerent vel scriberent, vel potiùs quid facerent, in Electoralis Administrationis possessione positi & plenæ potestatis compotes? Quis pupillos Electorales annis minores adversus Neoburgicos in possessione constitutos, in tot adeò præstantissimis juribus quæsitis tueri vel defendere posset vel auderet? Vt hinc notorium sit, defunctum Electorem talia animo præsagientem ac de longè prospicientem, ab initio condiciones prædictas proximiori Adgnato proponendi, & postea (cognitis eius responsionibus) necessarias, & sine cuiusque indignatione justas, de liberorum & subditorum Tutela testandi causas habuisse.

SED SATIS IAM superque de condicionibus ab Electore defuncto proximiori & seniori Adgnato propositis, & responsis eiusdem Adgnati, dictum. Cætera quæ sequuntur, breviter expediamus.

AIVNT[a] NEOBVRGICI: *Post illud responsum Electori datum, tandem (& quidem post longum intervallum) fœdus VNIONIS initum inter nonnullos Principes, Comites, Civitates Imperiales, cui defunctus etiam Elector & Illustrissimus Neoburgicus nomen dederint, interposita sacramenti fide, nihil in unius aut alterius PERNICIEM tentandum esse: nec ullo modo recedendum ab Imperii legibus & constitutionibus, QVARVM CAPVT & penè ANIMA est Aurea Bulla. Monendum autem de eo Lectorem: ne ignoratione rei gestæ vel Adversariorum (id est, Electoralium vel Bipontinorum,) SVB & OBREPTIONE SEDVCERETVR. Addunt postremo, tentatam nuper interventu quorundam Principum transactionem, sed frustra, Bipontinis Ius omne suum continuis dilationibus metientibus.*

FOEDVS inter Principes initum servatur ab Electoralibus. a] *p. 73. lin. 1. & seq.*

SED PRIMVM omnium, licet fœdus Vnionis inter quosdam Principes, Comites & quasdam Civitates Imperii nuper initum, & in illo fœdere defunctum Electorem & proximiorem Adgnatum comprehendi Bipontini agnoscant: negant tamen, *vel defunctum Electorem, vel Ducem Bipontinum aliquid unquam in perniciem Illustrissimi proximioris Adgnati tentasse vel fecisse*. Legibus enim permittentibus, & multis etiam justis & necessariis causis existentibus, defunctus Elector præterire in Tutela proximiorem Adgnatum potuit. Negant etiam Bipontini, *alterutrum vel utrumque, ab Imperii legibus, constitutionibus, & Aurea Bulla recessisse*. De hoc certatur, & adhuc sub iudice lis est. Imò multis antea probatum est, ipsosmet Neoburgicos ab Imperii legibus & constitutionibus (quarum non ineleganter *Caput & Animam Aureas Bullas esse* dicunt Neoburgici) recessisse.

Toties eadem argumenta repetere nimis molestum est. Satis sit paucis dici, Bullas Aureas velle: *Vt si contigerit Electorem mori relictis impuberibus liberis, tunc proximior & senior Adgnatus* DE IVRE *Tutor & Curator esse debeat:* Et tamen hodie proximus & senior Adgnatus non vult de Jure Tutor esse, sed PRÆTER ET CONTRA Jus anomalam, extraordinariam & JVRI incognitam Tutelam sibi vindicat, Tutelas testamentarias, JVRE permissas, excludentem penitus & tollentem. Vult Bulla Aurea, *ut proximior Adgnatus illo casu*, ab intestato scilicet, *Tutor*, id est, defensor & conservator Status Electoralis sit: & tamen proximior Adgnatus liberam sibi tutelam, & mutandi innovandique potestatem adserit: nec defuncto Electori unquam jurare rogatus voluit, se nihil in Statu Politico & Ecclesiastico Electorali mutaturum. Bulla Aurea *Electores Imperii, Membra præcipua, Principes & Columnas Imperii, & Illustres* (& consequenter liberos & cives præcipuos Imperii) *nuncupat: & confirmat eorum privilegia, nec ullum tollit, nisi de verbo ad verbum & seriatim mutatum sit*; in quibus hoc Juris Civilis & Communis est, ut *Illustris* [a] *persona testari de liberorum suorum tutela possit*: & tamen proximior Adgnatus jus illud testandi de Tutela, JVRE Communi, Romano, Civili, Gentium denique, competens Electoribus, nec specialiter abrogatum vel sublatum, ipsi Electori denegat. Ait enim, *sibi soli, unico & necessariò Tutelam Electoralem Bullis deberi*: nec ideo permittit, Electorem Palatinum de Tutela liberorum & subditorum testari: quinimò Tutelam nullis condicionibus vel modis limitatam sibi vindicat & adserit: nec patitur se ab Electore, necessariis, justissimis & omnium æquissimis condicionibus adscriptis Tutorem dari, scribi, nuncupari. Et ita vult, arbitrio suo Tutor Electoralis esse, non ipsius Electoris voto. Vult liberos Electorales & subditos tam in Statu Politico, quàm Ecclesiastico pro suo arbitrio regere. quod utique nihil aliud est, vel esse potest, quàm LIBERAM & absolutam modis omnibus Tutelam, vel potiùs potestatem infinitam, sibi sumere PRÆTER ET CONTRA JVS OMNE, æquum bonumque. Quis enim unquam huiusmodi Tutelam in JVRE legit, vi aut lege parentibus simul & pupillis invitis extortam?

a] *V. supra 19. Replicatione.*

Tuditanum legimus [b], notæ insaniæ hominem (& consequenter intestabilem) fuisse, & tamen cùm Testamentum fecisset, & filium in eo instituisset heredem, id testamentum Titum Longum, SANGVINE PROXIMVM, hastæ Centumviralis judicio subvertere, sed frustra tamen conatum fuisse. Centumviri namque (licet causas haberent, propter quas

b] *7. Valerius Maximus cap. 8.*

pter quas Tuditani Testamentum rescinderent) ratum nihilominus testamentum ejus habuerunt. MAGIS ENIM QVID SCRIPTVM ESSET IN TABVLIS, QVAM QVIS EAS SCRIPSISSET, CONSIDERANDVM existimaverunt. At Neoburgici Electori, liberorum multorum licet parenti, & prudentissimo humanissimoque Principi, ne quidem permittunt de liberorum suorum Tutela testari: Vt hoc modo Neoburgici Principes omnes Electores Tuditano intestabiliores faciant, & deteriore loco multò habeant quàm olim Centumviri insanum illam Tuditanum habuerint.

HÆC CVM ITA sint, non video quo jure vel prætextu Neoburgici dicere [a] sustineant, *se de his monere Lectorem voluisse, ne ignoratione rei gestæ, vel Bipontinorum sub & obreptione seduceretur; & id hactenus tamen tam extra, quàm intra Imperium factum à Bipontinis fuisse, cum magna Neoburgicorum injuria deprehendisse.*

a] *p. 73. vers. De quo monendus erat lector.*

PROVOCANT ENIM Bipontini ad Lectores quoscunque: & ab eis postulant, sua cum Neoburgicis juribus & allegationibus scripta conferri: ut ex illa collatione constet, à quibus Lectores sint seducti.

TRANSACTIO nuper tentata inter Ducem Bipontinum & Ducem Neoburgicum, quorum facto impedita fuerit.

NEC VERVM est etiam, quod dicunt [b] Neoburgici: *Transactionem nuper tentatam inter Ducem Bipontinum & Neoburgicum, sed frustra: Bipontinos enim jus omne suum metiri dilationibus: quod sciant se malam causam habere: & ne causæ qualitas agnoscatur.*

b] *p. 73. vers. sed & illud nolunt: & vers. Bipontini enim omne jus suum.*

TENTATVM quidem fuit, si persuaderi fortè possent Neoburgici, ut à lite tam infausta & indecora sanè desisterent. Sed res ab ipsorum parte frustra fuit. Nequidquam igitur Bipontinos vel Heidelbergensis incusant. Non possunt enim illi vel debent quid admittere, quod testamento defuncti Electoris repugnet, quod à jurata fiduciarii Domini Administratoris, Ducis Bipontini, promissione recedat, quod Electoralibus heredibus damnosum sit ac noxium: qualia sunt, quæ à Neoburgicis petuntur omnia. Dilationum verò & tergiversandi propositum ac studium Bipontinis malè objicitur. Illi namque hactenus quidem Neoburgicorum scriptis quotquot prodierunt omnibus, nullis omissis, articulatim penè, masculè strenuè ac dextrè responderunt, & porrò hoc facere non desinerent, si hoc pacto controversiæ finis imponi posset. Sed cùm id quidem frustra fit, & res loquatur, descendere jam Neoburgicos à meritis causæ ad convicia, insectationes & probra; movebunt Electorales alia fortassis huic malo remedia quærere magis idonea. Et tanto

etiam circumspectius hîc agendum illis erit, quòd videant, Neoburgicos sine ulla consideratione, ea juris publici per librorum properatas editiones facere (contra consuetudinem in controversiis Principum receptam) quæ in tam excelsis familiis pro arcanis hactenus fuerunt habita, & meritò sunt habenda. Quin illi etiam Neoburgicos ad Jus, & quidem Ordinarium, multoties invitarunt, & adhuc invitant. Ad quod ipsi Neoburgici quotidie alios cuniculos moliuntur, atque ab ordinaria juris via (ad quam etiam pactis Vnionis remittuntur) abhorrent. Ipsi dilationes quærunt, ipsi moras nectunt, & hoc tamen Bipontinis objiciunt. Ideoque adversus eos præsumendum est, *quòd* [a] *malam causam habeant*; imò qui Judicium defugit, nocens [b] præsumitur, & de omnibus confiteri [c] videtur, & de Jure [d] suo diffidere: ut & is, qui nec [e] jurare vult, nec juramentum referre.

a] *arg. l. properandū. §. Et siquidem Cod. de Judiciis. Novell. de exhib. reis. §. Si verò.*
b] *cap. Nullus 4. ubi gloss. extr. de præsumptionibus.*
c] *3 q. 9. decernimus 10. in fin.*
d] *11. q. c. Christianis 1|2. in fin. & dist. 74. c. Honoratus. Gloss. d. c. nullus.*
e] *l. manifestæ. 38. ff. de jurejurando.*

SED PERGAMVS ad alia.

¶ *AD QVADRAGESIMAM Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.*

FILIO Electoris an nomen Electoris competat, & an possit dici Elector?

BIPONTINI (ut aiunt [f] Neoburgici) dixerunt: *Neoburgicos ipsummet Electoratum injustissimè adfectare, idq; adparere ex illis verbis Informationis Düsseldorpianæ, quibus adseritur, Electoris filio NOMEN ELECTORIS NON COMPETERE.* NEOBVRGICI quid? Aiunt [g], *Bipontinos CALVMNIARI. Quia,* inquiunt [h], *verum est illud, quòd ELECTOR is demum propriè & ex naturâ CONIVGATORVM dicitur, qui habet IVS ELIGENDI. Cæterùm Electoris heredem jus eligendi ante completum XVIII annum non habere. Id enim apertè constare ex iis Bullæ Carolinæ verbis: FRATER senior TVTOR eorum & ADMINISTRATOR existat, donec senior ex eis legitimam ætatem attigerit: quam in Principe Electore XVIII annos completos* [i] *censeri volumus & statuimus perpetuò haberi. quam dum attigerit, IVS, vocem & potestatem, & omnia ab ipsis dependentia, TVTOR ipse sibi totaliter cum OFFICIO teneatur protinus assignare. Imperatoris verò Sigismundi Bullam ita habere: Ætatem autem debitam in hoc casu (eligendi*

f] *p. 73. vers. Quadragesimo.*

ELECTOREM [illegible] esse & nuncu[illegible], Administra[illegible] Electoralem, [illegible] Neoburgici.

g] *d. vers. 40. calumniantur.*
h] *p. 73. vers. Re[illegible]*
i] *[illegible] 4. in princ.*

gendi videlicet Romanorum Regem in Imperatorem promovendum, XVIII annorum censeri volumus & haberi. In Principatibus autem, Ducatibus & Dominiis temporalibus gubernandis ætatem observandam decernimus: prout à divinis Romanorum Imperatoribus & Regibus nostris prædecessoribus est sancitum.

SED PRIMUM omnium dicunt Bipontini, se à sententia sua dimoveri nullo modo posse scilicet hoc argumento. Qui pupillo Electorali jus & nomen Electoris detrahit & sibi sumere vel tribuere cupit, is Electoratum propriè adfectat. At Proximior & senior Adgnatus jus & nomen Electoris pupillo Electorali denegat, & sibi sumit, adrogat & tribuit. Igitur Electoratum adfectat.

AFFECTETNE proximior & senior Adgnatus Electoralis, Elector dici?

NUNC PROBEMUS, *Iuvenem Electorem, jure & nomine ELECTOREM esse: Tutorem verò & Administratorem ejus, nec re, nec nomine Electorem, sed Tutorem & Administratorem tantum.*

ELECTOR, re & nomine dicendus est Primogenitus Electoris defuncti.

PRIMOGENITUS Regis mortui, licet impubes, nomine & re REX est, & quidem solus [a], quia regnum non [b] dividitur. Tutor verò & & Administrator eius ac Regni, neque re neque nomine Rex est: sed vel REGENS, vel TUTOR, vel ADMINISTRATOR, vel CURATOR vel PROCURATOR, vel VICARIUS, vel LOCUM TENENS, vel quosimili nomine alio nuncupatur. In Principatib. aliis individuis (qui scilicet dividi non possunt, vel qui dividi prohibiti sunt) idem jus ubiq. locorum est. Quia Primogenitus Principis defuncti (qui in defuncti Principatum individuum [c] solus succedit, quòd magnæ [d] dignitates non dividantur) re & nomine solus & unicus est paternæ provinciæ PRINCEPS: Tutor verò nec re nec nomine PRINCEPS est illius provinciæ, sed Tutor vel Curator vel Administrator tantùm.

a] *c. licet, de voto.*

b] *Matth. 12. Luc. 11. l. 2. §. Novissimè ff. de origine juris. Pyrrhus ad consuetudines Aurelianenses. Tit. 1. §. 25. Glossa. 1.*

c] *Doctores 2. Feud. 10. Quis dicatur Dux, Comes. c. licet 6. de voto ubi gloss. &c.*

d] *Vid. Bald. in Authent. hoc amplius C. de fideicom.*

Quin, quod reges ipsos attinet, vivo etiam patre Primogenitus [e] Regis REX appellari potest. propter spem nimirum succedendi proximam & immediatam quam habet. Quia nullus ex filiis eum antecedit nec illam appellationem pater filio Primogenito, quem ex lumbis suis (ut loquitur Bulla Aurea) procreavit, & quem proximum successorem habet invidet: quem tamen titulum (REGIS scilicet) proximiori Adgnato non concederet. Omnis enim potestas impatiens consortis est. Denique Primogenitus Regis REX etiam vivo patre potest vocari, imo ut Glossa [f] Canonici Juris notat, debet: licet Regnum non habeat (Et prædicta Glossa addit quod hîc notatu dignum est, argumentum esse pro Comitibus THEUTONIÆ & Italiæ) Iam enim Dominum esse, & solam [g] Administrationem ipsi deesse, Est &

PRIMOGENITUS Regis vivo etiam patre Rex dici potest.

e] *24. q. 1. c. ult. ubi Gloss. Pyrrhus ad Consuet. Aurelianens. tit. 1. §. 25. gloss. 1.*

f] *24. q. 1. c. ult. in verbo Rex.*

PRIMOGENITI COMITUM THEUTONIÆ, teste Baldo, vivo etiam patre, Domini censentur.

g] *l. in suis ff. de liberis & posth.*

FILIVS Electoris defuncti, etiam abutero Matris existens, dici potest Elector.

a] *Apud Agathiam lib. 4.*

b] *l. ult. π. de statu hominum.*

c] *Bald. l. penult. in princ. π. de Statu hominum.*

Est & hoc adeò verum, Titulum REGIVM Regis defuncti, ejus Primogenito tribui, ut etiam VENTRI (id est, posthumo Regis, qui adhuc in matris suæ utero est) Regius honor sit habendus. Sic apud Persas legimus [a] Saporem patre mortuo, cùm matris utero adhuc gestaretur, & à Magis (ea de re consultis) Proceres intellexissent, masculum certò nasciturum: nulla interposita mora, REGEM appellatum: ac propterea cidarim seu tiaram ventri Reginæ imposuerunt, & VIXDVM CONCEPTVM, REGEM pronunciarunt. Simili modo is qui [b] in utero est, Jure Civili prò nato jam habetur, & in rerum natura esse intelligitur, quoties de commodo ejus agitur. Nam & legitimæ hereditates ei restituuntur; postliminium habet: patris vel matris condicionem sequitur; usu non capitur, libertos paternos retinet. Quid amplius? Notant nominatim [c] nostri, mortuo Rege, relicta uxore prægnante, fidelitates & homagia deberi præstarique ventri, ut deberentur & præstarentur filio, si jam natus vel editus esset.

TVTOR Electoralis in Bullis nusquam appellatur Elector.

SECVNDO. Legantur omnes Bullæ Aureæ diligentissimè. Nunquam tamen quisquam reperiet, Tutori vel Administratori Electorali Titulum ELECTORIS tributum esse: ut quod ipsi Bullæ Aureæ Tutori non tribuunt, Tutor & Administrator ipse sibi sumere non debeat. Aliâs meritò pro suspecto habendus est, quòd pari modo, quo & Rudolphus ac Rupertus præsenior olim, Electoratum legitimo successori præripere possit. Nam si Bullæ voluissent proximiorem & seniorem Adgnatum Electorem appellari, ELECTOREM appellare æquè commodè potuissent ac Tutorem. Nec sine mysterio (ut loquuntur interpretes nostri) præsumendæ Bullæ sunt id fecisse, ut alibi diximus obiter.

TVTORVM Electoralium nullus se unquam Electorem nuncupavit.

TERTIO. Recenseantur Acta Tutorum & Administratorum Electoralium omnium: Nunquam etiam invenietur, Tutorem vel Administrarorem aliquem, titulum ELECTORIS sibi sumsisse vel arrogasse: quinimò nec postremum Ducem Iohannem Casimirum; cuius Tutelam legitimam Neoburgici toties Bipontino, testamentario Tutori, opponunt, & cuius Resolutionem (olim anno MDLXXXIIII editam) ulteriori & pleniori Informationi Neoburgicæ addendam nuper ipsi Neoburgici curarunt. Omnes itaque Titulo *Electoris* continentiâ & fidelitate summa abstinuerunt; *Tutoris, Curatoris & Administratoris* legitimo, & per Bullas ipsas tributo, titulo modestissimo & justissimo cōtenti.

QVARTO.

QVARTO. Ni jus quoque ita esset, ut diximus, ABSVRDVM sanè maximum sequeretur. Nam cùm Titulum Electoris proximiori & seniori Adgnato Bullæ non tribuant, & sic proximus Adgnatus non sit Elector, nec apud Iuvenem Electoralem Titulus Electoris (Neoburgicorum sententiâ) sit: sequeretur, constante Tutela Electorali nullum penitus Electorem Palatinum esse, & sic Electoratum illum Imperij omninò vacare: utpote nec Primogenito, nec proximiore Adgnato Tutore, Electore existente, vel Electoris nomen sumente. Quid igitur? Absurdum illud aliter evitare non poteris, quàm si Cæsari (ut ita loquar) reddideris, quod Cæsaris est, id est, ut Iuveni Electorali jus, nomen, rem & titulum Electoris sine exercitio tribuas: Tutori verò & Administratori temporale & momentaneum Electoratus ipsius exercitium, sed duntaxat ipsius Electoralis Iuvenis vice, loco & nomine. Tutor enim ille prorsus Dignitatem Electoralem non suo jure, sed alieno sustinet, & Electoralis tantum Tutor est, ideoque nec Elector. Res enim custodiendi alteri commissa, ab ipso custode, rerum ipsarum natura, separanda est, nec cum ipsa re confundenda.

ABSVRDVM ut vitetur, Primogenitus Electoris impubes Elector dicendus est potius quàm eius Tutor.

QVINTO. Quid verbis opus est? Nam clarissima in Bullis Imperatoriis est decisio: Quòd nimirum sine ulla ætatis distinctione in Primogenitum Electoralem jus & dominium Electoratus & omnium pertinentiarum statim à morte patris continuetur & DEVOLVATVR sine ulla interruptione: & quòd ille non minus, quàm alij heredes, succedat in universum jus defuncti, quod is tempore mortis habuit: & quòd in eo (ut alibi dictum) tanquam in suo herede non tam successio sit, quàm continuatio dominij. Sic enim inquit Carolus Imp: [a] *Quod IVS, VOX & POTESTAS Electoralis ad Filium Primogenitum defuncti Electoris LIBERE & SINE CONTRADICTIONE CVIVSPIAM DEVOLVATVR. Sine contradictione cuiuspiam*, Ergo & ipsius legitimi tutoris. Qui enim dicit omne, nihil excludit. Et porrò inquit Carolus Imp: [b] *Quòd filio Primogenito competant terræ, districtus, homagia, vasallagia, & ALIA QVÆVIS ad ipsa spectantia. Primogenitus filius* (inquit Carolus) *succedat in EIS, sibique SOLI IVS & DOMINIVM competat.* Sigismundus verò Imp. in suis Bullis neruosiùs adhuc loquitur, & quidem in ipso loco controverso, ubi de Tutore & Curatore agitur. Ait enim expressè,

a] *Aurea Bulla. c. 7.*

b] *Id. Aurea Bulla. cap. 24.*

PRÆSCRIPTA ad pupillum vel Iuvenem Electoralem devolui? PRÆSCRIPTA, puta, quæ paulò ante recensuit, nimirum *IVS, VOX, DIGNITAS & POTESTAS eligendi Romanorum Regem in Imperatorem promovendum, & OFFICIUM ARCHIDAPIFERI, cum omnibus & singulis dominiis, HONORIBUS, JURIBUS, privilegiis, dignitatibus, & pertinentiis, &c.* Illa autem omnia quid sunt aliud, quàm illud ipsum, quod defunctus Elector habuit, adeoque ad Primogenitum suum integrè ac totaliter transmisit? Nihil verò ex his omnibus ad Adgnatum proximum pervenit, nisi quatenus Tutor & Administrator de Iure esse debet, nullo autem modo successor, multo minùs ulla ex parte proprietarius.

PRIMOGENITUS Electoris, mortuo Electore, licet impubes adhuc sit, in Bullis tamen ELECTOR vocatur.

Secundo. Similiter & ipsa Bulla Caroli IIII. prorsus hanc quæstionem nobis decidit his verbis: *Si Principem Electorem mori, & HEREDES masculos legitimos, Laicos, defectum ætatis patientes relinquere contigerit, tunc frater senior Tutor eorum & Administrator existat: donec senior ex eis legitimam ætatem attigerit: quam in PRINCIPE ELECTORE decem & octo annos completos censeri volumus.* Primò enim ex Festo et juris Institutis constat, Heredis appellatione Dominum intelligi: Et notum est ex jure nostro, eum qui pro herede gerit, pro domino gerere: Ideoque Electoratus heredem, Electoratus dominum esse.

Sic vident etiam ex illo loco Neoburgici, Primogenitum Electoris, PRINCIPEM ELECTOREM vocari ante XVIII. annos completos: sed legitimæ tantùm ætatis censeri, decimo octavo anno completo. Et ita est: Princeps heres Electoris & Elector est, statim atque pater decessit: sed legitimæ ætatis non est, nisi XVIII. anno completo. Quia Primogenito ipsi Electorali & (quod magis est) Principi Electori, ætas legitima paulatim, non nisi cum tempore Bullis definito accedit. Vt ne quis imprudenter existimet, anno tantùm XVIII. completo Principem Electorem nasci vel fieri, aut tum demum veluti per saltum non à patre defuncto, sed à Tutore hereditatem illum suam tanquam ex restitutione fideicommissaria consequi: sed etiam ante XVIII. annum completum Principem Electorem extitisse, & legitimam ætatem (Bullis definitam) ei pòst accessisse, cùm statim statim à morte patris, universalis eius heres sit & fuerit. Nam nec Principatus Electoralis, nec Princeps Elector unquam mori censendus est, quamdiu suum vel proximum aliquem & Bul-

& Bullis nominatum heredem habet. Quia Primogenitus, ut proximus & immediatus heres, statim patri succedit IPSO IVRE. Et utilitatis publicæ causa (celeritate [a] coniunctarum juris actionum concurrente) Electore mortuo Primogenitus protinus succedit: ut vel uno momento Electoralem possessionem vacuam dicere non possis: Quia unus [b] Principatus tantùm intelligitur, decessoris & successoris: Quia dignitas Electoralis non est personalis (ut putant Neoburgici, quæ cum persona Electoris extinguatur) sed hereditaria est, & sic realis: quæ protinus ad suum heredem transit & descendit: filium scilicet Primogenitum: vel eo non existente, ad fratrem proximiorem: vel non existente rursus fratre, ad proximiorem & seniorem Adgnatum Electoralem. Hic ordo hereditarius succedendi in Electoratu certissimus est, quia legibus Imperatoris ab intestato semper ita definitus est. Ex his constat, Primogenitum Electoris, patre mortuo, *Principem Electorem* Bullis Aureis vocari, Item *Heredem*.

a] *l. 3. §. penult. ff. de donat. inter virum.*

b] *l. meminisse. 10. ff. de offic. Procons.*

ADDATVR tertiò & hoc notorium ex eisdem Bullis argumentum. Bullæ namque constanter & ubique tradunt, Principatum & Comitatum Palatinum Rheni cum juribus eius omnibus ad heredes masculos proximiores DEVOLVI [c]: & talem successionem & DEVOLVTIONEM sine innovatione perpetuò, inviolabiliter observandam: sic tamen, ut si Electorem mori contigerit relicto proximo filio impubere, proximior Adgnatus pubes ejus de Iure Tutor & Curator esse debeat. Ex quibus verbis apparet, Principatus & Comitatus Palatini omnia jura, nullis exceptis, ad Electoralem Primogenitum semper DEVOLVI: solam autem Tutelam, Curam & Administrationem proximiori & seniori Adgnato permitti: Vt ita totius Electoratus proprietas & dominium universum ad Primogenitum licet impuberem DEVOLVATVR & in Electoratum succedat: Tutorem tamen, Curatorem & Administratorem, proximiorem Adgnatum Primogenitus ab intestato habeat: & ille heres DOMINVS, & proprietarius, & ELECTOR sit, proximior verò Adgnatus, Tutor, Curator & Administrator tantùm, non autem Dominus vel Elector.

c] *Devolutio iurium Electoralium fit ad heredes masculos. adde l. si infanti 18. in verbo devoluta, Cod. de iure deliber. & l. 2. in verbo devoluta ff. de alimentis.*

QVARTO. Addimus & repetimus ex Defensione [d] testamentariæ tutelæ, Instrumentis Imperialibus & Palatinis omni exceptione maioribus demonstrari posse, Iuvenem Electorem ante XVIII. imò & ante XIIII. completum annum constanter ELECTOREM vocatum, atque uti talem investitum fuisse.

d] *p. 61. & 62.*

a) p. 37. vers. Respondemus.

ELECTOR, qui jus eligendi habet, quomodo dicatur?

Nec ad rem facit Neocurgicorum [a] instantia à Conjugatis desumpta. *Elector propriè & ex natura Conjugatorum dicitur, qui jus eligendi habet. At Tutor jus eligendi habet. Igitur est Elector.* Quia Tutor ius eligendi non habet tanquã Elector, sed tanquã Tutor & Administrator illius juris exercitium habet tantùm: Nec suo nomine eligit, sed alieno, pupilli scilicet nomine, cujus personam repræsentat in omnibus. Ac propterea Bullæ, licet proximiori & seniori Adgnato exercitium eligendi tribuant, nunquam tamen eum ELECTOREM appellant: sed ab illa appellatione, vel ab illo Titulo Bullæ sibi cavent & abstinent tanquam à scopulo: prudenter sanè & cautè: nempe ut sciat semper, se Tutorem tantùm esse, non Electorem, non successorem. Et alioqui, si Neoburgicorum à Conjugatis argumentum subsisteret, Tutor Baronis, Comitis, Ducis &c. investiens vasallos pupilli, eadem opera *Baro*, *Comes & Dux* appellandus esset, & Titulum talem Ducalem, Comitivum, Baronalem sibi sumere posset. Quo quid absurdius? cùm possit per rerum naturam investire, & tamen Tutor manere.

Quid igitur? In quo peccant & hallucinantur hîc Neoburgici?

Primum omnium, quia nullam differentiam faciunt Neoburgici inter eligentem jure Suo & Alieno: ac propterea quæstionem hanc totam miserè confundunt. Quod bona & integra conscientia facere non possent, si Ludovici Electoris testamentum, quo Ottonem fratrem filiis suis tutorem dedit, habuissent ante oculos: in quo expresè testator statuit, *Si contingat Regis Rom. electionem fieri, quomodo se tunc Otto Tutor, pupilli sui, Electoralis Primogeniti loco & nomine gerere debeat.* Manifestum etiam est, quod qui jure suo, non alieno eligit, vel qui potentiam eligendi jure suo, non alieno habet, à Conjugatis propriè *Elector* dici potest: qui verò nomine alieno eligit, *Elector* propriè dici ex natura Conjugatorum non potest, sed Electoris (pupilli sui) nomine demandatum exercitium tantùm eligendi obtinet. *Electoris* nomen, vel *Electorem esse*, nomen juris est, jus, proprietatem, dominiumque eligendi demonstrans: exercitium verò *eligendi* habere, magis est facti quàm juris. Ideoque Tutor, Curator vel Administrator, neutro casu *Elector* dici potest: Primogenitus autem Electoris utroque casu Elector est, sive pubes sit, sive impubes. Pubes inquam, quia de eo nullum dubium est: Impubes verò, propter causas superiùs expositas.

Secundo. Exercitium eligendi, spe certissima proprietati conjungẽdum, nondum tamen conjunctum ꝑpter ætatis defectum, & ꝙ est tamẽ

penes

penes Electoralem Primogenitum impuberem, non attendunt Neoburgici, & nudũ tantum momentaneumq; exercitium eligendi Administratori competens spectant, mirantur, & in immensum extollunt: cùm tamen illa duo considerare & distinguere debeant. Nam jus eligendi, si proprietatem illius juris spectaveris, penes Primogenitum, licet impuberem, Electoris defuncti existit: sin verò exercitium ipsum, quod facti est & transitorium, penes eius Tutorem. Sic possessor [a] fundi censetur, qui solam eius proprietatem habet: qui verò usumfructum tantùm habet, possessorem non esse Vlpianus scripsit. Quin immò fundi *dominus* [b] censetur, qui nudam proprietatem habet: fructuarius non item. Et ita quoque Baldus specialiter notat [c], *pupillum Dignitatem sine Administratione habere posse: cum administratione non* [d] *item*: adhæc (quod hîc valde propter Collegium Electorale notandum est) pupillum Capacem esse Collegii & universitatis, non [e] tamen posse exercere officium suum actu. Sic constat Ludovicum Placidum Electorem, cùm adhuc vix XV. ætatis annum ingressus, & sub cura Ottonis patrui esset, tamen ab Electoribus Ecclesiasticis in Collegium suum Electorale ad Rhenum receptum solenniter, & simul etiam Principem Electorem appellatum fuisse. Et eo quidem modo Civitates Lombardiæ forte eligere sibi in Dominos solebant filios etiam impuberes & infantes Magnificorum Militum, Dominorum veterum. Quinimò Baldus [f] ait: *Dignitate existente naturali ex radice* (id est, ex genere proveniente, ut est in filiis Regum & *QVASI* [g] *REGVM, ET DVCVM ALEMANIÆ) NON ESSE DVBIVM, QVIN TALES SVCCEDANT IN DIGNITATE ET ADMINISTRATIONE, sicut succedunt in dominio, PER TVTORES EORVM* [h]. Vnde colligo, Titulum *Electoris* competere omnino Primogenito Electoris defuncti, nequaquam autem eius Tutori: qa Primogenitus Electoris defuncti, proprietatis Electoralis dominus est: Tutor verò, non proprietarius, sed tantùm Custos & Administrator; imò jus utendi fruendi (id est, reditus Electorales suos faciendi) Tutor non habet: & sic minus in eo juris obtinet, quàm fructuarius.

a] *l. sciendum 15. vers. item qui solam proprietatem. ff. Qui satisdare.*
b] *l. 1. §. 2. ff. de Senatusc. Silaniano.*
c] *l. ult. C. de Test. militia.*
d] *l. ad rempub. ff. de muneribus. l. 2. § Impuberes. ff. de jure immunitatis.*
e] *c. 2 Ext. de ætate & qualitate. c. ex eo de Electionib. in 6.*
f] *Adde Bart. l. Quidam consulebat 57. ff. de re judicata.*
g] *d. l. ult.*

DVCES Alemaniæ Quasi Reges tempore Baldi fuerunt habiti. NOTA.

h] *c. grandi de supplẽda negligentia prælat. in 6: arg. l. qui furere. 20. ibi. Sicut dominium ff de statu hom. & 7. q. 1. c. Quàm periculosum.*

Nec movet, quòd in Bulla Caroli [i] IIII. traditur, *Tutorem IVS, vocem, potestatem & omnia ab ipsis dependentia cum officio puberi facto protinus adsignare debere*: & in Sigismundi: *Ius, vocem, DIGNITATEM & potestatem prædicta ELECTIONIS, &*

i] *Tit. 7.*

omnia ac singula ab eis dependentia, Primogenito Electorali puberi facto sine difficultate qualibet & renitentia, teneri & debere protinus assignare, id est, restituere. Hæc enim & similia de exercitio tantùm Dignitatis Electoralis intelligenda sunt. Nihil enim per rerum naturam Tutor Electoralis assignare, hoc est, restituere potest, nisi quod habuit. Nihil autem habuit, nisi quod pupilli, & sic prorsus alienum fuit. Et cur quæso? Quia, ut præter rationes superiùs prolatas hoc obiter addatur, Bullæ volunt, ut proximior & senior Adgnatus *Tutor & Curator & Administrator* esse debeat. Igitur ut non sit dominus, non proprietarius, non fructuarius, non usuarius, non Elector: sed Electoratus tantùm Custos & Administrator: ut sciat se aliena negotia, id est, pupillaria tractare, non propria, non sua. Lex omnium Tutorum talis est. Aliam fingere velle, jus omne nostrum destruere est, & ex depositario, custode, Tutore, spoliatis pupillis dominum facere, ex tutore (ut Albericus de Rosate non illepidè loquitur) tollitorem. Deposito, vel commodato, vel Tutela aliter uti, quàm ab ipso domino sit concessum, nostris legibus non [a] licet.

Equidem fateor & fatebor semper, jure nostro Tutorem Domini [b] loco haberi: item vice [c] Domini. Sed *Domini loco haberi, & Dominum esse*, differunt. Qui *Dominus est*, veluti pupillus, propriè & verè & ex Conjugatorum naturâ Dominus est. Qui verò *Domini loco* habetur, ut Tutor, nec propriè, nec verè, nec ex Conjugatorum naturâ Dominus est, sed impropriè tantùm. Hæc enim verba, *Domini loco habetur*, impropriet atis notæ sunt. Et alibi [d] quoque distinctiùs traditur, Tutorem Domini loco haberi, *sed quantum ad providentiam pupillarem attinet:* quæ limitatio vel restrictio demonstrat, Tutorem nec propriè, nec verè, nec simpliciter, nec secundùm Conjugatorum naturam, Dominum esse, sed secundùm quid tantùm, certaque tantùm ratione, nempe providentiâ sola, fide, diligentia, sollicitudine & cura sibi ex officio demandato incumbente; quemadmodum cuivis creato præfecto vel officiali, rationali, gubernatori, vicedomino, locumtenenti cura eadem incumbit: Quia id facere tenetur & debet in alieno, quod Dominus ipse (si maior aut præsens esset) faceret, & quod ipse Tutor vel Præfectus in rebus suis, quarum Dominus est, quàm optimè facere consuevit. Sed & alibi [e] quoque manifestiùs dicitur: *Tutorem quidem tunc Domini loco haberi, cùm Tutelam administrat, non cùm pupillum spoliat*, & consequenter, cùm pupillum juribus & titulis suis exuit, vel titulos pupillo debitos

a] *§. placuit. 7. & §. seq. Inst. de obligat. quæ ex delicto.*
b] *l. interdum 56. §. penult. ff. de furtis.*
c] *l. 1. si quis in puteum. 11. §. an ignoscitur servo 7. ff. Quod vi aut clam.*
d] *l. Tutor qui Tutelam gerit. 27. ff. de administ. Tut.*
e] *l. si fundum 7. § si Tutor. 2. ff. pro emptore.*

debitos & competentes ſibi ſumit. Hinc igitur duo colligimus. Vnum: Tutorem nec propriè, nec verè, nec ex Conjugatorum natura (velut loquuntur Neoburgici) Dominum eſſe, ſed tantùm *Domini loco*: ut alium (ſcilicet pupillum) rerum à defuncto patrefamilias relictarum Dominum agnoſcat, non ſe: nec verum Dominum, cum eo, qui Domini tantùm vice vel loco eſt, confundat, & Cura tantùm & adminiſtratione Dominum ſe eſſe ſciat, non verè, nec propriè Dominum. Alterum: Tutorem tunc Domini loco haberi, cùm Tutelam adminiſtrat, non cùm pupillum ſpoliat & denudat. Lex ita loquitur, quam & tutò ſequi poſſumus & debemus; ut ſciamus, Tutorem titulos pupillo competentes, ſibi tanquam Domino ſumere non debere. Ac propterea alibi [a] Tutor & Dominus, velut res contrariæ prorſus & diverſæ, opponuntur; ut ſciamus, illum Dominum, hunc Cuſtodem & Adminiſtratorem tantùm exiſtere.

a] l. *Tutor rem adulti 8. π. de in litem jurando. l. 2. C. de quaſtionibus.*

¶ AD QVADRAGESIMAM
Primam Reſponſionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.

HEIDELBERGENSES *nonnulli Conſiliarii* (inquiunt [b] Neoburgici) *agrè ferunt, Electoralem heredem PVPILLVM INDIGITARI: Cùm tamen pupillares annos exceſſerit: atque ita in præſentiarum & deinceps contrahendi, inveſtituras accipiendi, TESTANDI, & alia jura habeat.* NEOBVRGICI quid? Aiunt [c]: *Heidelbergenſes id agrè ferre, ſed non Bipontinos.*

b] *p. 74. Tandem & ultimo.*

PVPILLVS an poſſit, qui Primogenitus Electoralis eſt, à Neoburgicis vocari, cùm pupillares annos iam exceſſerit.

c] *p. 74. verſ. Tandem.*

ACERBE ſanè, ſatis duriter & amarè. Diſcordias enim Neoburgici Bipontinos inter & Heidelbergenſes ſerere volunt: quaſi Bipontini cupiant diuturniore Tutela Iuvenem Electorem detineri, & ſic ipſi diutiùs Tutela Electorali frui vel potiri: Heidelbergenſes verò exoptent Iuvenis Electoralis Tutelam citius finiri. Sed falluntur Neoburgici. Nimis enim arcta & amica Bipontinos inter & Heidelbergenſes eſt, ad omnia ſimul ineunda, adgredienda, patienda, ferenda coniunctio, pax firma, intelligentia mutua, bonaque concordia: Et manebit

manebit (Deo concordiæ autore juvante) vel contra vota Neoburgensium. SECUNDO dicunt [a] Neoburgici: *Heidelbergenses in SOLE TENEBRAS quærere. Bullam enim indifferenter minori XVIII. annis tribuere, nomen PUPILLI & IUVENIS. Non [b] enim sola voluntate pupilli officium Tutoris finiri. Et alioqui si [c] Tutela Electoralis jam expirasset, postquam heres Electoralis annum XIIII. est egressus, Ducem Bipontinum nullo jure titulum Tutoris & Administratoris Electoralis Palatini usurpaturum. Nec [d] id dici posse respectu fratris junioris, qui vivente Primogenito fratre in Electoratu nihil juris habet.*

a] *p 74. vers. Sed hoc est in Sole.*

b] *vers. & ex jure communi notum est.*

c] *vers. & sanè si Tutela.*

d] *vers. Nam si dicas.*

SED OMNIUM facilis est ad hæc omnia Responsio. Quot hîc enim verba Neoburgicorum, tot penè vitia sunt & errata.

PRIMUM omnium negant Heidelbergenses, *se in Sole tenebras quærere*: sed Neoburgicos potiùs Soli tenebras effundere & inferre contendunt. Ius enim commune, liquidum, clarum, & notorium omnibus defendunt Bipontini: At Neoburgici, jus nunquam visum nec auditum, obscurum, incertum, injustum adstruunt.

PUPILLI & Iuvenis voces in Bullis occurrentes explicantur.

SECUNDO NON obstat, *quòd Bullæ indifferenter minori XVIII. annis tribuant Pupilli & Iuvenis appellationes.* Id enim diversa ratione faciunt Bullæ. Singulis enim singulas voces RESPECTIVE (ut vulgò loquimur) reddere debemus, ut faciendum esse variis locis monet Accursius.

e] *§. 1. Inst. de nupt. l 5. § qui Testamēta. l. 2. ff. de Vulgars. l. 1. C. Quando Tut. vel Cur. esse desinam. Novel. 119.*

PUBERTAS vulgaris, XIIII. anni.

PUBERTAS plena, XVIII. anni.

Quod ut meliùs intelligatur, verba Sigismundi proponamus: *Tunc senior frater nepos & consanguineus dicti PUPILLI ET IUVENIS, ad quem præscripta devolventur, de jure* Tutor *esse debeat* & Curator, *tam diu, donec ad ætatem debitam (XVIII. annorum) pertingat: Cui etiam &c.* PUPILLUM Electoralem Sigismundus Imperator appellat Primogenitum Electoralem, quamdiu scilicet XIIII. annum non excessit. Quia XIIII [e]. annus, pubertatis vulgaris annus est. IUVENEM verò Bullæ appellant statim ab anno XIIII completo, quo anno jure quidem Civili masculus pubes censetur, sed Bullis Aureis nondum pubes in eo habetur, ut exercitium Electoratus ei adsignetur, sed anno tantùm XVIII. completo, (ut conjunctæ duæ Bullæ volunt,) quod tempus XVIII. scilicet annorum

annorum, Civili Iure plenæ [a] pubertatis tempus est. Erit itaque hæc Bullarum sententia: *Proximior & senior Adgnatus impuberis Primogeniti Electoralis Tutor ad XIIII. annum completum esto: Curator verò à XIIII. completo ad XVIII. æquè completum: tunc enim Electoratus exercitium omne restituere Tutor puberi ita facto cogitur.* Primo casu, proximior Adgnatus Tutor est PVPILLI: Secundo verò, Curator est IVVENIS. Et sic, Primogenitus Electoralis, statim post annum XIIII. ætatis completum, Pupillus ampliùs appellandus non est, sed IVVENIS. Pubes anno XIIII. completo, Græcis [b] *Ephebus*: anno XVIII. completo, *Exephebus*: Pubertati proximus, *Mellephebus*. Et sic voces illæ quatuor in Sigismundi Bulla positæ, PVPILLVS & IVVENIS, TVTOR & CVRATOR, mutuò se & (ut dictum) RESPECTIVE spectant, & invicem explicant. Verbi gratia. Primogenitus Electoralis nondum XIIII. ætatis annum excessit? Et PVPILLVS est, & TVTOREM habet. Excessit XIIII. ætatis annum, nondum tamen XVIII. annum complevit? Nec pupillus est, nec Tutorem habet, sed IVVENIS est sub CVRATORE positus.

Hoc simplicissimo & congruo intellectu ad Bullas Aureas admisso, non obsunt quæ Neoburgici adeò sollicitè probare nituntur: *Sola [c] pupilli voluntate Tutoris officium, etiam Iure Communi, non finiri.* Quia ex prædictis apparet, Primogenitum Electoralem pupillum impuberem, & Iuvenem & legitimæ ætatis à lege constitui. Præterea quis, quæso, Bipontinorum hoc dixit, vel retulit? Bipontinis imponitur, si tale quid eis affingitur: Bipontinos scilicet dixisse aut contendere, *sola voluntate pupilli Tutoris officium finiri.*

NEGATVR etiam illa Neoburgicorum consequentia. *Bipontini dicunt [c], anno XIIII. Tutelam Electoralem finiri: Ergò Bipontinus, nullo jure Titulum Tutoris & Administratoris Electoralis Palatini usurpat.* Quia potest anno XIIII. Primogeniti Electoralis completo, Bipontinus Tutor eius desinere, & nihilominus tamen eius ADMINISTRATOR, sive Curator & (ut Paulus etiam Apostolus distinctè loquitur [d]) si non ἐπίτροπος, attamen οἰκονόμος esse, & ad annum XVIII. completum usque permanere.

Exemplum Ducis Ioh. Casimiri adversarii ubique repetunt. Hoc igitur in hac quoque re agnoscant & sequantur. Ait ille, *Tutoris & Curatoris appellationem etiam in Bullis, Iuris Communis esse* [e]. Igitur

a] *l. arrogator ff. de adopt. l. 1. §. pueritiâ. ff. de post. ul. l. Mela. ff. de aliment. legat. l. quidam. ff. de re judicat. §. justis §. ult. Inst. Quibus ex causis manumitt. l. 9. C. Th. de decurionib. Novell. 115.*
b] *Censorinus V. Cons. lib. de præscriptionib. c. 27.*

c] *p. 74. vers. Iure Communi.*

d] *p. 74. vers. Et sane si Tutela Electoralis.*

e] *cap. 4. ad Galat. versiculo 2.*
f] *Resolutio Ducis Io. Casimiri, § Nam Auream Bullam quod attinet & §. Praeterea ad clarius.*

& pupilli & Iuvenis, ex natura Correlativorum. Quin ipse Dux Ioh. Casimirus in illa nobili cum Contutoribus controversia, in ipso summo Iudicio Imperialis Cameræ XIII. Maii, anno MDLXXXX. ostendit, *Fridericum IIII. Electorem tum temporis annos pupillaris ætatis egressum; atque ideò invito Curatorem obtrudi non posse.* Sicut & tum simul in solemni Instrumento publico idem Fridericus IIII. in Iudicio hoc protestus est. Id quod ex Actis publicis non ignorare possunt aut debent adversarii. Et tamen idem Princeps Elector, cùm jam diu patruus ipsius Dux Ioh. Casimirus terræ mandatus & contumulatus esset, eundem in Epitaphio Tvtorem laudat & appellat, quòd in promiscuo sermonis usu hoc fieri soleat: cùm tamen omnino in correctoriis Constitutionibus verba propriè, & juridicè accipienda sint [a].

[a] Gail. 2. obs. 138. n. 12.

Vitiosa igitur hæc Neoburgensium consequentia est: *Proximus Adgnatus non est amplius Tutor Primogeniti Electoralis. Ergo non est etiam eius Curator.* Quia lex Sigismundi XIIII. anno Primogeniti Electoralis completo Tutelam proximioris & senioris Adgnati tacitè circumscripsit: et CVRAM tamen Administrationemque eius exinde inchoari, & ad XVIII. annum completum continuari & produci jussit. Hoc est onus (ut sciant Neoburgici) proximioris & senioris Adgnati, ut finita Tutela Electorali non possit à Cura se excusare.

Fallvntvr etiam Neoburgici, cùm aiunt [b], *id dici non posse respectu Iunioris, qui vivente Primogenito fratre in Electoratu nihil juris habet.* Quia proximior & senior Adgnatus ad annum usque XVIII. completum ipsius Primogeniti, Iuniorum etiam Electoralium liberorum Tutelam vel Curam sustinere debet: licet XIIII. anno Primogeniti completo proximior Adgnatus Tutor eius esse desinat, & Curator esse eiusdem incipiat ad annum usque XVIII. Nec etiam soli Primogenito, sed & secundogenitis Tutor & Curator datus est. Et proinde justa consequentia Neoburgicorum non est: *Secundogeniti vivo primogenito nihil juris habent in Electoratu: Ergo Secundogeniti mortuo patre neque Tutorem neque Curatorem habent.*

[b] vers. Nam si dic. ut id fieri respectu Iunioris.

Qværet aliquis, quænam inde nobis utilitas redeat? Hæc scilicet: nempe ut sciant proximiores & seniores Adgnati, ad annum usque Primogeniti Electoralis XIIII. completum, se Tutores esse: à XIIII. verò ad XVIII. completum, Curatores: completo verò XVIII. anno Pri-

anno Primogeniti, neque Tutores neque Curatores Electoratus esse: cùm aliâs Iure Communi, Curatoris munus ad XXV. usque annum extendatur. Adhæc, priore casu, finita proximioris & senioris Adgnati Electoralis Tutela anno XIIII. Primogeniti Electoralis, à Cura eiusdem se excusare non posse (quod jus Civile ei concedebat [a]) sed ad XVIII. annum completum Curatorem esse & permanere DEBERE: Et rursus, finita Tutela novum Curatorem non creari à Iudice, sed proximiorem Adgnatum Curatorem adhuc manere, ad XVIII. usque annum Primogeniti Electoralis integrè completum.

a] *l. Curator. 20. C. de excusat. tutor.*

¶ AD QVADRAGESIMAM Secundam Responsionem Apologeticam Neoburgicorum, Replicatio Bipontina.

Nvnc prope est, ut dici possit:

Inveni portum. Spes & Fortuna valete.

In portu namque propè navigamus. Quærunt autem ad extremum Neoburgici [b], *Bona Bipontinorum pace: Vtrum serio, an per imprudentiam vel simulationem, exciderint nonnullis illa verba: DVCEM Iohannem Bipontinum CVPERE ex animo SOLVTVM ESSE hoc onere, quod PRÆCIPITATIONE quadam in se susceperit, si MODO VLLA VIA SIT CEDENDI, QVÆ NON LÆDAT EXISTIMATIONEM SVAM.*

b] *p. 75. vers. Ad extremum.*

Sed cvr hoc à Bipontinis quæritant Neoburgici? Nam ab adversario confessionem extorquere velle, cùm testes paratos te habere innuas, & possis eum testibus convincere, incivile est. Vel edant saltem Neoburgici nomina eorum, qui à Bipontinis id intellexerint fide digni. Edant denique ἀξιοπίστους [c], μὴ ἐπιδίφριους, μηδὲ χαμερπεῖς, μηδὲ παντελῶς ἀσήμους, μηδὲ [d] εὐτελεῖς καὶ χαμηλοὺς, fide dignos, non artifices ignobiles, non vilissimos, aut nimis obscuros, non abiectæ vel prorsus reiectæ condicionis

c] *Novell. 90. c. 1.*
d] *Harmenop. 6. Tit. 2. §. 22.*

homines, vel ex tonstrina Rumores & similes. Nam quid juvat dicere, te ab aliquo talia de Duce Bipontino audivisse, nisi testem tuum nomines? quem si nominares, nemo te dicti vel rumoris istius autorem tam facilè crederet. Adeò facile est, exarmatum & destitutum rationibus ad commenta fictaque confugere. Imò ex ipso eventu, qui etiam stultorum magister est, homines illi, qui tradunt, quique auscultant talia, discent tandem, vanitatem vanitatum hanc esse, quam sibi Neoburgici persuaserunt, omnium maximam. Sed pergamus.

a] *p. 75. vers. Age igitur.*

VIAM duplicem Concordiæ proponunt Neoburgici.

b] *vers. altera via.*

c] *vers. Age igitur.*

AGE, inquiunt [a] Neoburgici, *Præsto duplex via est: una IVRIS: altera amica* [b] *TRANSACTIONIS.* De singulis igitur per partes videamus.

VIAM IVRIS hanc offerunt [c] Neoburgici: ut vel IMPERATORI & ELECTORIBVS, vel ARBITRIS *non suspectis, proponantur utriusque partis rationes & argumenta* VNICO SCRIPTO: *& desuper sententia exspectetur,* REMOTIS *Appellationis aut Revisionis ambagibus.*

d] *In Defens. testam. tut. pag. 9.*

e] *In ead. defen. p. 17.*

QVID AD HÆC Electorales? Nunquam illi ordinariam juris viam declinârunt, nunquam declinabunt; sed multoties se juri stare paratos & promptos esse contestati sunt; monuerunt [d] etiam Neoburgicos ex Edicto Divi Marci, OPTIMVM ESSE, ut si quas putent se habere petitiones, actionibus experiantur; monuerunt item [e] Neoburgicos, ut cùm ipsimet in controversia successionis Iuliacensis hoc uno se tutati sint, *Quod juri stare & parêre parati essent, nec aliter possessione sua cedere voluerint, quàm si ordinaria via jure suo cedant*; alteri etiam parti idem hoc jus permittere debeant. Illi verò in hac controversia ordinariam juris viam declinant, & ab ea tanquam à scopulis abhorrent. Nuper causam hanc decisam esse, & judicio nullo indigere allegarunt. Iam illius prætensæ judicatæ rei obliti, præscribunt, in quam Iudicii & Processus formam seu Compromissum, Tutorem Testamentarium adigi & coarctari velint: ut nempe ordinario juris processui renunciet, Vnico scripto & Compromissariis arduam hanc causam Tutor committat; ubi de Legum etiam Imperii certitudine agitur, quæ ejusmodi Compromissis non obtinebitur, sed Pragmaticam Sanctionem exigit. Sanè etiam Dominus Administrator.

ſtrator teſtamentarius eiuſque Contutores ſciunt, Id ſibi non licere: cùm teſtator omnino voluerit, atque adeo & à Cæſar: M^te. Reſcriptum impetraverit, *Controverſiam hanc, ſi moveretur, non niſi ordinaria iuris via ventilandam & decidendam eſſe*: cumque in tam arduis cauſis procedi iura velint (ut in Defenſione teſtam. tut. pag. 10. confirmatum eſt) IVRIS ORDINE SERVATO, IVRIS ORDINE NON PRÆTERMISSO. Nec latet Neoburgicos, tutores atque adeo omnes alios, qui alienare non poſſunt, nec temerè compromittere nec tranſigere poſſe: illos verò, qui magna ſpe animos ſuos impleverunt, ſed ſine iuſtitiæ fundamento, facilè ſolere tandem fortunæ arbitrio eventum committere. Quod viri prudentes cavere ſolent: præſertim ſi qui rationem conſilij ſui aliquando ſibi reddendam non ignorant.

NON POSSVMVS præterea aſſequi, quid ſibi velint Neoburgici, cùm à Bipontinis petunt: *ut utantur Bipontini beneficio legis illius, quæ vult, Ut finita tutela Curator, etiam Teſtamento nominatus, non teneatur invitus adminiſtrare*. Nam prioris [a] legis hæc ſententia eſt: à cura eius, cuius Tutor fuit, juſtè ſe quis excuſat. Poſterioris [b] verò: Tutelam qui Titij geſſit, & patrisfamiliâs Teſtamento in eo paruit, non cogitur Curationem eiuſdem Titij gerere, licet paterfamiliâs teſtamento ſuo id mandaverit. Poteſt enim ſe citra appellationem excuſare à Cura: et tempora excuſationis proponendæ ei currunt ex eo momēto, quo decreto Prætoris vel Præſidis, Curator confirmatus fuit. Alioqui ſi tunc ſe confirmari permiſerit, nec intra legitima excuſationum proponendarum tempora ſuas excuſationes allegaverit, poſtea ſe excuſare à Cura non poterit.

a] *l. Curator 20. Cod. de excuſat. Tutor. ubi Salicetus.*
b] *l. Gaius. 16. D. eod.*

Explicent itaque paulo melius ſe Neoburgici, ut quid à Bipontinis exigant, & ob quam cauſam Ducem Bipontinum Curatela illa ſe liberare contra fidem & officium velint (an nimirum, quòd ea opus amplius non eſſe videatur, an ut abdicatam & vacantem alij obtinere & occupare impunè poſſint) intelligatur, & (ſi jus faſque fuerit) mos Neoburgicis geratur, vel contradicatur. Sed & antea explicatum Ius ſingulare Bullarum fuit, quib. qui Tutor datus eſt, etiam Curator eſſe uſque ad XVIII. annum filij Electoralis jubetur & cogitur: etiamſi id non in ſe recepiſſet, aut fidem eo nomine Teſtatori dediſſet, ut hoc loco factum.

De via nunc altera Tranſactionis amicæ videamus.

a] *p. 75. Verf. Altera via est.*

TRANSACTIONIS VIA Bipontinis oblata à Neoburgicis.

b] *l. Præses provinciæ 21. Cod. de Transact.*

TRANSACTIONIS AMICÆ viam alteram proponunt [a] Neoburgici, *qua si* (utipsimet fatentur) *dato aliquo & retento, in iis quæ dubia sunt. Nam* (inquiunt) *remittere AMBITIOSE id quod indubitatè debetur, non est Administratoris, ut Valerianus & Gallienus rescripserunt* [b].

IVDICET Lector, quomodo hæc conveniant: dubiam causam esse, ut hîc adversarij non eunt inficias; & notoriam illam, ac luce meridiana clariorem esse, quod antea tantis exclamationibus toti Orbi persuadere voluerunt. Deinde animadvertat, quòd hæc transactionis via verbis admodum tectis & obscuris, est Bipontinis à Neoburgicis concepta: ut meritò (Bipontinis id petentibus) se latiùs explicare debeant Neoburgici.

PRIMVM enim quærunt Bipontini. Quænam illa DVBIA sint, quæ ipsi Neoburgici dicunt esse DVBIA? Negant enim Bipontini, Tutelam Testamento defuncti Electoris Duci Bipontino delatam, DVBIAM esse. Negant etiam, CONDICIONES per defunctum Electorem propositas, dubias dici posse. Quia nihil aliud sunt, quàm cautiones omnium honestissimæ & justissimæ, rectè gerendæ Tutelæ Electoralis & conservandi status Electoris, tam Politici quàm Ecclesiastici: ut de jure tam aperto non possit à Bipontinis commodè, aut etiam propriè dicendo transigi. Transactiones [c] enim de rebus dubiis fiunt, non de liquidis & indubitatis.

c] *l. 1. π. de Transactionibus. l. præses 12. Cod. de transact. l. si inter patrem 6. Cod. de solutionibus.*

SECVNDO quærunt Bipontini, An admissa hac transactionis via, velint ipsi Neoburgici aliquid Duci Bipontino, ut Electorali Tutori, si Tutela (in cujus possessione, imò potiùs demandata & incumbente sibi gestione, nunc est constitutus) cedat, dare: vel ut aliquid retineat, permittere? An ipsi verò malint aliquid sibi dari, vel à se retineri? Sanè ipsi nihil dare hîc possunt, cùm nihil habeant aut possideant: nisi fortè minùs legitimam inanis tituli & sigilli Tutelaris usurpationem omittere velint. Quod si facient, lis omnis per se sopita erit. Sed meo judicio videntur in alio sensu magis innuere Neoburgici, paratos se scilicet esse, aliquid aliud Duci Bipontino dare, & RETINENDVM etiam (Dux enim Bipontinus in Tutelæ Electoralis possessione est) concedere. Nisi fortè feuda quædam Iuliacensia ad Electo-

Electoratum Palatinum, morte defuncti Ducis Iuliacensis, reversa & & devoluta, se retinere pro concessa & renunciata Tutelâ, cupere innuant.

TERTIO. Postremo illo, quod nunc retulimus, posito, quærunt Bipontini: An hæc petitio civilis Neoburgicis videatur, ut scilicet Dux Bipontinus Tutelam Electoralem (quam se recepturum defuncto Electori promisit, juravit, recepit) pecunia accepta deserat? Nam si civilis & honesta hæc petitio est, cur ergo alibi [a] Ducem Bipontinum DEPECTIONIS insimularunt, & velut DEPECTVM criminati sunt? Neoburgicorum enim erit hoc casu manifestissima & evidentissima depectio. Data namque pecunia Duci Bipontino, ministerium Tutelæ Electoralis adquirent Neoburgici. quod tamen jure non tantùm prohibetur [b], sed etiam punitur. Hoc enim est Tutelam apertè cauponari: & habet etiam illa nundinatio (ut Montanus ait,) non obscurũ meditati sceleris argumentum, ne dicam spoliandi pupilli quandam necessitatem & prætextum. Quis enim vereatur in suos usus convertere, quod suo emit impendio? At enim licet ipsi Tutelam Electoralem hoc modo redimere cuperent vel in votis haberent Neoburgici, certissimò tamen persuasum & indubitatum habent Electorales, Ducem Bipontinum (quibus moribus, quave fide præditus est,) in hujusmodi venditionem adeo turpem, nunquam consensurum, nec pecuniam fidei suæ antepositurum.

a] p. 8. linea. 5.

b] §. si quis 10. Inst. de suspectis. l. 1. §. solent. π. de officio P. urb. l. in eos. q. D. & tutelis.

Quis etiam non miretur, cùm tanto ardore hanc litem Neoburgici cœperint, & tanta cum acerbitate illam hactenus foverint, nunc repente innuere, hanc controversiam sine magna difficultate finiri posse, DATO scilicet aliquo, & aliquo RETENTO?

Quis non miretur etiam, cùm rebus & temporibus adeò nunc ubique periculosis tantam litem excitarint, ac nisi votis ipsorum satisfieret, fractum hunc lapsurum Orbem ominati fuerint, nunc repente mutatos esse, & quietem & tranquillitatem dato aliquo vel retento polliceri?

SED

QVARTO nondum etiam Bipontini rationem illius consequentiæ Neoburgicæ percipere possunt. *Transactio amica de Tutela Electorali habenda est in his quæ dubia sunt: habenda, inquam, dato aliquo vel retento. NAM REMITTERE AMBITIOSE id, quod indubitatè debetur, NON EST ADMINISTRATORIS, ut Valerianus & Gallienus rescripserunt.* Quærunt itaque Bipontini, quid sibi velint illa verba, NAM REMITTERE AMBITIOSE? Nisi fortè velint hoc Neoburgici: *se nunquam jus plenum Tutelæ Electoralis (quam sibi deberi indubitatè prætendunt) Duci Bipontino permissuros, nisi quid invicem acipiant ab eo vel retineant. Non enim esse Neoburgicorum, AMBITIOSE REMITTERE id, quod indubitatè debetur.*

INTERPRETATIO legis, præses provinciæ 12. Cod. de Transact.

Si ita est, contendunt sanè Bipontini, Neoburgicos lege illa Valeriani & Gallieni abuti, nec legem illam intelligere videri. Hæc enim genuina legis sententia est: *Administrator civitatis, debitum civitatis liquidum, civitatis debitori ambitiosè* (id est per gratiam, favoris captandi ergo, aut etiam gratis) *remittere non potest.* Et sic loquitur lex de eo quod Civitati alicui liquidò debetur, per Administratorem eius, debitori civitatis, non remittendo. At Neoburgici prædictis verbis (quæ scilicet superiùs retulerunt) testantur, Proximiorem & seniorem Adgnatum Electoralem Duci Bipontino non posse AMBITIOSE, id est, gratis REMITTERE Tutelam Electoralem, quam sibi deberi putat vel prætendit, sed aliquid invicem accipere vel retinere debere. Sanè vitiosa hæc cõsequentia est: *Administratoris nõ est, gratis remittere debitũ liquidum pupilli: igitur Administrator pupilli, non potest gratis Ius suum Tutelæ remittere.* Major enim est de eo, ꝙ pupillo: Consequentia verò de eo, ꝙ ipsi Tutori debetur, non remittendo. Dicunt itaque Bipontini, vitiosam illam admodum Collectionem esse. Nam Tutor ideo debitum pupilli liquidum gratis remittere prohibetur, quia non est debiti pupilli dominus, nec licet ei deteriorem pupilli sui conditionem facere. Et interim tamen non video quid obstet, quò minus Tutor & Administrator ipse possit gratis jus Tutelæ legitimæ, quam suam esse putat & prætendit, remittere: quia Tutor rei suæ suorumque jurium iustus moderator & arbiter est, & potest de rebus & juribus suis etiam gratis disponere.

Adhæc videtur etiam Bipontinis, *posse Tutores Tutelam suam, ambitiosè vel gratuitò, nulla accepta penitus pecunia, alteri honestius remittere, quam accepta vel retenta.* Nam (ut antea dictum est) illis

casibus

casibus pecuniæ [a] acceptio vel retentio mera nundinatio, cauponatio, & DEPECTIO est: cùm tamen & gratis interdum aliquid facere possimus, quod accepta pecunia prohibemur. Nec etiam Tutores à Testatore, Lege, Præside vel magistratu eum in finem dantur, ut Tutelas suas revendant alteri. Lucrum illud nec honestum, nec licitum est: nec honestè dari, nec honestè accipi potest. Faceret hoc quidem plebeius aliquis Tutor, non alius. Non enim quodvis lucrum Principem decet. Ideoque Themistoclis [b] illud ad Comitem ad stantem (cùm post pugnam agminaque deleta Persarum licenter obambulans, armillas aureas vidisset humi projectas & torquē) *Tolle tu hæc qui Themistocles non es* (non quodlibet probans in duce magnanimo lucrum:) longè præferendum est Vespasiani dicto [c]: *Lucri bonum odorem ex re qualibet esse.* Quædam ita civilius & honestius facimus nulla pecunia accepta, quàm accepta. Virtus [d] nihil habet in se magnificum, si quidquam habet venale: id est, si vendit, quod vendi non debet.

a] *l. 6. § pactusque 3. π. de his qui notantur infamia. l. non damnatos 18. Cod. ex quib. caus. infam. l. 3. §. 2. π. de calumniat. l. 2. Cod. de abolitionibus. l. siquenquam 31. Cod. de Episcopis.*

b] *Ammianus 30. p. 461. Plutarchus de Civili institutione.*

c] *Sueton. Iuvenal. Satyr. 14. vers. 204.*

d] *Senec. 4. de benefic. 1.*

QVINTO NON videntur etiam Neoburgici verbum AMBITIOSE, positum in illa Valeriani lege, rectè percepisse. Sic enim verbum illud intelligunt, quasi non liceat Tutori gratis (id est, nullo accepto vel retento) jus suæ Administrationis remittere: Cùm tamen possit aliquis *ambitiosè* (quod est per ambitionem [e], favoris auræque popularis captandæ apud homines ergò, & affectato quodam gratificandi studio, ut & alijs locis [f], & diversum quiddā est à sordib. & corruptione) quid alteri remittere, licet nullā ab eo pecuniam accipiat. Veluti si ob amicitiam, quæ mihi tecum intercedit, debitum liquidum Pupilli tui mihi remisisti, vel meorum amicorum gratia id fecisti, jure sanè non fecisti. Nam nec accepta pecunia, nec etiam gratis, liquidum pupilli tui debitum meam vel meorum ob amicitiam & gratiam, remittere mihi potuisti. Atenim debitum vel jus tuum gratis & accepta pecuniæ parte possis remittere: nec potes prædicto Valeriani & Gallieni rescripto hac in specie uti, nisi coacto, & obtorto collo (ut aiunt) attracto.

e] *v. l. si bene. 33. in fin. per π. de usuris.*

f] *l. 3. C. si tutor. fals. allegat. excusat. tut.*

Et hæc quidem genuina est legis illius interpretatio, quàm Bipontini repræsentant, non quam Neoburgici. Quia lex illa vetat tantùm liquidum Civitatis debitum per eius Administratorem gratis remitti: nec tamen vetat, ipsum Administratorem, suum ipsius & proprium debitum, gratis & accepta nulla pecunia remittere. Licet

pupilli tui Tutor & Administrator existens, debitum ejus mihi rem itte-re ambitiosè, gratis, vel ob amicitiam non possis: potes nihilominus jus Tutelę tuę mihi Adgnato, etiã ambitiosè remittere, id est gratis: sive quia lucrum ex nundinatione tali aliquod facere non sustines: sive quia vel meæ vel meorum ambitioni, (id est, meis & amicorum precibus) id concedere non abnuis. Ex quibus apparet, Neoburgicos Brocardico illo, non suo loco, neq; satis fideliter usos fuisse. Et puto tamen dixissent in præsenti Electorali causa melius: *Proximioris & senioris Adgnati Administratoris legitimi non est, alteri (licet Adgnato) Tutelam Electoralem ambitiosè* (id est, etiam gratis) *remittere, sed eam prorsus, nullis allegatis excusationibus, gerere.* Sed pergamus.

a] p. 76. lin. 2. & seq.

NON INDIGNVM est, inquiunt [a], *hoc scripto, memorabile illud Valentiniani Imperatoris, MILITES SVOS REBELLES & SEDITIOSOS alloquentis: Studendum est* (inquit) *CONCORDIÆ, viribus totis; per quam res quaque minima coalescunt. Quod impetrabitur facilè, si PATIENTIA vestra cum ÆQVITATE consentiens ID MIHI QVOD MEARVM EST PARTIVM concesserit libens:* Et illud Senecæ: *Optimum est primo irritamento discordiæ resistere, ipsis repugnare seminibus. NAM SI SEMEL COEPERIT, DIFFICILIS EST AD SALVTEM RECVRSVS:* Et denique illud: *ELVDANT, qui volunt leges scriptas: imò pro IMPERII POTESTATE RIDEANT, dummodo nunquam IMPONANT CONSCIENTIÆ; nec cogantur gemere cum illo patroniano* [b]*: Dij, Deæque, quàm male est* EXTRA LEGEM viventibus! *Quidquid meruerunt, exspectant.*

b] *Legendum est Petroniano. Extat enim apud Petronium, & citatur etiam à Fulgentio Placiade in Continentia Virgiliana.*

ET HIS QVIDEM verbis Neoburgici Responsionem suam Apologeticam, præter spem omnem Bipontinorum finiunt ac finierunt. Nam proximè & immediatè viam amicæ Transactionis Bipontinis proposuerunt: & nunc tamen Imperatoris Valentiniani supercilium sibi sumentes, cum Electore Iuniore, eius Administratore, & Consiliariis, tanquã cum *REBELLIBVS & SEDITIOSIS* agunt Neoburgici: & *PATIENTIAM & ÆQVITATEM* à prædictis exigunt: quasi petulantes & iniqui sint vel fuerint: quasi leges scriptas *ELVDANT*, imò *RIDEANT*: tanquam etiam *IMPONERE* velint *CONSCIENTIÆ & EXTRA LEGEM*

LEGEM vivant: & pro suis *MERITIS* pœnas exspectare debeant. Cùm tamen ipsi Neoburgici discordiæ omnis, si quæ hîc incidit, primi motores & autores sint, & nisi in tempore cupiditatibus suis modum faciant, cuncta quæ illi in hanc partem parùm commodè detorquere student, in ipsos profectò conveniant rectiùs: imò in illos ipsos, mutato nomine ab auctoribus dicta & scripta videantur.

Exitum sanè mitiorem à Neoburgicis Bipontini post amicæ Transactionis oblationem speraverant, nec tamen propterea Bipontini modestiæ fines excedent.

CRONVS [a] veritatis pater, aut (si mavis) VERITAS [b] TEMPORIS FILIA, NATVRÆQVE [c] SOROR, docebit tandem, qui justiores vel æquiores fuerint, Neoburgici an Bipontini: Et interim sine contumeliis & conviciis, placidum huic de Tutelis Electoralibus Testamentariis Commentario finem imponent Bipontini, Neoburgicis etiam fratres & amici (si non obstiterint) mansuri.

a] *Plutarchus quæst. Roman. 12.*
b] *Gell. 12. c. 11. in fin.*
c] *Tertull. lib. de testimonio Animæ.*

FINIS.



INDEX RERVM ET QVÆSTIONUM his libris tractatarum.

A

B

C

INDEX.

D

Diffe-

Finalis

INDEX.

Quæ

INDEX.

INDEX.



Bullarum Aurearum Lectoribus & interpretibus:

Quid ergo? non ibo per Priorum vestigia? Ego verò utar via veteri: ſed ſi propiorem planioremque invenero, hanc muniam. Qui ante nos iſta moverunt, non Domini noſtri, ſed Duces ſunt. PATET OMNIBVS VERITAS, nondum eſt occupata: Multum etiam ex illa futuris relictum eſt. *Seneca 4. Epiſt. 33. in fine.*

LECTORI BENEVOLO:

Errata hæc Typographica, & si quæ præterea occurrent, Lector, excusa: Nam, ut Varro in Satyra (cui Titulus est lex Mænia) eleganter ait: *Neque in bona segete nullum est spicum nequam: neq; in mala non aliquod bonum.*

LIB. III. pag. 99 lin 4. & 5. lege: Tutores Electorales. *Pag. 113. lin. 15. lege*: certum non potest elici.

LIB. IIII. pag. 18 lin. 24 lege: permissæ: Bullarum verò prohibitæ. *Pag. 43. lin. 1. lege:* Electoralibus.

LIB V. pag. 72. lin. 27. lege: Electoratum. *Pag. 88. lin. 5. lege*: redditur.

LIB. VI. pag. 112. lin. 30. lege: Principes. *Pag. 120. lin. 24. lege:* AMBERGENSIS. *Pag. 160. lin. 1. lege:* filiam. *Pag. 167. in marg. lege*: a] Vide Menochium. *Ibid. lin. 18. lege:* Adgnatus. *Pag. 195. lin. 26. lege:* cedens. *Pag. 199. lin 30. & 31 lege:* competiit. *Pag 208 lin 2 lege:* quàm provinciæ expedit. *Pag 248. lin. 17. lege:* Iuris iniuriam. *Pag. 258. lin. 27. lege:* Bipontini. *Pag 262. lin. penult. lege:* Inficiationibus. *Ibid. lin. ult lege:* præbeant renovandi. *Pag. 265. lin. 14 lege:* At hac Clausulâ. *Pag. 285. lin 9. lege:* insanum illum. *Pag. 292. lin. 1. lege:* Neoburgicorum. *Pag. 157. lin. 25. pro* de dodrante *lege* de besse. *Pag. 252, lin. 6, lege:* ἀκήρυκτον.



